P. VIRGILII MARONIS

OPERUM

TOMUS QUARTUS.

P. VIRGILII MARONIS
OPERA,

CUM INTEGRIS & EMENDATIORIBUS COMMENTARIIS

SERVII, PHILARGYRII, PIERII.

Accedunt

FULVII URSINI, GEORGII FABRICII, FRANCISCI NANSII, JOH. MUSONII, TANAQUILLI FABRI,
Et Aliorum, ac praecipue

NICOLAI HEINSII

NOTAE NUNC PRIMUM EDITAE:

Quibus & suas in omne opus Animadversiones, & Variantes in SERVIUM *Lectiones addidit*

PETRUS BURMANNUS.

Post cujus obitum interruptam Editionis curam suscepit & adornavit

PETRUS BURMANNUS JUNIOR.

Cum indicibus absolutissimis & figuris elegantissimis.

TOMUS IV.

AMSTELAEDAMI,
Sumptibus JACOBI WETSTENII.
M. D. CCXLVI.



P. VIRGILII MARONIS
Aeneidos.
LIBER DUODECIMUS.

TURNUS ut infractos adverso Marte Latinos

De-

SERVII.

1. TURNUS UT INFRACTOS. Postquam Turnus [1] bello defecisse videt Latinos, antea semper infractos: namque ita major est sensus, quam, si *infractos*, valde fractos, acceperis.

VARIORUM.

1. INFRACTOS. Vid. Barth. ad Stat. x. Theb. 193.

3. Ocu-

1 In bello Steph. Dan. Fabr.

Defeciſſe videt, ſua nunc promiſſa repoſci,
Se ſignari oculis; ultro inplacabilis ardet:
Adtollitque animos. Poenorum qualis in arvis,
5 Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantis
Excutiens cervice toros, fixumque latronis

In-

SERVII.

2. SUA NUNC PROMISSA REPOSCI. Quia dixerat XI. 438. *Ibo animis contra; vel magnum praeſtet Achillem.* [2] [NUNC autem, pro *tunc.*]

3. SE SIGNARI OCULIS. Propter illud, [3] [quod poſt dicturus eſt:] *In te ora Latini, In te oculos referunt.* [4] [Modo autem ſignificat, id eſt, ut, quod eſſet ſilentio ambiguum, oculis confirmaretur, ſine dubio eorum, a quibus coactus promiſerat.] ULTRO. Aut inſuper, aut, antequam aliquis expoſcat, [5] [ſponte ſua in certamen offert. Et bene ducis dignitatem ſervavit, ut non ideo faceret, quia quidam repoſcebant; ſed ſua ſponte accenderetur in praelium.]

5. SAUCIUS ILLE. Καθ' ἐξοχήν. ILLE LEO. Id eſt, princeps ferarum: [6] [vel certe veteri more ad magnitudinem pertinet, ut X. 707. *Ac velut ille canum morſus:* interdum nobilitatem ſignificat, ut I. 3. *Multum ille & terris jactatus:* aut ſimilem rem deſignat. Lucilius: *Velut olim Auceps ille facit cum improviſo inſidiiſque.* Quamvis quidam *ille*, per ſe ſuperfluum hoc loco pronomen tradunt.] *Saucius* autem *pectus*, id eſt, ſaucium pectus habens, [7] [ut V. 135. *Nudatoſque humeros oleo perfuſa niteſcit.*] Et bene alia verba interpoſuit: quia *ſaucius pectus*, & ſonabat aſperrime, & imperitis [8] poterat ſoloeciſmus videri. [9] [Et *ſaucius pectus* congrue, in quo Turni dolor eſt.] GRAVI VULNERE. *Gravi*, id eſt, forti, ut inf. 458. *Ferit enſe gravem Tymbreus Oſirim.* [10] [*Venantum* autem *vulnere*, quod venantes fecerunt.]

6. TUM DEMUM. Noviſſime: id eſt, poſtquam fuerit [11] vulnere laceſſitus. Haec enim leonum natura eſt, ut niſi [12] laceſſiti iraſci nequeant. MOVET autem ARMA. Vires ſuas experitur: nam *arma*, ſunt uniuſcujuſque rei poſſibilitas: unde eſt II. 99. *Et quaerere conſcius arma:* id eſt, dolos. [13] [Eſt autem *movet arma*, etiam tranſlatio ab hominibus, qui, cum hoſtem petunt, arma movere dicuntur. Sic alibi de tauro III. Georg. 236. *Signa movet, praecepſque oblitum fertur in hoſtem.* GAUDETQUE. Spe ultionis: & dicendo *gaudet*, alacritatem voluit leonis exprimere, gaudii verbo. Caeterum nulli ferarum, vel pecudum, iſte ſenſus adponitur.

7. EXCUTIENS CERVICE TOROS. Cervice excutiens: an, quos in cervice habet?] LATRONIS. [14] [Inſidiatoris, a latendo; ſed] modo venatoris: & eſt Graecum: nam λατρεύειν dicunt *obſequi*, & *ſervire mercede:* unde *latrones* vocantur conducti milites. Moris autem erat, ut hos imperator & circa ſe haberet, & [15] eos primos mitteret ad omne diſcrimen: unde nunc dicit latronis telo fixum leonem: quia etiam venatores operas ſuas locare conſueverant. [16] [Sic etiam dicti, qui circa *vias* ſunt, quod ut milites ſtent cum ferro: aut quod lateant ad inſidias faciendas. Ergo ex eadem ſimilitudine *latronem*, hic venatorem accipiendum: quia & obſidet ſaltus, & cum ferro eſt. Sane *latronem*, venatorem, quis ante hunc?] Varro tamen dicit, hoc nomen poſſe habere etiam Latinam etymologiam; ut *latrones* dicti ſint, quaſi *laterones*; quod circa latera regum [17] ſint, quos nunc ſatellites vocant. Una tamen ſignificatio: licet [18] in diverſa etymologia. Plautus in Pyrgopolinice aperte oſtendit, quid ſint *latrones*, dicens Milit. I. I. 75. [19] [*nam Rex Seleucus me opere oravit maximo, ut*

ei

2 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 3 deſunt iisdem. 4 deſunt iisdem. 5 deſunt iisdem. 6 deſunt iisdem. 7 deſunt iisdem. 8 poterit R. 9 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 10 deſunt iisdem. 11 vulneratus Dan. Fabr. 12 laeſi Dan. Fabr. laceſſiti i. nequeant, id eſt irritati & provocati Steph. 13 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. ad *Latrones* ✝. 7. 14 deſunt iisdem. 15 deeſt iisdem. 16 deſunt iisdem. 17 ſunt Dan. 18 diverſa ſit Et. 19 nam rex me miſit ad conducendos Latrones Voſ. miſit me Steph. al. & nihil praeterea in R. qſ deerant poſt *dicens* ad ✝. 8.

Inpavidus frangit telum, & fremit ore cruento.
Haud secus adcenso gliscit violentia Turno.
10 Tum sic adfatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno: nihil est quod dicta retractent
Ignavi Aeneadae; nec, quae pepigere, recusent.
Congredior. Fer sacra, pater, & concipe foedus.
Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam,

15 De-

SERVII.

ei adconducerem latrones, & conscriberem. Idem in Bacchidibus exsecutus est, militem, *latronem* dicens: *Suam qui auro vitam venditat.*]

8. IMPAVIDUS FRANGIT TELUM. Lucanus I. 212. *Per ferrum tanti securus vulneris exit.* FREMIT ORE CRUENTO. *Fremit*, licet os habeat [20] proprio cruore perfusum. Sane ipsa comparatio exitum ostendit futurum: nam etiam Turnus ruet in mortem, ferocitate compulsus: sic in quarto 69. indicat futurum exitum reginae, dicens: *Qualis conjecta cerva sagitta.*

9. GLISCIT. Crescit, [21] [& latenter:] unde & *glires* dicti sunt, quos pingues efficit somnus. [22] [Veteres *gliscit*, incremento ignis ponebant. Bene ergo hoc verbo utitur, de quo ait: *Ultro implacabilis ardet.*]

10. TURBIDUS. Plenus terroris & perturbationis. Sane notandum, AFFATUR, atque INFIT: nam iteratio est, qua frequenter est usus: licet nonnulli dicant, temperare hoc interpositam conjunctionem: [23] [& hic habitum futurae orationis ostendit.

11. NULLA MORA IN TURNO. Plus est, *Turno*, quam si in me dixisset, ut I. 48. *Quisquam numen Junonis adoret Praeterea:* Et bonum principium ejus, qui in suspicionem timiditatis inciderat.] RETRACTENT. Repetant & revolvant.

12. [24] [IGNAVI AENEADAE. Aut *Aeneadae*, pro, Aeneas, aliud per aliud significavit: aut *Aeneadae*, non Aeneas; quasi contra omnes pugnaturus.

13. CONGREDIOR. Hypocrisis est; ut exprimatur id, quod flagitatis.] Sic Statius, ubi Polinicen oblique inducit loquentem III. 376. *Non me ullius domus anxia culpet, Expectentve truces obliquo* [25] *lumine matres.* Unde etiam supra ait Poëta: *Se signari oculis.* [26] [Quidam sane a, NULLA MORA IN TURNO, usque ad PEPIGERE RECUSENT, jungunt; ne, si distinctio intercesserit, [27] languescat sententiae color. CONCIPE FOEDUS. Id est, conceptis verbis. *Concepta* autem *verba* dicuntur jurandi formula, quam nobis transgredi non licet: nam & sarcinatores *concipere* dicuntur *vestimenta*, cum e diverso conjungunt [28] & adsuunt.]

VARIORUM.

3. OCULIS. *Oculos* Mediceus a manu prima. & ŷ. 18. *Latinos* pro *Latinis*. HEINS.

4. ADTOLLITQUE. *Attollit se* alter Menagii.

5. PECTUS. *Corpus* alter Hamburgicus. & mox *movet ora* prior Menagii. *comata* Zulichemius. *excutiet* Mentelii manus prima, unde Heinsius *excutier* conjiciebat.

7. LATRONIS. *Latinos* Parrhas.

8. FRANGIT. *Fregit* Francianus.

9. GLISCIT. *Gliscet* Mediceus. *secus adverso* Parrhas.

11. DICTA. *Dona* Sprotianus. *retardent* Zulichemius a manu prima. mox, *nec quod pepigere* Bigotiani. *quo dicta* Parrhas.

13. ET CONCIPE. *Tu concipe* Oudartii. *confere* Vratislaviensis. *concipe* recte explicat Servius, & firmat Barthius ad illa Statii II. Achil. 228. *junge manus, & concipe foedus.*

15. DE-

20 suo L. Vos. R. Steph. 21 ruit Dan. 22 desunt L. Vos. R. Steph. al. 23 desunt iisdem. 24 desunt iisdem. 25 desunt iisdem. 26 lumine nati L. Vos. R. Steph. Dan. Fabr. al. quod correxit Masvic. sed cur non *respectentve* etiam edidit, ut in Statio legitur? 27 & languescit s. color. Dan. forte, & languescat sententiae calor. 28 & adsumit Dan. & adsuunt Fabr.

15 Desertorem Asiae, (sedeant spectentque Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos; cedat Lavinia conjunx.
Olli sedato respondit corde Latinus:
O praestans animi juvenis, quantum ipse feroci
20 Virtute exsuperas, tanto me inpensius aequum est

Con-

SERVII.

15. DESERTOREM ASIAE. Exulem, ut VII. 359. *Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris?* unde est praemissa illa excusatio [29] & in tota secundi oeconomia: & in quarto, ubi dicit ȳ. 340. *Me si fata meis paterentur ducere vitam Auspiciis, & sponte meas componere curas, Urbem Trojanam primum, dulcesque meorum Relliquias colerem.* [30] [Sane, *Aut hac Dardanium dextra sub Tartara mittam*, ponenda est mora, ut postea inferatur: *Desertorem Asiae*: potest enim videri non ita instituisse Turnus orationem, praedicto, *Dardanium*, ut inferret *desertorem*, sed *regem*; verum, ubi propius accessit, intellexisse hunc honorem nominis ejus non dandum; itaque commutasse, & contumeliose *desertorem* dixisse.] SEDEANT SPECTENTQUE LATINI. [31] Invidiose dictum est, ut diximus supra: pollicetur enim, se singulari certamine dimicare velle, cum nolit: nam, *sedeant, spectentque Latini*, latenter eos ignaviae arguit, quod solus, omnibus quiescentibus, dimicet: quam rem [32] plenius sequens indicat versus: *Et solus ferro crimen commune refellam*, id est, commune fugae ac timoris dedecus solus [33] meis virtutibus comprimam. [34] [Alii *crimen commune*, id est, omnium Latinorum: & *crimen* ait, quod Trojani in Italia consederunt.

17. AUT HABEAT VICTOS. Vitavit propter omen pessimum verbum de se, quod de Aenea dixerat: *Ille me in tartara mittat*; sed ait *victos*. CEDAT LAVINIA CONJUX. Ut XI. 321. *Cedat amicitiae Teucrorum*, id est, in praemium victoriae concedat.]

18. SEDATO CORDE. Quia de Turno ait: *Atque ita turbidus infit:* [35] [Pro decore aetatis inducitur sermo: hoc est, quod praecipit Horatius in Arte Poëtica 114. *Intererit multum Davusne loquatur, an heros: Maturusne senex, an adhuc florente juventa Fervidus.*]

19. O PRAESTANS ANIMI. Et *praestans viribus*, [36] [& *praestans virium*] dicimus. Sane magnae moderationis est haec oratio: nam & laudat Turnum, quasi virum fortem; & tamen eum a singulari certamine dehortatur: dicens enim *praestans animi*, latenter ostendit, cum inferiorem esse virtute.

VARIORUM.

15. SEDEANT SPECTENTQUE. Imitatus hoc Statius in pugna Eteoclis & Polynicis lib. XI. 498.

Arma placent, versaeque volunt spectare cohortes.

ubi Heinsius malebat, *volant spectare*.

16. FERRO CRIMEN. *Crimen ferro* prior Vossianus. HEINS. Et Parrhas. qui & *repellam*, quomodo & Leidensis & Hugenianus.

17. HABEAT VICTOS. *Victor* in Menteliano a manu prima, & pro diversa lectione in Montalbanio. etiam in Schefferio, addita glossa, *nos habeat Aeneas victor*. & in Bigotiano. Fors scripserit Maro, *Aut abeat victor*. ut lib. X. de equo Mezentii 859.

Hoc solamen erit, bellis hoc victor abibat
Omnibus.

Ovidius Art. Amat.

Perprime tentatam, nec nisi victor abi.

Petronius cap. XVIII.

Nam sane sapiens contemptus jurgia flectit,

Et

29 & tota Dan. 30 desunt L. Vos. R. Steph. al. 31 invidiose. nam sensus est * ductus est, ut diximus supra aliis Dan. ductus est, ut dix. L. Steph. al. dictus est, ut R. invidiose Turni ductus est. ut Vos. invidiose ductus est, u. d. supra, aliis Fabr. 32 planius Vos. Dan. Fabr. lepius sequens L. R. 33 pro meis Baiv. 34 desunt L. Vos. R. Steph. al. ad ȳ. 18. 35 desunt L. Vos. R. Steph. Daniel vero addidit & qualitatem orationis praedixit, reliquis omissis. 36 desunt R. Vos.

Consulere, atque omnis metuentem expendere casus.
Sunt tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque, animusque Latino est.
Sunt aliae innuptae Latio, & Laurentibus agris;
25 Nec genus indecores. Sine me haec haud mollia fatu

Sub-

SERVII.

21. EXPENDERE CASUS. Ne ex abrupto de ejus virtute desperare videatur, casuum varietatem se timere commemorat.

22. SUNT TIBI REGNA PATRIS DAUNI, SUNT OPPIDA. [37] [Argute negat illi sua regna, dicens ei esse alia; ut haec malit Turnus, quae sua virtute quaesivit. Sensus ergo est:] Si propter regnum dimicare disponis, habes paternum; si propter gloriam, multos virtute superasti. Quod autem dicit: NEC NON AURUMQUE ANIMUSQUE LATINO EST, varie exponitur: namque alii dicunt: habes regnum paternum, habes oppida: etiam a me habes aurum, & promptum animum, ad danda omnia, praeter filiam: [38] [ut de se Latinus dixisse videatur de auro, propter illud XI. 213. *Praedivitis urbe Latini.*] Alii vero sic intelligunt: Si propter opes & uxorem [39] dimicaturus es, haec non solus habeo: cuicumque enim Latino est & aurum, & animus promptus in generum; ut *Latino*, non de se dicat, sed cuicumque de Latio.

24. LATIO, ET LAURENTIBUS [40] AGRIS. Et in civitate, & in omni regno Latinorum.

25. NEC GENUS INDECORES. Quia iste regis filiam petebat. [41] [Est autem elocutio figurata de Graeco, ἀσχήμονες [42] τὸ γένος.] SINE ME HAEC. Hoc loco intelligimus, Turnum [43] dolore in aliqua voluisse verba prorumpere. HAUD MOLLIA FATU. [44] Id est, vera: [45] nam aspera sunt verba, quae cum veritate dicuntur: falsa enim, plena solent esse blanditiis: [46] [haec enim libenter audiuntur; illa vero graviter. Hinc Terentius Andr. I. I. 41. *Obsequium amicos; veritas odium parit*]

VARIORUM.

Et qui non jugulat, victor abire solet.
ubi lego, *Nam saepe & sapiens contemtus jurgia nectit.* deinde *Et si non jugulat, victor abire solet.* credit se rem magnam fecisse, si adversarium non perdit. sed totum hoc Epigramma emendatione eget. lib. V. 305.

Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
& V. 314.

Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Ovidius,

—— *cetera sospes abit.*

aliter tamen, apud Nonium Marcellum invenias in *cedere*. HEINS. *Habeant* Francianus. in Zulichemio *quique abeat victor* a manu prima. in Vratislaviensi aperte, *aut abeat victor.* ut & Ed. pr. *cedatque* Oudartii. *virgo* secundus Moreti. *habeat* est verbum regium.

Ibid. LAVINIA CONJUNX. *Laurentia conjux* Francianus.

18. LATINUS. *Latinos* Mediceus a manu prima.

19. QUANTUM IPSE FEROCI. Heinsius conjiciebat, *quam tu ipse.* mox *tantum* Leidensis, duo Moretani, prior Hamburgensis, & Zulichemius a manu prima. *aequum* sine verbo substantivo Leidensis & alter Menagii. *tanto impensius* Venet. Ed. pro vulgata stat Donatus ad Terent. Phorm. II. III. 31. de *quantum* & *tanto* vid. ad Ovid. VII. Met. 750. & XIII. 368. & Epist. XVIII. 71.

21. METUENTEM. *Metuenti* Zulichemius a manu prima.

22. CAPTA. *Multa capta manu* duo Rottendorphii.

23. AURUMQUE. *Animus aurumque* legit Giphanius ex scriptis Ind. Lucret. pag. 462. HEINS. Et ita Zulichemius. *aurum animusque* Dorvil.

24. AGRIS. *Arvis* Mediceus. quomodo & Statius Epulo Domitiani:

Regia Sidoniae convivia laudat Elissae,
Qui magnum Aenean Laurentibus intulit arvis.

ipse

37 desunt R. Vos. L. Steph. al. 38 desunt iisdem. 39 dimicare vis L. Vos. dimicaturus, haec R. 40 AEGRIS. Steph. al. 41 desunt L. Vos. R. Steph. al. 42 μαῖται * Dan. Graeca desunt Fabr. 43 dolore voluisse in verba pror. Steph. 44 id est aliqua vera Steph. 45 non aspera, sed quae cum Dan. verba deest omnibus praeter R. 46 desunt L. Vos. R. Steph. al.

Sublatis aperire dolis: ſimul hoc animo hauri.
Me natam nulli veterum ſociare procorum
Fas erat, idque omnes divique hominesque canebant.
Victus amore tui, cognato ſanguine victus,
30 Conjugis & moeſtae lacrimis, vincla omnia rupi:
Promiſſam eripui genero: arma inpia ſumſi.
Ex illo qui me caſus, quae, Turne, ſequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur

35 Spes

SERVII.

26. ANIMO HAURI. Omni [47] intentione percipe.

27. NULLI VETERUM SOCIARE PROCORUM. Generaliter dicit, prohibitum eſſe dari Laviniam cuilibet Latino, ut Turnus ſolatium aliquod habere poſſit doloris, [48] [quando Latinum neminem praeferri ſibi videat.]

28. DIVIQUE HOMINESQUE CANEBANT. Propter Faunum & vates.

29. VICTUS AMORE TUI. Hoc eſt, propter te, & propter tuum amorem. Sane inter *tui cauſſa feci*, [49] [& *tua cauſſa feci*,] [50] haec diſcretio eſt; ut *tui cauſſa* tunc dicamus, ſi aliquid ipſi, ad quem loquimur, praeſtiterimus: ut puta, *tui cauſſa* [51] *te defendi*; *tua* vero *cauſſa*, tunc, cum alteri aliquid alterius contemplatione praeſtamus; ut [52] puta, *tua cauſſa hominem tuum defendi*. COGNATO SANGUINE. Quia Venilia, mater Turni, ſoror eſt Amatae.

30. VINCLA OMNIA RUPI. Et religionis & foederis.

31. PROMISSAM ERIPUI GENERO. Verum eſt: nam Aeneae per legatos promiſerat filiam, cui poſtea intulit bellum: licet multi dicant, ante eam Turno fuiſſe promiſſam: quod falſum: [53] nam Latinus nunquam eam Turno ante promiſit: [54] [nam nec Faunum conſuleret, ſi eam Turno ante promiſiſſet:] ſed tantum eum eſſe generum Amata cupiebat: quod etiam legimus VII. 56. *Quem regia conjux Adjungi generum miro properabat amore.*

32. QUI ME CASUS. Excuſat Turnum, ut non ipſius videatur eſſe, quod victus eſt; ſed ſuum, [55] qui auſus eſt contra generum bella ſuſcipere.

33. PRIMUS. Praecipuus, [56] [ante omnes.]

34. BIS MAGNA VICTI PUGNA. Semel, [57] cum eſt occiſus Mezentius; iterum, cum interiit Camilla.

VARIORUM.

ipſe noſter lib. IX.

Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva.

libro tamen XI. Aen.

Nec parva ſequetur
Gloria delectos Latio & Laurentibus agris.

Silius lib. XIII.

Quaere in Laurentibus arvis
Qui nunc prima locant melioris moenia Trojae.

HEINS.

25. SINE ME. *Me* deeſt Franciano. *fata* idem. *ſine me haud mollia* alter Menagii, & Zulichemius, & Leidenſis. vide Donat. ad Terent. Hecyr. V. I. 17. & 18. *haec* etiam deeſt Ed. Venet. *haud haec* Dorvil. *me haud haec* duo Menteliani & Hamburgici.

26. SIMUL HAEC ANIMO HAURI. *Simul hoc* Mediceus, Menteliani, aliique complures. & recte. τὸ *haec* ſuperiori verſu praeceſſerat. tolle incongruam repetitionem. aliter tamen apud Nonium Marcellum in *haurire*. HEINS. *Hoc* Francianus. *animo haec ſimul* Ed. pr. de *haurire* vid. Sil. Ital. VIII. 135. *fatis* alter Mentelii & Zulichemius a manu

47 attentione Steph. 48 deſunt L. Voſ. R. Steph. Dan. 49 deſunt R. 50 hoc intereſt Dan. Fabr. 51 me Dan. Fabr. 52 deeſt L. Voſ. R. Steph. al. 53 nam Latinus nunquam eſt Turno pollicitus Dan. numquam eam eſt T. pollicitus Voſ. nam ante Latinus nunquam eam Turno promiſerat Baſil. 54 deſunt R. 55 quia Steph al. 56 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 57 occiſo Mezentio Dan.

35 Spes Italas: recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties? quae mentem insania mutat?
Si Turno exstincto socios sum adscire paratus;
Cur non incolumi potius certamina tollo?
40 Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia; ad mortem si te (Fors dicta refutet)
Prodiderim, natam & conubia nostra petentem?
Respice res bello varias: miserere parentis
Longaevi, quem nunc moestum patria Ardea longe
45 Di-

SERVII.

35. [58] [RECALENT. Pro, *calent*: RE enim superflua compositio est verbi: aut *recalent*, iterum calent dixerit, magna quod bis victi pugna: RE enim iterationis obtinet vicem: & bene necessarium cum actu refert.]

36. ALBENT. Usurpavit verbum, *albeo*, *albes*.

37. INSANIA MUTAT. *Insania* enim est, illuc reverti, unde vix evaseris.

38. [59] [SOCIOS SUM ADSCIRE PARATUS. Bene non adjecit quos, ut levaret invidiam.]

39. TOLLO. Finio, removeo, ut VIII. 439. *Tollite cuncta*, *inquit*.

41. FORS DICTA REFUTET. Parenthesis, [60] [quasi dissimulatio: vel remotio,] plena abominationis.

42. NATAM, ET CONNUBIA NOSTRA PETENTEM? Iniquissimum enim est, eum morti tradere, qui tuam affinitatem [61] exoptet.

43. RESPICE RES BELLO VARIAS. Ne eum ignaviae videatur arguere, [62] admonet eum casuum, ut supra 21. *Atque omnes metuentem expendere casus*.

44. MOESTUM PATRIA ARDEA LONGE DIVIDIT. *Longe moestum*, id est, valde moestum: [63] nam *longe dividit*, non procedit: non enim Ardea a Laurento longo valde dissidet spatio.

45. [64] [HAUDQUAQUAM. Nequaquam: quia supra 43. dixerat: *ultro inplacabilis*.]

VARIORUM.

manu secunda. *fata* Venetus.

27. ME NATAM. A pronomine incipientes sera quidem, sed vera promittere notat Donatus ad Terent. Andr. II. I. 30. hoc loco prolato.

28. FAS ERAT. *Erit* Excerpta nostra.

29. COGNATO SANGUINE. Imitari Virgilium Imperatores in l. VI. Cod. Theod. de indulgentiis criminum, notavit Gothofredus & aliis exemplis illustravit.

31. ARMA. Alii *ac*, alii *atque arma*. neutrum bene. tollenda nimirum conjunctio, sic jubentibus exemplaribus praestantioris notae plerisque. de quo jam dictum alibi. duo aut tres scripti *generoque arma impia sumpsi*. *arma impia* biatu relicto etiam Giphanius Ind. Lucret. p. 463. HEINS. *Generoque arma* Francianus, Edd. pr. & Mediol.

32. SEQUANTUR. *Sequentur* Oudartii & Zulichemius. *sequuntur* Francianus.

33. PATIARE. *Patiere* Mediceus & Oudartii. *quantus pr. patiere* Parrhas.

36. ALBENT. *Implent* Hugenianus. male. v. Amm. Marc. XXXI. 7. *ad hunc* Mediceus.

37. QUO. *Quid* secundus Rottendorphius. *referens* Sprotianus. *refero mentem totiens*, *quae* Zulich. a manu prima. *referor* a secunda. *motat* Sprotianus. *mutet* alter Hamburgicus. *versat* Menagii prior. *cepit* Hugenianus.

38. ACCIRE. *Adscire* cum nostris & Pierianis potiori-

58 desunt R. L. Vos. Steph. al. ex hoc loco Davisius apud Ciceron. II. de Divinat. 9. rescribit *terram fumare recalentem*, ut in Mss. invenit. Stat. IV. Theb. 671. *longe recales furor*, ubi in Servio emendat, *cum actum refert* Barthius. 59 desunt iisdem. 60 desunt L. R. Steph. al. vel remo * Dan. 61 exoptat Steph. al. supportat R. 62 admonet casum Steph. admonet casuum R. L. Vos. Basil. 63 deest Dan. Fabr. immo procedit, si patri videatur longe divisus, licet non longe revera abesset. & ita cepit etiam Dorvillius. 64 desunt L. Vos. R. Steph. al.

45 Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exsuperat magis, aegrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, letumque finas pro laude pacisci.
50 Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.
Longe illi Dea mater erit, quae nube fugacem
Feminea tegat, & vanis sese occulat umbris.
At regina, nova pugnae conterrita sorte,

55 Fle-

SERVII.

46. AEGRESCITQUE MEDENDO. Inde [65] magis ejus aegritudo crescebat: unde se ei Latinus remedium sperabat afferre. MEDENDO autem, dum ei medetur, & medicina affertur: nam gerundi modus est a passiva significatione.

47. UT PRIMUM FARI POTUIT. Nimius enim dolor vel iracundia intercluserat ei vocem: sic de Euandro XI. 151. *Et via vix tandem laxata dolori est.*

48. QUAM PRO ME CURAM GERIS, HANC PRECOR, OPTIME, PRO ME DEPONAS. Bis quidem ait *pro me*, sed diversa affectione: namque haec dicit: Quam pro salute mea solicitudinem geris, hanc pro mea fama & [66] gloria quaeso derelinquas: [67] [vir fortis enim gloriosam mortem praeponit saluti.] [68] [Lucanus IX. 275. *Cur non majora mereri, quam vitam veniamque libet?* Et Cicero: *Antiquiorem mortem turpitudine haberi.*]

50. DEBILE FERRUM. Sic in secundo 544. *Telumque imbelle sine ictu Conjecit.*

51. NOSTRO DE VULNERE. Quod nos inferimus: & dubie est locutus.

52. LONGE ILLI DEA MATER ERIT. Contra illud: *Sed matris auxilio utitur:* [69] [unde est inf. 107. *Maternis saevus in armis.*]

54. NOVA SORTE. Id est, magna: nam novum non est, quod fuerat ante promissum. *Magnam* autem *sortem* vocavit singulare certamen.

VARIORUM.

tioribus. adeantur que annotamus lib. XI. 308. HEINS. *Turni exstinctu* Zulichemius a manu prima. *Turno exterrito socios accire* Francianus. *accire* etiam Ed. pr. & Ald.

39. INCOLUMI. *Incolomi* Parisiensis.

40. DICET. *Dicent* Gudianus a manu secunda. eleganter. HEINS. *Discet* Menagii prior.

41. FORS. *Sors dicta resignet* Zulichemius a manu prima. *sors* etiam tertius Rottendorphius. *fors dura* Montalbanius. *perdiderim* Bigotianus.

42. PRODIDERIM. *Perdiderim* Ed. pr.

43. BELLO. *Belli* Menagii prior.

45. HAUDQUAQUAM. *Haudquicquam* Moretanus secundus, & Florentina Juntarum editio. nec aliter Schefferianus. HEINS. Ita & alii & Edd. pr. & Mediol. ironiam in *optime* notat Barth. ad Stat. I. Theb. 652. *Haudquamquam* Gudianus a manu prima.

46. AEGRESCITQUE MEDENDO. *Tuendo* scriptum est in vetere libro Colotiano. URSIN. *Ardescitque tuendo* Mediceus. HEINS. Tuetur vulgatam Lutatius ad Stat. I. Theb. 400. *aegr. videndo* Ed. pr.

47. SIC INCIPIT ORE. Ita Mediceus & Venetus, cum Schefferiano. caeteri nostri & Pieriani *institit*. quod amplector. Valer. Flac. lib. I.

Visa coronatae fulgens tutela carinae
Vocibus his instare duci.

apud Silium Italicum lib. VII.

Dum-

65 majus Vos. magna Steph. Dan. Fabr. 66 gratia Basil. 67 desunt Basil. 68 desunt omnibus, & unde habeat Masvicius nescio 69 desunt L. Vos. R. Steph. Dan. al.

55 Flebat; & ardentem generum moritura tenebat:
Turne, per has ego te lacrimas, per si quis Amatae
Tangit honos animum: (spes tu nunc una, senectae
Tu requies miserae: decus imperiumque Latini
Te penes: in te omnis domus inclinata recumbit)
60 Unum oro: desiste manum committere Teucris.
Qui te cumque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent. Simul haec invisa relinquam
Lumina, nec generum Aenean captiva videbo.
Adcepit vocem lacrimis Lavinia matris,

65 Fla-

SERVII.

57. PER SI QUIS AMATAE TANGIT HONOS ANIMUM: Si, [70] quod te regina rogat, tuam commovet mentem; &, si quem honorem habes Amatae. Sic in septimo 401. *Si qua piis animis manet infoelicis Amatae Gratia.*

59. IN TE OMNIS DOMUS INCLINATA RECUMBIT. Totum digessit ante per species, & sic se contulit ad generalitatem: [71] [& est a ruina translatio.]

60. MANUM COMMITTERE TEUCRIS. Ab omni eum bello, non tantum a singulari certamine, dehortatur.

62. ET ME, TURNE, MANENT. Mire agit: nam quia scit suam mortem virum fortem facile posse contemnere, deterret eum, dicens, se simul esse morituram; ut, qui periculum non timet, formidet invidiam.

63. [72] [NEC GENERUM AENEAM CAPTIVA VIDEBO. Mire & fidem suam & studium circa Turnum expressit.]

64. ACCEPIT VOCEM. Ordo est: Accepit vocem matris Lavinia.

VARIORUM.

Dumque haec aligeris instat Cytherea, sonabat
Omne nemus gradiente Dea.

Gellius lib. I. Noct. Attic. cap. 23. *Puer Papirius in medium Curiae progressus, quid mater audire institisset denarrat. incipit* tamen hoc loco Donatus etiam agnoscit ad Terentii Hecyram Act. V. Sc. I. 18. HEINS. *Se institit* Francianus.

48. CURAM. *Caussam* Parrhas.

51. NOSTRO DE VULNERE. Id est, quod nos inferimus. vid. Barth. ad Stat. V. Theb. 565.

52. QUAE NUBE. *Quem in urbe* Ed. pr. v. Matt.

54. NOVA. *Novae* duo Moretani.

Ibid. CONTERRITA. *Perterrita* tertius Rottendorphius a manu secunda. mox *moritura monebat* Montalbanius.

57. SPES TU. *Te* alter Hamburgensis.

60. TEUCRIS. Plurali utitur, cum de uno agatur. vide Donatum ad Terentii Andr. Prol. 8. & ad Hecyr. II. I. 33. *oro unum* Parrhas. *Teucri* vero pro *Teucro* positum observat Servius Fuldensis ad II. Aen. 19. *manum* autem pro *manus* saepe ponit Virgilius. vid. IX. 44. 690. X. 876. Senec. de Provid. III. *alius circumspicitur, cum quo conferre possimus manum.* vid. ad Calpurn. VI. Ecl. 21.

64. ACCEPIT. Heinsius malebat *Excepit.* sed Terentius Hecyr. IV. IV. I. *quem cum isthoc sermonem habueris procul hinc stans accepi.* & III. III. 3. *accipere auribus* dixit. & ita alii.

66. PER

70 quod a te Basil. quod irrepsit quia in MS. *qui a te* legitur, pro *quia te.* ut in R. & Vos. 71 desunt Dan. Fabr. 72 desunt L. Vos. R. Steph. al.

65 Flagrantis perfusa genas: cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba rosâ: talis virgo dabat ore colores.
70 Illum turbat amor, figitque in virgine vultus:
Ardet in arma magis, paucisque adfatur Amatam:
Ne, quaeso, ne me lacrimis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater: neque enim Turno mora libera mortis.

75 Nun-

SERVII.

65. FLAGRANTES PERFUSA GENAS. [73] Id est, lachrymis perfusas genas habens. Statius III. 200. *Et gemitu moestos imitata parentes.*

66. IGNEM SUBJECIT RUBOR. Hypallage est, pro, cui ignis animi subjecit ruborem: movebatur autem, intelligens se esse tantorum caussam malorum. Sicut supra ipse XI. 480. *Caussa mali tanti, atque oculos dejecta decoros:* [74] [nam quo ea formosior inducitur, eo magis Turnus ardet; ut sequentia indicant.]

67. VIOLAVERIT OSTRO SI QUIS EBUR. Homeri comparatio: unde & *violaverit*, transtulit: ille enim ait Iliad. Δ. 141. *Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ.*

68. MIXTA RUBENT UBI LILIA MULTA ALBA ROSA. Aut ubi multa alba lilia permixta rubent rosa, id est, rosae conjunctione: naturaliter enim omnis candor vicinum in se trahit ruborem.

70. ILLUM TURBAT AMOR. Invenit occasionem, qua Turnus magis moveretur in bellum.

74. NEQUE ENIM TURNO MORA LIBERA MORTIS. Duplex hoc loco est expositio: aut enim ordo est: Ne quaeso, mater, ne me lachrymis, id est, tanto mortis omine, prosequaris, ad duri Martis certamina proficiscentem: neque enim Turno mora libera est non eundi, post jam promissum singulare certamen. Aut certe hoc dicit: Noli me, mater, ad bellum euntem ominosis lachrymis prosequi: *neque enim Turno mora libera mortis*, id est, neque enim [75] in potestate mea est, moram [76] inferre venientibus fatis; ac si diceret: [77] Si imminent fata, periturus sum: etiam si minime ad bella proficiscar. Sciendum tamen est, locum hunc unum esse de insolubilibus [78] XII. quae habent obcuritatem; licet a multis pro captu resolvantur ingenii.

VARIORUM.

66. PER ORA. *Per ossa* alter Vossianus & Schefferius. HEINS. Ita & Bigotianus, Dorvill. a m. pr. & Ed. Venet.

68. VEL MIXTA RUBENT. *Aut mixta* libri veteres, si duo Rottendorphii Venetusque excipiantur. quod inscite interpolarant homines nugaces. HEINS.

70. TURBAT. *Tardat* Bigotianus. *vultum* Sprotianus. *in vulnere vulnus* a manu prima.

72. NE, QUAESO. *Te quaeso* Zulichemius, Ed. pr. *nec* Venetus. *ne me omine* Parrhas.

Ibid. TANTO. *Duro* Sprotianus.

73. DURI. *Diro certamine* Oudartii. *diri certamina* prior Hamburgicus. vid. ad lib. X. 146. mox *Turno est* idem & a manu secunda, *libera Martis.* ut & prior Hamburgicus. Ovid. II. Met. *non est mora libera nobis.*

75. ID-

73 lacrimis perfusas Statius Dan. Statius deest L. Vos. R. *gemitu aestus* R. *& gemit* Fabr. in Statio legitur, *gemituque metos aequasse parentes.* 74 desunt L. Vos. R. Steph. Dan. 75 potestatis meae Dan. 76 facere Basil. 77 sibimet periturus sum R. si imminet periturus L. Vos. fata deest etiam Basil. 78 XIII. Vos. R.

75 Nuntius haec Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer. Cum primum crastina coelo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos: Teucrûm arma quiescant,
Et Rutulûm. Nostro dirimamus sanguine bellum.
80 Illo quaeratur conjunx Lavinia campo.
Haec ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit,
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementis:
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyïa:
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
85 Circumstant properi aurigae, manibusque lacessunt

Pecto-

SERVII.

76. CUM PRIMUM CRASTINA COELO PUNICEIS INVECTA ROTIS. Hoc loco aviditas pugnaturi exprimitur. Sane nunc non dicit oriri diem; sed designat tempus, [79] quo vult ut ad singulare certamen uterque procedat.

79. NOSTRO DIRIMAMUS SANGUINE BELLUM. Bene se omnibus commendat hoc dicto: siquidem suum sanguinem pro omni bello dicit posse sufficere.

82. POSCIT EQUOS, GAUDETQUE TUENS ANTE ORA FREMENTES. Solent enim ex equorum vel moestitia, vel alacritate, eventum futurum dimicaturi colligere.

83. PILUMNO QUOS IPSA DECUS DEDIT ORITHYIA. Ait Horatius in Arte poëtica 339. *Nec quodcumque velit, poscat sibi fabula credi.* Unde [80] Critici culpant hoc [81] loco Virgilium, dicentes incongruum esse figmentum. Namque Orithyïa cum Atheniensis [82] fuerit, filia Terrigenae, & a Borea in Thraciam rapta sit, [83] quemadmodum potuit Pilumno, qui erat in Italia, equos dare? DECUS DEDIT. Ad ornamentum, ut XI. 657. *Quas ipsa decus sibi dia Camilla Delegit.* Sane hic versus σπονδειάζων est: nam θυι, diphthongus Graeca est.

84. QUI CANDORE NIVES ANTEIRENT, CURSIBUS AURAS. [84] Homeri versus, verbum ad verbum, Iliad. K. 437. Λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὅμοιοι.

85. PROPERI AURIGAE. Festini, veloces: & erit nominativus *hic properus*. *Aurigas* autem, pro agasonibus posuit: nam *aurigae*, [85] proprie sunt currus regentes.

VARIORUM.

75. IDMON. *Agmon* Venetus. *mea dicta* imitatione Catulli, qui Carm. IX. *Pauca nuntiate meae puellae non bona dicta*, a Marone haec posita notat nuperus Interpres Vulpius. *refert* nonnulli codices.

77. RUBEBIT. *Rubescet* Parrhas.

78. TEUCRUM ARMA QUIESCANT, ET RUTULUM. NOSTRO DIRIMATUR. Reponendum *dirimamus*, idque ex auctoritate praestantiorum codicum, qui sic prae se ferunt. *Rutuli* etiam scripti, excepto optimo Menagiano, quem sequor. HEINS. *Teucra arma* Leidensis a manu secunda. *quiescent* alter Hamburgicus. *quiescunt* alter Menagii. *Rutili* Leidensis, Zulichemius, tertius Mentelii, & duo Rottendorfii. *dirimatur* Ald.

81. RAPIDUSQUE. *Trepidusque* Menagii prior.

82. POSCIT. *Pascit* Hamburgicus a manu secunda.

79 quod vult Comm. Emmen. quo vult ad sing. cert. procedere L. ut & uterque desunt R. 80 cretici Vos. R. 81 deest L. 82 Heinsius legebat, fuerit Erechthei filia terrigenae. Terrigenam fuisse ex Herodoto probat Meursius in Reg. Att. II. 7. 83 quomodo Dan. 84 Homeri est, verbum L. 85 posuit qui sunt R.

Pectora plausa cavis, & colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensemque clipeumque, & rubrae cornua cristae:
90 Ensem, quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quae mediis ingenti adnixa columnae

Aedi-

SERVII.

87. ALBOQUE ORICHALCO. Apud majores *orichalcum* pretiosius metallis omnibus fuit: namque, sicut Lucretius dicit: Cum primum homines sylvas incendissent, nullarum adhuc rerum periti, [86] terra casu fertilis omnium, ex incendii calore desudavit metalla, inter quae *orichalcum* pretiosius visum est; quod & splendorem auri & aeris duritiem possideret. Namque de auro primum securis facta displicuit caussa mollitiei: simili ratione & argenti contemptus est usus; mox [87] aeris: inde *orichalcum* placuit, donec veniretur ad ferrum: unde etiam [88] secula ita dicuntur fuisse divisa. *Orichalcum* autem fuisse pretiosum [89] etiam Plautus docet, qui ait in [90] Milite glorioso: *Ego istos mores orichalco contra comparem.* ALBOQUE ORICHALCO. Auri scilicet comparatione: nam [91] [per se] album non est.

88. CIRCUMDAT LORICAM HUMERIS. Non armatur hoc loco, sed explorat, utrum arma apte & congrue ejus membris inhaereant. APTAT HABENDO. Ad habendum, ut congrue possint inhaerere.

89. CORNUA CRISTAE. Id est, comas, quas Graeci κόραια [92] nominant: unde & κείρειν dicunt *tondere*. *Cornua* autem, proprie sunt *cincinni*.

90. DEUS IPSE PARENTI FECERAT. Ac si diceret, non per ministros. Statius II. Theb. 275. *Sed plurimus ipsi Sudor* [93] *ibi*. Et notandum, [94] quam affectate variaverit, ut Aeneae uno loco arma describeret; Turni vero hic hastam, & gladium & loricam; in octavo autem scutum & galeam.

91. STYGIA UNDA. Quasi immortalem fecerat.

92. EXIN. Deinde: nam ordinis est adverbium. INGENTI ADNIXA COLUMNAE. Hastae per columnam exprimitur magnitudo, sicut in septimo 275. equorum, ut: *Stabant* [95] *tercentum nitidi in praesepibus altis.*

VARIORUM.

cunda. *gaudensque* secundus a m. pr.

83. ORITHYIA. *Orycyia* Mentelii prior.

84. CURSIBUS AURAS. Commentator Cruquianus Horatii lib. I. Sat. VII. 8. *cursibus amnes* exhibet. *quo candore* alter Hamburgicus.

85. CIRCUMSTANT PROPERI. *Et circum properi* secundus Moretanus. HEINS. Eadem varietas infr. ℣. 573. vid. ad Ovid. III. Amor. VI.

86. PECTORA PLAUSA. Ita scripti. solus Menagianus prior cum Gudiano *pulsa*. perperam. diximus ad Nasonem II. Metam. HEINS. *Pulsa* etiam Bigotianus & Ald. *clausa* alter Hamburgicus & Ed. pr.

87. ORICHALCO. Ita semper scribendum docet lex metri. v. Erythr. Ind. & notas ad Sueton. Vitell. cap. V. & ad Valer. Flac. III. 61.

88. HABENDO. *Habenas* Zulichemius. *Ensemque & clypeumque* idem. *ensemque & clypeum, &* Editio Juntina. vulgatam agnoscit Lutatius ad Statii III. Theb. 587. & unice vera est. *habere* enim de vestibus armis & aliis, quae corpore gerimus, solet dici. imitatus Maronem Valer. Flac. VI. 174. *Ipsaque Pallas, aegide terrifica, quam nec dea lassat*

86 terra jam casu L. ubi hoc dicat Lucretius non inveni. silvas cum semina ignis terendo confluxere, creare incendia silvis dicit, I. 901. 87 deest Steph. 88 deest Vos. 89 etiam s. p. Plautus Dan. 90 in Plauti Milite Act. II. 2. 64. legitur, *cedo tres mihi homines, aurichalco contra cum istis moribus.* 91 desunt L. Vos. R. Steph. al. 92 nominabant L. R. Steph. 93 *ibat*, quod Steph. Dan. & alii habent, peccat in metrum. nec in Statio legitur. sed post *sudor*, novo sensu sequitur. *ibi* &c. & ita legitur in R. & Fabr. & al. in L. & V. *ib.* 94 quod L. Vos. R. Steph. al. 95 trecenti L. Steph.

Aedibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium: quassatque trementem,
95 Vociferans: Nunc, o numquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit. Da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revolsam

Semi-

SERVII.

93. VI. Virtute.

94. ACTORIS AURUNCI SPOLIUM. [96] Vel quod Actori detraxerat Turnus: vel quod Actor cuidam alteri: nam ambigue [97] posuit. QUASSATQUE TREMENTEM. Quassat, & tremere facit.

95. VOCIFERANS. Haec scilicet, quae dicturus est: plerumque enim ita clamor ostenditur, ut statim ipsius clamoris verba subdantur: sic supra VII. 399. *Torvumque repente Clamat: io matres.* Sane nunc ita ad hastam, quasi ad aliquam personam loquitur, & ei intellectum & auditum dat, [98] sicut Cicero in Catil. verba reipublicae; sed ille ait: *Si patriam loqui posset fieri;* Turnus vero, quasi ad virum sentientem loquitur: nec immerito: nam eum inducit furentem, ut: *His agitur furiis, totoque ardentis ab ore Scintillae absistunt, oculis micat acribus ignis.* VOCATUS HASTA MEOS. [99] Invocationes & preces: nam appellatio est a verbo, quae semper [1] [aut in IO exit,] aut in US; si in IO exeant, tertiae sunt formae; si in US, quartae: ut ab eo, quod est *lego*, aut *lectio*, aut *lectus* facit. Sed hoc nos dicimus, quod εὐφωνότερον [2] fuerit: sicut nunc ab eo, quod est *voco*, [3] *vocatus* fecit, non *vocationes*. TE MAXIMUS ACTOR. Subaudimus, antea [4] gerere consueverat.

97. NUNC TURNI DEXTRA GERIT. [5] Ejus scilicet, qui quasi supra maximum est Actorem. DA STERNERE. Figura Graeca, ut v. 262. *Donat habere viro.* Item v. 248. *Dat ferre talentum.*

98. LACERARE REVULSAM. Ut laceratam revellam. Laceratam autem, propter illud XI. 9. *Et bis sex thoraca petitum Perfossumque locis.*

VARIORUM.

lassat habendo. ubi vide notata. *aptare habendo* nostrates dicerent *aenpassen.* ita Servator vetuit Apostolos δύο χιτῶνας ἔχειν Luc. IX. 3. ubi non prohibet, possidere duas tunicas, sed gerere, induere, ut Marc. VI. 9. ἐνδύσασθαι vocat. *habendo* ea forma dictum ut supra 64. *aegrescitque medendo*, & II. Georg. 156. *lentescit habendo.* vid. ad I. Georg. 3.

89. ENSEMQUE. Deest hic versus Parrhas. *Ensemque & clypeum &* Ed. pr.

91. TINXERAT. *Intinxerat* Montalbanius. *finxerat* Venetus a manu prima.

92. QUAE IN MEDIIS. *Quae mediis* scripti omnes. *obnixa columnae* prior Moretanus. multi *adnixa columna.* HEINS. *Ex hinc* duo Moretani & Ed. pr.

93. CORRIPIT. *Corruit* Bigotianus.

94. AURUNCI. *Arunci*, non *Aurunci*, Turno scilicet vel patria vel cognatione conjuncti, legit eodem Poëta Juvenalis, qui hoc distichum transcripsit. FABRIC. Hemistichion hoc apud Juvenalem Sat. II. occurrit, qui *Aurunci* agnoscit in plerisque membranis. idem *Aurunca alumnus* Sat. I. & ita id nomen passim in Maronis, Livii ac Silii Italici codicibus venerandae vetustatis exaratum offendas. atque ita superius jam ter quaterve refinximus. *Suessa Aurunca* Vellejo Paterc. lib. I. & apud Agrimensores antiquos non uno loco in vetustis membranis. Silius lib. IV. 518.

Volat aggere aperto
Degener haud Gracchis consul, quatit aura comantes

Cassi-

96 vel Actori R. Steph. 97 est positum Dan. Fabr. 98 sicut Cicero verba reipub. sed ille ait, si posset fieri L. Vos. R. Steph. al. in R. est sed illa, ait, si posset fieri. verba dat patriae Cicer. I. Cat. VII. & seq. & XI. sed *si posset fieri* nondum reperi. sed *tacitam loqui* dicit. 99 invocationis meae preces. 1 aut in tio L. Vos. exeunt L. Vos. desunt R. 2 deest L. Vos. R. est Basil. Euphonia dictat L. 3 vocatus potest non invocatio Dan. 4 agere Vos. Dan. Fabr. 5 ejus qui est supra maximum quasi Actorem Steph. & L. R. Vos. Basil. sed deficit *Actorem.*

Semiviri Phrygis, & foedare in pulvere crinis
100 Vibratos calido ferro, myrrhaque madentis.
His agitur Furiis. Totoque ardentis ab ore
Scintillae absistunt: oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cum prima in proelia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat,
105 Arboris obnixus trunco; ventosque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam proludit arena.

Nec

SERVII.

100. VIBRATOS CALIDO FERRO. Crispatos calamistro: nam *calamistrum*, est acus major, quae calefacta [6] adhibita intorquet capillos: unde etiam Cicero pro Sext. VIII. *calamistratam comam* [7] appellat frequenter, quae etiam vituperationi est: unde & contra ad laudem est positum ab Horatio I. Od. 12. *Hic & incomptis Curium capillis:* [8] [& Ovidio VI. Fast. 264. *Intonsi regia magna Numae.*] MYRRHA autem MADENTES, Unguentatos.

102. OCULIS MICAT ACRIBUS IGNIS. [9] Ut supra dictum est, furoris immanitate. Homeri est Iliad. A. 104. Ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην.

104. TERRIFICOS CIET. Nomine: &] hinc apparet, *mugitus* non tantum dolentum esse, sed etiam irascentum. CIET autem, modo dat, sicut [10] in VI. 468. *Lenibat dictis animum lachrymasque ciebat:* nam proprie *ciere*, est [11] alteri aut dolorem, aut lachrymas commovere.

106. AD PUGNAM PROLUDIT. Praemeditatur. Cicero Divinat. [12] *Sin mecum in hac prolusione nihil fueris,* [13] [id est, praemeditatione certaminis?] *quem te in ipsa pugna cum acerrimo adversario fore putemus?*

VARIORUM.

Cassidis Auruncae cristas.

quomodo castigandus is locus. idque ex auctoritate veternmi codicis. vulgati perperam *Degener haud Gracchus*, & *Cassidis auricomae.* sed pluribus hunc Silii locum jam illustravi in Adversariis lib. II. cap. XI. HEINS. *Arunci* Dorvil. Ed. pr. & Mediol.

96. NUNC TEMPUS ADEST. Lege *nunc (tempus) ades.* sic apud Statium Theb. X. ℣. 548. Capaneus, — *ades o mihi dextera tantum, Tu praesens bellis & inevitabile numen.* HEINS. *Maximus auctor* nonnulli codices.

98. LACERARE. *Celebrare* alter Menagii. an *tenebrare?*

99. SEMIVIRI. *Semiferi Phrygii* Zulichemius a manu prima.

Ibid. FOEDARE IN PULVERE. Vid. lib. X. 832.

100. VIBRATOS. *Crispatos* pro diversa lectione Moretanus quartus. deinde *murraque madentis* Mediceus cum priore Menteliano. HEINS. *Mirra* duo Leidenses, prior Menagii, & Excerpta nostra. *vibratos* Interpres Horatii I. Sat. II. 98. agnoscit, & alterum est glossatoris. sic recte vir doctus apud Auson. in Mosella 236.

Aut frontis ad oram
Vibratos captat digitis extendere crines.

probat in Observ. Misc. Crit. Vol. X. Tom. II. pag.

6 & adhibita Steph Dan. Fabr. al. calamister frequentius dicitur. sed *calamistra* etiam Samonicus cap. VIII. 7 mosim, appellat, quae etiam frequenter. 8 desunt L. Vos. R. Steph. Dan. al. 9 desunt L. Vos. R. qui nihil habent nisi, *Homeri est* Steph. al. addunt Graeca verba, sed priora ut supr. ignorant. contra Daniel haec habet, sed *Homeri* &c. omittit. 10 in tertio legimus *Lacrimasque ciebant* R. Vos. Steph. al. & L. nisi quod *ciebat.* sed falsa lectio; ibi enim ℣. 344. legitur, *longosque ciebat incassum fletus.* 11 deest L. Dan. Fabr. 12 si L. Vos. R. Steph. al. 13 haec verba male ut Ciceronis eodem charactere dederunt plurimi. sed in Fabr. recte ut glossatoris parenthesi includuntur, nec in Ciceronis codicibus leguntur. in L. Vos. R. Steph. al. adjecta sunt, ut Servii explicatio τῶ prolusionis, & reliqua, *fueris, quem te,* desiderantur. BURM.

Nec minus interea maternis ſaevus in armis
Aeneas acuit Martem, & ſe ſuſcitat ira,
Oblato gaudens conponi foedere bellum.
110 Tum ſocios, moeſtique metum ſolatur Iuli,
Fata docens: regique jubet reſponſa Latino
Certa referre viros, & pacis dicere leges.
Poſtera vix ſummos ſpargebat lumine montis

Orta

SERVII.

107. SAEVUS. Fortis: more ſuo; vel magnus. Et ingentem moderationem dat Aeneae: quippe quem inducit laborantem, ut poſſit in iram moveri; cum Turnum ita dicat furere, ut nec Latini conſiliis, nec Amatae precibus poſſit obedire.

108. ACUIT MARTEM. Irritat ſe ad futura certamina.

109. COMPONI FOEDERE BELLUM. Finiri. Ut I. 374. *Ante diem clauſo componet veſper Olympo.* [14] [aut *componi bellum*, ad pactionem ſingularis certaminis bellum deduci. *Foedus* autem, ſicut ſupra VIII. 641. dictum eſt, ab hoſtia, quae foede interimi ſolet, appellatum eſt. *Oblato* autem *gaudens*, intelligendum nuntium Aeneae veniſſe de bello.]

110. TUM SOCIOS MOESTIQUE METUM SOLATUR IULI. [15] Intelligimus, hos ſpe ſingularis certaminis pro ducis ſalute eſſe turbatos. [16] [Bene autem ſeparavit Aſcanium a ſociis: de illis enim *ſocios* dixit, non addidit metum: quia proprium erat & filii, & pueri, timere pro patre.

111. FATA DOCENS. Monens quibus condenda urbs ſit, quid futurum, ut vincat.] LATINO CERTA REFERRE VIROS. Κατὰ τὸ σιωπώμενον etiam [17] Latinum ad Aeneam legatos miſiſſe intelligimus: nam ſupra Turnus tantum dixerat 75. *Nuntius haec* [18] *Idmon Phrygio mea dicta Tyranno.* [19] [CERTA autem, pro, firma & vera; aut certe hos legatos Idmoni adjunctos poteſt intelligi.]

112. PACIS DICERE LEGES. Id eſt, quas paulo poſt in ipſo foedere eſt dicturus Aeneas.

113. [20] [POSTERA VIX SUMMOS. Deſcriptio temporis, quod Turnus praefinierat.

VARIORUM.

pag. 188. BURM.

101. ARDENTIS. *Loquentis* Macrobius lib. IV. Saturn. cap. I. quomodo & Moretanus tertius. HEINS.

102. ABSISTUNT. *Exiſtunt* Leidenſis & Parrhaſianus. *abſiliunt* alter Hamburgicus. & pro varia lectione Oudartii & Ed. pr. Lambinus ad Lucret. III. 292. citat, *micat acribus ardor. abſiſtunt ſcintillae* Sprotianus.

103. PRIMA. *Primum* Mentelianus uterque & alii nonnulli, cum Pierianis pleriſque. HEINS. Et Dorvil. Leidenſis & Ed. pr.

104. ATQUE IRASCI IN CORNUA TENTAT. Iidem codices, *aut iraſci in cornua tentat*, quod Mediceus a manu ſecunda confirmat. ſed aliter in Georgicis ſupra habuimus ℣. 71. *ardet in arma magis*. HEINS. *Aut* Zulichemius & Leidenſis & Excerpta noſtra & Ed. pr.

105. OBNIXUS. *Adnixus* Hugenianus. *obniſus* Mentelii primus.

106. ET SPARSA. *Aut ſparſa* ex ſcriptis omnibus. HEINS. *Aut* Mediceus & Pariſ. & Parrhaſ. *Actibus* Zulichemius a manu prima. *aut ſ. pugna* Sprotianus, Dorvil. qui & *praeludit*. ut etiam Vratiſlavienſis, Guell. Ed. Venet. ſed male utrumque dici contendunt viri docti. vide quae dixi ad Rutilii Iter 257. ubi tamen Gronovium *praeludere* praeferre, vitio memoriae notavi, quum ille in *proludere* magis inclinat, ut & Cl. Dukerus ad Flor. IV. 2. ubi vid. quibus facile accedo. in primis quia Varro lib. v. de LL. p. 55. dicit, *Pro idem valet, quod ante, ut in hoc, proludit*.

108. MARTEM. *Mentem* Venetus.

112. CER-

14 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 15 intellegamus Dan. Fabr. 16 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 17 ad Latinum Aeneam Dan. Steph. 18 deeſt L. Voſ. R. Steph. 19 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 20 deſunt iiſdem ad ℣. 114.

Orta dies; cum primum alto se gurgite tollunt
115 Solis equi, lucemque elatis naribus efflant;
Campum ad certamen magnae sub moenibus urbis
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos, & DIs communibus aras
Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,

120 Ve-

SERVII.

114. CUM PRIMUM ALTO. Quia res perturbatae secuturae sunt, diem quoque cum fervore oriri fecit.]

115. LUCEMQUE ELATIS NARIBUS EFFLANT. Ennianus versus est, ordine commutato: ille enim ait: *Funduntque elatis naribus lucem.* Et sciendum nunquam diem sic potenter descripsisse Virgilium: [21] sicut in quarto 522. noctem, ubi Dido pervigilans deliberat.]

116. CAMPUM AD CERTAMEN. Totus hic de foederibus locus de Homero translatus est, ubi Alexander [22] Paris cum Menelao singulari certamine dimicaturus est.

117. DIMENSI RUTULIQUE VIRI. Inter se per certa spatia dividentes, quae quisque loca purgaret. Et hoc loco, [23] Fauni lucum evertere Trojani: unde paulo post inf. 770. *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.*

118. FOCOS. Quidquid ignem fovet, *focus* vocatur, sive ara sit, sive quid aliud, in quo ignis fovetur, [24] [sicut in tertio 134. dictum est: tamen & hic in publico sacrificio ostendit, cum *aris* etiam *focos* sacratos: nam ait: *In medioque focos, & Diis communibus aras:* & post subtexuit inf. 285. *Craterasque, focosque ferunt: crateras*, scilicet quibus libaverat; *focos* vero, ad quos legitimum sacrificium perfecerat.] ET DIIS COMMUNIBUS ARAS. *Dii communes* sunt, ut alii dicunt, Mars, Bellona, Victoria: quia hi in bello utrique parti favere possunt. Ut autem altioris scientiae hominibus placet, *Dii communes* sunt, qui ἄζωνοι dicuntur, id est, qui coeli certas non habent partes; sed [25] generaliter a cunctis coluntur: ubique enim eos esse manifestum est: ut Mater Deum, cujus potestas in omnibus zonis est: nam ideo & Mater Deum dicitur, quod cum omnibus est ejus communis potestas. Alii *communes Deos* volunt, Solem, Lunam, Plutonem, Martem: hi enim apud omnes homines inveniuntur, & sunt in omnibus terris. Prior tamen sensus & simplex est, & magis aptus negotio.

119. ARAS GRAMINEAS. Romani enim moris fuerat, cespitem arae [26] superimponere, & ita sacrificare. *Gramineas* autem ideo: quia & de bello res agitur, & Marti sacrificatur, cui *gramen* est consecratum: quod secundum Plinium in Naturali historia ex humano cruore procreatur. *Gramen* autem, herbae species est; licet omnis herba *gramen* vocetur: sicut [27] *robur*, omne lignum; cum sit & species. FONTEMQUE IGNEMQUE FEREBANT. *Fontem*, pro aqua posuit, a toto partem. Sane ad facienda foedera [28] semper aqua & ignis adhibentur: [29] unde & contra, quos arcere volumus a nostro consortio, eis aqua & igni interdicimus, id est rebus, quibus consortia copulantur: [30] [ad haec autem aqua de certis fontibus peti solet.]

VARIORUM.

112. CERTA. *Cuncta* Edit. Juntina Ald.

Ibid. PACIS DICERE LEGES. Vid. ad Ovid. Epist. XII. 39.

113. SUMMOS SPARGEBAT LUMINE MONTIS. *Summo spargebat lumine terras* apud Diomedem Grammaticum libro II. est legere. *summo spargebat lumine montes* uterque Mentelius, duo Rottendorphii, prior Menagius, Sprotianus, Montalbanius, duo Moretani. HEINS. Et ita Regius.

114. ORTA. *Visa* alter Hamburgicus. *tollit* idem. mox *afflant* Venetus.

115. EF-

21 desunt iisdem. 22 deest L. R. Steph. al. 23 Faunieulum L. R. Fauni cum Vos. 24 desunt L. R. Vos. Steph. al. 25 genera cunctis R. 26 superponere Dan. Fabr. 27 robor Voss. rubor R. 28 deest L. R. Vos. Steph. al. aqua & ignis R. Steph. 29 unde & quos Dan. unde e contra, quos L. Vos. R. Steph. al. 30 desunt L. Vos. R. Steph. al.

120 Velati lino, & verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis. Hinc Troïus omnis,

Tyr-

SERVII.

120. VELATI LINO. Atqui Feciales, & Paterpatratus, per quos bella vel foedera confirmabantur, nunquam utebantur *vestibus lineis.* [31] [Adeo autem a Romano ritu alienum est, ut, cum Flaminica esset inventa tunicam *laneam lino* habuisse consutam, constitisset ob eam causam piaculum esse commissum:] unde [32] dicimus errore factum, ut *linea vestis* contra morem adhiberetur ad foedera, quae firma futura non erant. Scimus enim hoc ubique servare Virgilium, ut rebus, quibus [32] denegatur exitus, det etiam infirma principia. Sic in Thracia civitatem condens Aeneas, quam mox fuerat relicturus, contra morem Jovi de tauro sacrificavit. Sic senatum ad privata Latinus convocat tecta, quando ejus non erant firma consilia. Sic paulo post in augurio liberatus cygnus, in fluvium concidit, [33] quia Turnum Rutuli, licet rupto foedere, liberare non potuerunt. Caper tamen & Hyginus hoc loco dicunt, lectionem esse corruptam: [34] nam Virgilium ita reliquisse confirmant: VELATI LIMO. *Limus* autem, est vestis, qua ab umbilico usque ad [35] pedes teguntur pudenda poparum: haec autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est, flexuosam, unde & nomen accepit: nam *limum*, obliquum dicimus: unde & Terentius Eun. III. v. 53. [36] *limis oculis* dicit, id est, obliquis. ET VERBENA TEMPORA VINCTI. *Verbena*, proprie est herba sacra, [37] [ros marinus, ut multi volunt, id est, λιβανωτίς.] sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Feciales & Paterpatratus, foedera facturi, vel bella indicturi. Abusive tamen *verbenas* jam vocamus omnes frondes sacratas, ut est *laurus*, *oliva*, & *myrtus*. Terentius Andr. IV. III. II. *Ex ara hinc sume verbenas:* nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit. [38] [Quidam sane veris proximi herbas, *verbenas* dicunt. Alii certa ligamenta, *verbenas* volunt vocari.]

121. LEGIO AUSONIDUM. Pro, AUSONIDARUM, quod venit ab eo, quod est *hic Ausonida*, sicut *hic auriga:* nam *Ausonis*, generis foeminini est: unde *Ausonidum* facit, quod ut diceret, metri est necessitate compulsus. [39] [PILATAQUE PLENIS. Hoc est, *pilis armata.* Quidam hoc loco *pilata agmina*, non a genere hastarum positum adserunt: nam paulo post dictum inferunt, *Defigunt tellure hastas*; sed *pilata*, densa, spissa, ut implere portas potuerint, & postea se in loca apertiora diffundere. Alii *pilatum agmen* dicunt, quod in longitudine directum est, quale solet esse cum portis procedit: vel certe *pilata*, fixa, & stabilia; vel a *pilo*, quod figit, vel a *pila structili*, quae fixa est & manet: nam & Graeci res densas & artas πιλωτὰ dicunt. Ennius Satyrarum II. *Contemplor inde loci liquidas pilatasque aetheris oras*, cum firmas & stabiles significaret, & quasi pilis fultas. Hostius belli Histrici primo: *Percutit atque hastam pilans prae pondere frangit.* *Pilans*, id est, figens. Idem: *Sententia praesto pectore pilata*, id est, fixa. Asellio [40] historiarum tritarum: *Quartum signum accedebat, sive pilatim, sive passim iter facere volebat.* Scaurus de Vita sua: *In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi*, id est, strictim & dense: nam ubi proprie de genere hastae loquitur, ait: *Pila manu, saevosque gerunt in bella dolones.* Varro Rerum humanarum, *duo genera agminum* dicit: *Quadratum, quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere: pilatum alterum, quod sine jumentis incedit; sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur.*]

123. RUIT.

31 dicemus L. Vos. Basil. 32 negaturus est exitum Vos. Dan. negaturus est exitus L. R. 33 & quia Dan. 34 & Virgilium Dan. 35 pedes prope tegebantur. Haec Dan. Fabr. forte, popae tegebantur. 36 *limis spectare* dixit Terentius. sed *oculis* subintelligi debet. vid. ad Ovid. II. Met. 642. 37 ros maximus, ut multi volunt, id est λιβανωτίς. Licutagonis * Dan. ros maximus Fabr. 38 desunt L. Vos. R. Steph. al. quidam sane venis * proximi Dan. 39 desunt L. Vos. R. Steph. al. 40 Historiarum tritarum Dan. Fabr. Historiarum III. Comm. Emm. Vossius de Hist. Latin. lib. I. cap. 8. legit, Historiarum quarto. *signum accedebat*, &c. unde Masvicius petierit Historiarum VIII. *Triariorum quartum signum*, nescio. sed cur non historias tritas potuerit scribere, quas notas suo tempore, & sermonibus tritas voluit posteris tradere, a vulgi erroribus purgatas? quare legi posset Historiarum tritarum quarto. *signum* &c. sed quis in his tenebris certum quid se promere auderet promittere? BURM.

Tyrrhenuſque ruit variis exercitus armis;
Haud ſecus inſtructi ferro, quam ſi aſpera Martis
125 Pugna vocet. Nec non mediis in millibus ipſi
Ductores auro volitant oſtroque decori,
Et genus Aſſaraci Mneſtheus, & fortis Aſylas,
Et Meſſapus equom domitor, Neptunia proles.
Urque dato ſigno ſpatia in ſua quiſque receſſit,
130 Defigunt tellure haſtas, & ſcuta reclinant.
Tum ſtudio effuſae matres, & volgus inermum,

In-

SERVII.

123. RUIT. Cum impetu venit: quod apud Graecos eſt [41] *ἐφορμώμενον*. [42] [VARIIS. Quia alius Troicus, alius Tyrrhenus: aut ipſe *Tyrrhenus varius*: quia de variis gentibus Tuſcorum.]

124. INSTRUCTI FERRO. [43] Bona prooeconomia, & rei futurae praeparatio: ruptis enim foederibus ad bella deſcendent; [44] [quia neceſſe non erat, armari omnes, ſolis ducibus pugnantibus.

127. ASYLAS. Etruſcum nomen.]

131. VULGUS INERMUM. Senum ſcilicet ac matrum, ſicut ipſe [45] commemoravit: [46] [& quidam volunt, ideo hic *matrum* factam mentionem, ut etiam Amata inter ceteras ſpectatum veniſſe videatur, quo [47] ſe poſſit, ducta errore, perimere.

VARIORUM.

115. EFFLANT. *Afflant* Ed. pr.

117. DIMENSI. *Demenſi* Mediceus, & Gudianus. HEINS. Et ita Leidenſis & Hugenianus & Pariſ. *dimiſſi* Zulichemius.

118. ARAS. *Aris* ſecundus Rottendorphius. *arces* Menagii prior. *in medioque faces* Oudartii. de D. communibus vid. ſupr. ad VIII. 279.

119. GRAMINEAS. V. Geſner. ad Quint. IV. 8. p. 212.

Ibid. FONTEMQUE. *Fonteſque* Zulichemius. *aliique ignem fontemque* Leidenſis. *fontem* pro aqua etiam dixit IV. Georg. 32.

120. VELATI LINO. Servius in Schedis Petri Danielis, Hyginum & Caprum legiſſe hoc loco *velati limo* aſſeverat. ut *lima veſtis* pro flexuoſa ponatur. Rationes apud illum vide, quas huc transferre operoſum foret. HEINS. *Tempora cincti* alter Hamburgicus pro varia lectione.

121. PROCEDIT. *Proceſſit* Zulichemius.

122. SE FUNDUNT. *Procedunt portis* Moretanus primus. HEINS.

Ibid. TROIUS. *Troicus* Zulichemius.

124. FERRO. *Bello* pro *ferro* in codice Colotiano. URSIN. *Bello* Mediceus. HEINS. *Ferrum* Leidenſis. *quod ſi* alter Menagii.

125. IN MILLIBUS. *In nubibus* Hugenianus. mox, *auro volucres* Zulichemius a manu prima.

126. DECORI. *Superbi* ſcriptum eſt in libro A. Colotii. URSIN. *Superbi* Mediceus. HEINS.

127. FORTIS. *Acer Aſilas* Vratiſlavienſis. *Aſilas* multi.

129. IN SUA. *Infra* Oudartii.

130. TELLURE. *Telluri* prior Voſſianus, duo Moretani, uterque Mentelius, tertius Rottendorphius, cum tertio Moretano. *Defigunt haſtas telluri* Leidenſis. HEINS. *Effigunt* Leidenſis alius. *diffigunt* prior Hamburgicus. *diffugiunt* alter, & Excerpta noſtra. *telluri* Parrhaſ. & Dorvill. Ovid. VIII. Met. 413. *jaculum tellure fixum*. vid. ad Ovid. III. Amor. II. 25. vid. inf. Serv. ad ℣. 564. ubi varia eſt lectio *telluri* vel *tellure*.

131. INERMUM. *Inerme* Zulichemius. intelligit mu-

41 *ὁρμώμενον* L. Voſ. R. Steph. al. 42 deſunt iisdem. 43 deeſt L. R. Voſ. qui tantum *Oeconomia* habent. bona Oeconomia Steph. 44 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. ad ℣. 131. 45 memoravit L. R. Voſ. Dan. Baſil. 46 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. ad ℣. 139. 47 deeſt Dan.

Invalidique ſenes, turris, & tecta domorum

Obſedere: alii portis ſublimibus adſtant.

At Juno e ſummo, qui nunc Albanus habetur,

135 (Tum neque nomen erat, nec honos, aut gloria monti)

Proſpiciens tumulo campum adſpectabat, & ambas

Laurentûm Troumque acies, urbemque Latini.

Extemplo Turni ſic eſt adfata ſororem,

Diva deam, ſtagnis quae fluminibuſque ſonoris

140 Prae-

SERVII.

134. NUNC ALBANUS HABETUR. Catonem ſequitur, qui [48] *Albanum* montem, ab *Alba longa* putat dictum.

135. TUNC NEQUE NOMEN ERAT. Hoc ideo ait, quia in Albano res divina a jure triumphantibus fieri ſolebat; ſcilicet quod Alba patria populi Romani habetur: unde omnis origo Romana; propter quod I. 7. *Albanique patres:* & *Juppiter Latiaris* antiquiſſimus eſt. Ergo montis hujuſce gloria, quod patria populi Romani eſſe dicatur; honos vero rei divinae, quae ibi a Romanis fieri conſueverat: [49] [nomen quis ignorat a longa Alba tractum?]

136. ASPECTABAT. Amat uſurpare antiquitatem: nam potuit *ſpectabat* dicere.

139. DIVA DEAM. Aut Hypallage eſt, pro *Dea divam:* nam *deos*, aeternos dicimus; *divos* vero, qui ex hominibus fiunt. Aut bene dixit de Junone *Divam*, reſpiciens etymologiam: nam in Horatio legimus II. Od. 3. *Sub Divo moreris victima nihil Miſerantis Orci.* Id eſt, ſub aëre, quem conſtat eſſe Junonem. *Deus* autem, vel *dea*, generale [50] nomen eſt omnibus: [51] nam Graece δέος Latine *timor* vocatur: inde *Deus* dictus eſt, quod omnis religio ſit timori. [52] [Varro ad Ciceronem tertio: *Ita reſpondeat, cur dicant Deos, cum omnes antiqui dixerint Divos.*] STAGNIS QUAE, FLUMINIBUSQUE SONORIS PRAESIDET. Juturna, fons eſt in Italia ſaluberrimus, juxta Numicum fluvium, cui nomen a *juvando* eſt inditum. Cum enim naturaliter omnis aqua noxia ſit aegrotorum corporibus, hic omnibus ſaluberrimus fons eſt. De hoc autem fonte Romam ad omnia ſacrificia aqua adferri conſueverat. [53] [Bene ergo Virgilius Turno fingit ſororem, quae laborantes juvare conſuevit. [54] [Huic fonti propter aquarum inopiam ſacrificari ſolet:] cui Lutatius Catulus primus templum in campo Martis fecit: nam & *Juturnae ferias* celebrant, qui artificium aqua exercent: quem diem feſtum JUTURNALIA dicunt. Varro Rerum divinarum quartodecimo, ait: *Juturna inter proprios deos Nymphaſque ponitur:* Et quia *ſtagna* dixerat, ideo *ſonora flumina* addidit: eſt enim ſtagnorum ἀκίνητον.]

VARIORUM.

mulieres, quas *vulgus iners* vocat Stat. v. Theb. 120.

132. ET TECTA. *Ac* Ed. Mediol.

133. OBSEDERE. *Obſidere* Mentelius tertius. vide lib. VII. 343. HEINS. Ita Regius. *ac tecta* Parrhaſ.

Ibid. ADSTANT. *Inſtant* Zulichemius a manu prima, & Montalbanius, & Ed. pr.

134. Ex

[48] Albonem Dan. [49] deſunt Fabr. in Dan. legitur in fine *tractum ceri*, quod vix intelligo. niſi ſit, *tractum e* vel *ex re*. ex urbe Alba vicina, quae etiam *ex re* nomen habet. nam Alba a colore porcae, longa a poſitione dicta eſt. Serv. ad VIII. Aen. 43. & ſaepe alibi. *Ex re nomen habet* Ovid. I. Amor. VIII. 3. ubi vide adnotata. & obvia haec locutio. Heinſius malebat, *tractum oriri*. [50] deeſt L. Voſ. R. Steph. al. [51] quod Graece *δέος*, Latine timor vocatur Steph. al. *Διὸς* eſt Voſ. L. *deos* eſt R. nam *Deus*, (*Διὸς* Fab.) Graece dicitur φόβος, id eſt timor, unde factum eſt Deus, quia &c. Dan. [52] deſunt L. R. Voſ. Steph. al. cum omnibus antiqui * dixerint Dan. forte omnis antiquitas dixerit. [53] deſunt iiſdem. [54] huic fonti per Aquaminum inopum * facrificari Dan. deerant Fabr. *huic fonti per aquarum Pontificem ſacrificari ſolet.* & deinde *campo Martio*, & poſtea, *qui artificium aquae exercent* Barthius ad Stat. IV. Silv. v. 35. ſed quis umquam *Pontificem aquarum* legit?

140 Praesidet: hunc illi rex aetheris altus honorem
Juppiter erepta pro virginitate sacravit:
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quaecumque Latinae
Magnanimi Jovis ingratum adscendere cubile,
145 Praetulerim, coelique lubens in parte locarim:
Disce tuum, ne me incuses, Juturna, dolorem.
Qua visa est fortuna pati, Parcaeque sinebant

Ce-

SERVII.

142. NYMPHA, DECUS FLUVIORUM. Sic supra VIII. 71. *Nymphae*, [55] [*Laurentes Nymphae*,] *genus amnibus unde est*. ANIMO GRATISSIMA NOSTRO. Homerus Iliad. E. 243. Ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ.

143. CUNCTIS PRAETULERIM. Liptotes figura per contrarium: plus enim dicit, & minus significat: namque alias omnes est persecuta; huic vero libenter indulsit: & dicit, se hanc omnibus praetulisse; quasi etiam alias in honore habuerit. [56] [Ergo ideo hoc dicit, ut tollat causam, quam potuit Juturna habere suspectam.] [57] Sane talis haec figura est, ut illud Sallustianum: *Mare Ponticum dulcius, quam caetera:* cum nullum dulce sit. Sane sciendum, non immerito finxisse Virgilium, Nymphae, id est, parti suae, indulsisse Junonem. [58] [QUAECUMQUE LATINAE. Quae sint Latinae, cum quibus Juppiter concubuerit, incertum est.]

144. INGRATUM CUBILE. [59] [Aut *ingratum*, de quo pellici nulla gratia: hoc enim convenit personae dicentis: aut [60] [quod gratiam castae non repraesentat uxori Jupiter. [61] [Ergo sibi dicit *ingratum*; non illis, quae ascenderunt: nam Juturna dea facta est: neque propter Jovem dictum est, qui immortalitatis praemium persolvit. Ergo bene sibi *ingratum:*] Nam, cum Juppiter multas vitiasse diceretur, nihil tamen a Junone de Juturna detractum est; sed potius auctum est. Animadvertendum autem, versum hunc sine caesura esse: nam Heptimemeris, quam habere creditur, in Synaloepham cadit, ut: *Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile*. Terentianus de hoc: *Rarum concedam; fieri non posse, negabo.*

145. COELI IN PARTE. In parte divinitatis: nam locum numinum pro honore posuit.

147. QUA VISA EST FORTUNA PATI. [62] Quatenus: in quantum permisit: & sic ait, *qua visa est*, ut supra XI. 292. *Coëant in foedera dextrae, Qua datur*. Sane latenter ostenditur, favorem numinum [63] sine concessione fatorum non posse procedere: [64] [& quidam putant Virgilium, *quoad visa est fortuna*, reliquisse, ut sit: *Quoad visa est*, usque quo.]

VARIORUM.

134. EX SUMMO. *E summo* Mediceus, Gudianus, & prior Menagius. HEINS.

135. NEQUE HONOS. *Nec* in Mediceo & caeteris potioribus. HEINS. *Nec gloria* alter Menagii.

Ibid. MONTI. *Monte* prior Hamburgicus. *genti* Bigotianus. *tunc neque n. e. nec honor nec gloria montis* Ed. pr. *neque honos neque gl. monti* Mediol.

136. CAMPUM SPECTABAT. *Adspectabat* nostri praestantiores cum Pierianis, quod Donatus etiam agnoscit. mox post τὸ *urbemque Latini*, in Gudiano litera una alteraque erasa erat. aut *urbemque Latinam* ante legebatur, aut *urbemque Latinorum*. restabat etiamnum integra glossa interlinearis *Laurentum*. HEINS. *Aspiciens* Bigotianus, & *adspectabat* idem & Leidensis. *spectabat* Paris. Ed. Mediol. Ald. vid. lib. X. 4.

141. EREPTA. *Arrepta* Leidensis, Hugenianus, Zuli-

55 desunt L. R. Vos. Steph. al. 56 desunt iisdem. 57 tale est & illud Sall. iidem. 58 desunt iisdem. 59 desunt iisdem. de quo Paullici * nulla Dan. de quo nulla Fabr. 60 per quod Basil. praesentat Steph. 61 desunt L. R. Vos. Steph. al. 62 id est quantum, quatenus permisit Basil. 63 sine consensione fatorum Vos. sine confessione non R. fatorum etiam deest L. confectione fatorum Dan. 64 desunt L. R. Vos. Steph. al.

Cedere res Latio, Turnum, & tua moenia texi:
Nunc juvenem inparibus video concurrere fatis?
150 Parcarumque dies, & vis inimica propinquat.
Non pugnam adſpicere hanc oculis, non foedera poſſum.
Tu, pro germano ſi quid praeſentius audes,
Perge: decet. Forſan miſeros meliora ſequentur.
Vix ea: quum lacrimas oculis Juturna profudit,
155 Terque quaterque manu pectus percuſſit honeſtum.

Non

SERVII.

148. CEDERE RES LATIO. Feliciter cuncta procedere.

149. VIDEO CONCURRERE. Pro, concurſurum eſſe: licet, quaſi Dea, bene praeſenti uſa ſit tempore, quae etiam futura cernebat.

151. NON PUGNAM ASPICERE HANC OCULIS. Quoniam numina, quotiens morituros viderint eos, quibus favent, ab iis ſecedunt. Sic Statius VII. Theb. 789. Apollinem inducit, Amphiaraum deſerentem, ubi eum vicinum morti eſſe cognovit: [65] [*Deſiliit moerens, lachrymaſque avertit Apollo.* Et Homerus, cum lanx Hectoris, expendente [66] Jove, inclinaretur, ait: Λίπε δὲ ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων.]

152. PRAESENTIUS AUDES. Efficacius, vehementius: nam [67] licet germanam illicita etiam pro fratris ſalute tentare.

153. FORSAN MISEROS MELIORA SEQUENTUR. [68] Id eſt, forte poſſit fatorum ordo mutari.

154. [69] [CUM LACHRYMAS OCULIS JUTURNA PROFUDIT &c. Totum jungendum: CUM LACHRYMAS OCULIS JUTURNA PROFUDIT,] TERQUE QUATERQUE MANU PECTUS PERCUSSIT. [70] [Ne videatur diverſo tempore & lachrymare, & pectus percutere; cum utrumque ſimul fiat: & hoc ideo,] quia ſolam doloris audiverat cauſam, [71] nihil, quemadmodum fratri poſſet mederi: nam paulo poſt audiet: *Aut tu bella cie, conceptumque excute foedus.* [72] [HONESTUM. Aut divinum, aut quod Jovi placere potuerit.]

VARIORUM.

Zulichemius, primus Moreti, Dorvil. Menagil, & Hamburgenſis ſecundi. pro *abrepta* credo.

142. GRATISSIMA. *Cariſſima* Gudianus & prior Menagius. HEINS.

143. LATINAE. *Latinis* Gudianus a manu prima. HEINS. Qui & in ora codicis, *ut te e cunctis*. ita Waddel. Anim. Critic. p. 38. *Scis unam cunctis, ut te* Leidenſis.

145. LIBENS. *Lubens* in Gudiano. HEINS. *Pertulerim* tertius Rottendorphius.

146. NE ME. *Nec me* Zulichemius, & Parrhaſ. & Dorvil.

147. QUA VISA FOTUNA PATI. Uterque Mentelianus, *Quā*, id eſt *Quam*. Aruſianus Meſſius *Quoad*. *Quoad pro Donec. Virg. Aen.* XII. *Quoad viſa eſt fortuna pati. Salluſtius Jugurth. Quoad ſemet ipſa praecipitavit.* Quae vox pari modo per Synaereſin & apud Horatium lib. II. Sat. 3. occurrit,

Haeredes voluit? quoad vixit, credidit ingens
Pauperiem vitium.

videatur hic Pierius, qui docet ab aliis etiam Grammaticis *Quoad* vel *Quod* agnoſci. apud Statium Theb. I. 216.

Quoad uſque nocentum
Exigar in poenas?

ſic veterrimus liber Cantabrigienſis, quem inſpexi. dubito tamen de veritate ſcripturae. vulgo *quonam uſque*. Lucretius lib. V.

Nimirum quia non cognovit, quae ſit habendi
Finis, & omnino quoad creſcas vera voluptas.

Terent. Eunucho II. I. 4. *munus noſtrum ornato verbis, quoad poteris, & iſtum aemulum quoad poteris ab ea pellito.* HEINS. Sed ibi legitur in emen-

65 deſunt L. R. Voſ. Steph. Dan. 66 laeva Fabr. al. 67 decet L. R. Voſ. Steph. al. 68 ne forte L. R. Voſ. Dan. Fabr. al. 69 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. 70 deſunt iiſdem. 71 nihil fratri poſſe mederi Dan. 72 deſunt L. Voſ. R. Steph. al.

Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Juno:
Adcelera, & fratrem (si quis modus) eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumque excute foedus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
160 Incertam, & tristi turbatam volnere mentis.
Interea reges (ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum

Au-

SERVII.

156. NON LACHRYMIS HOC TEMPUS, AIT, SATURNIA. Non flendi, sed subveniendi tempus est. Statius in matrum consolatione XII. Theb. 408. [73] *Accenso flebitis igne.* [74] [*Non lachrymis* autem, aut deest, agendum, vel quid tale: figuratum est, pro, lachrymarum.

157. ET FRATREM, SI QUIS MODUS. Non dicit: aut eripe, aut bella cie; sed eripe fratrem, aut bello concitato, aut rupto foedere.]

158. CONCEPTUMQUE EXCUTE FOEDUS. Placitum, animo praedestinatum, [75] [ut fiat.]

159. AUCTOR EGO AUDENDI. Nomina in TOR exeuntia, foeminina ex se faciunt, quae in TRIX terminantur; si tamen a verbo veniant; ut ab eo, quod est *lego*, & *lector*, & *lectrix* facit; *doceo*, *doctor*, & *doctrix*. Si autem a verbo non venerint, communia sunt: nam similiter & masculina & foeminina in TOR exeunt, ut *hic* & *haec senator*; *hic* & *haec balneator*: licet Petronius in fragm. usurpaverit, *balneatricem* dicens. Tale est ut *hic* & *haec auctor*; sed tunc, cum ab auctoritate descendit, ut hoc loco: cum autem venit ab eo, quod est *augeo*, & *auctor*, & *auctrix* facit; ut si dicas, *auctor divitiarum*, vel *auctrix patrimonii*.

160. RELIQUIT INCERTAM. Quia, licet dederit ei consilium, dicendo tamen *forsan*, eam reliquit incertam.

161. INTEREA REGES. Longum Hyperbaton: nam ordo est: *Interea reges procedunt castris*: caetera enim per parenthesim dicta sunt: nec est Eclipsis, [76] [id est, conceptio,] cum sermo in omnibus congruat. INGENTI MOLE. Pompa, ambitu: nam modo hoc significat.

162. [77] [CIRCUM. Absolute, ex omni parte, ut si dicas *tempora radiis cingitur*.]

VARIORUM.

mendatis exemplaribus, *quod poteris*. vid. ad Ecl. III. 70.

148. MOENIA. *Numine* Zulichemius.

149. FATIS. *Telis* prior Mentelius & Rottendorphius uterque. etiam Gudianus pro diversa lectione. HEINS. *Factis* alter Hamburgicus.

151. NON FOEDERA. *In foedere* Mediceus a manu prima.

152. PRAESENTIUS. *Praestantius* Sprotianus, Montalbanius, Leidensis & Zulichemius.

153. SEQUENTUR. *Sequantur* prior Hamburgicus. HEINS. Et duo Leidenses.

154. PROFUDIT. *Profundit* Mediceus, & Montalbanius, cum altero Hamburgico. quod magis placet. HEINS. *Profundit* Dorvil. *cum lacrymis* Ed. pr.

155. PERCUSSIT. *Perfudit* Parrhas. a manu prima.

156. NON LACRIMIS HOC TEMPUS, AIT. In tertio Moretano venuste legebatur,

Non lacrimis, i, tempus, ait Saturnia Juno;
Accelera.

addita glossa *i*, *id est*, *vade*. ne studio & data opera sic exaratum fuisse dubitare posses, construe, *non lacrimis tempus est, i, accelera*. quam scripturam non dubitarem admittere, si vetustioris libri niteretur auctoritate. pro vulgata lectione stat Donati auctoritas in Adelphos Terentii Act. III. Sc. 2. τὸ *i* frequentissime in antiquis exemplaribus esse depravatum ad Nasonem ostendimus. *hoc tempus erat* Bigotianus a manu prima. HEINS. Qui & adscripserat *hic tempus*, *ait*. *haec* Moreti secundus. *hoc tempus eget*, Dorvill.

157. ERIPE MORTI. Haec deerant tertio Mentelii,

73 *accensos f. ignes* Steph. sed contra codices Statianos. legendum etiam credo, Statius in Menaetis consolatione. illius enim haec verba sunt ad Argiam & Antigonen. 74 desunt L. Vos. R. Steph. al. 75 desunt Dan. 76 desunt L. Vos. R. Steph. al. 77 desunt iisdem.

Aurati bis sex radii fulgentia cingunt,
Solis avi specimen: bigis it Turnus in albis,
165 Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Hinc pater Aeneas, Romanae stirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo, & coelestibus armis,
Et juxta Ascanius, magnae spes altera Romae)
Procedunt castris, puraque in veste sacerdos

170 Sae-

SERVII.

164. SOLIS AVI SPECIMEN. Ut etiam in septimo diximus, Latinus, secundum Hesiodum in [78] *Θεογονια*, Ulyssis & Circes filius fuit, quam multi etiam Maricam dicunt: secundum quem nunc dicit: *Solis avi specimen.* Nam Circe, Solis est filia. Sane sciendum, Virgilium in varietate historiae, sua etiam dicta variare. Sed de Ulyxe, ut etiam supra diximus, temporum nos ratio credere non finit. BIGIS IT TURNUS. Quotiens utimur nominibus tantum pluralis numeri, & unum volumus significare, ita dicimus, *unas bigas*, *unas quadrigas*, *unas scalas.* Sallustius Catil. cap. VI. *Hic postquam in una moenia convenere.*

165. [79] [BINA. Pro duobus.]

166. ROMANAE STIRPIS ORIGO. Hoc ad laudem Augusti respicit.

167. [80] [SYDEREO FLAGRANS CLYPEO. Latino tantum imaginem Solis dedit; Aeneam autem cum sidereo clypeo ipse quodammodo comparat Soli.

168. MAGNAE SPES ALTERA ROMAE. [81] Ideo, quia Aeneas una. Male autem quidam *magna* legunt. Sane Ascanii [82] habitum vel ornatum omisit: quia puer est.

169. PURAQUE IN VESTE SACERDOS. Impolluta & pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi. [83] [Ut neque funesta sit, neque [84] *fulgurata*, neque maculam [85] habeat ab homine mortuo. Est autem linea, & purpurea. Purpura maris vicem ad piandum praebet, linum vero fluminis: [86] [*quia, cum vere primum in Oriente flumen inundasset, sponte sua* [87] *linum natum esse*, Plinius Secundus dicit. Ideo Magistratus, & sacrificaturi togam praetextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant. Quod ipse de Aristeo ait, IV. Georgicorum 381. *Oceano libemus.* Et: 376. *Manibus liquidos dant ordine fontes Germanae: tonsisque ferunt mantilia villis.* Ecce mentionem de lino: rursum purpura III. 405. *Purpureo velare comas adopertus amictu.* Item sup. 120. *Velati lino.* Ergo *pura*, lintea, vel purpurea, bene potest intelligi.]

VARIORUM.

telii, & Regio. *eripe morte* Menagii alter & Gudianus.

158. AUT. *At* Menagii prior, qui & *excipe foedus.*

159. EXHORTATA. *Exorata* Hugenianus. *relinquit* Leidensis a manu prima.

160. MENTIS. *Mortis* duo Hamburgenses.

161. INTEREA REGES. *Continuo reges* perperam apud Carisium occurrit, cum pro vulgata lectione non tantum scripti stent codices, sed Rufinianus quoque Rhetor (de Schem. Lex. p. 30.) & Beda de tropis S. Scripturae, & Diomedes, & Macrobius lib. VI. Saturn. VI. HEINS. *Continuo rex ingenti de mole* Mediceus a manu prima.

162. QUADRIJUGO VEHITUR CURRU. *Invebitur* primus ac quartus Moretani. aliter apud Grammaticos veteres. HEINS. *Quadrijuge vehitur* Papias in *Prolepsis.*

163. Au-

78 *ἀντιδωροῦσα* omnes quos vidi. sed Masvicius furto sublegit Clerico in notis ad Hesiodi *Θεογ.* ℣. 1011. sed Servii potius, quam librarii errorem esse censet Cl. Dorvillius. 79 desunt L. Vos. R. Steph. al. 80 desunt iisdem. 81 male quidam *magna* legunt & nihil praeterea ad h. versum iidem, nisi quod Bas. *magno* volunt, & legunt. 82 bitum * omisit Dan. habitum omisit Fabr. 83 desunt L. R. Vos. Steph. al. 84 fulgorata Dan. Fulgurita Bronckh. ad Tibul. I. XI. 27. 85 habeat Θ. K. Dan. habeat Θ. Fabr. Ryckius notaverat, forte habeat ex homine. 86 desunt Fabr. 87 linum nationis * Dan. & sequentia ideo magistratus &c. ut Plinii verba exhibet.

170 Saetigeri foetum ſuis, intonſamque bidentem
Adtulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem
Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, pateriſque altaria libant.
175 Tum pius Aeneas ſtricto ſic enſe precatur:

Eſto

SERVII.

170. SETIGERAE FOETUM SUIS. More Romano, ut VIII. 641. *Caeſa jungebant foedera porca.* [88] [Nonnulli autem *porcum*, non *porcam*, in foederibus adſerunt ſolere mactari; ſed Poëtam periphraſi uſum propter nominis humilitatem. *Intonſam* vero *bidentem* dixiſſe, quam Pontifices *altilaneam* vocant:] nam Homerus aliud genus ſacrificii commemoravit, [89] [dicens: Iliad. Γ. 245. Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ, Ἄρνε δύω, καὶ οἶνον ἐΰφρονα, καρπὸν ἀρούρης, Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ· φέρε δὲ κρητῆρα φαεινὸν Κῆρυξ Ἰδαῖος, ἠδὲ χρύσεια κύπελλα.] Sane non praeter rationem eſt, quod ait: *Foetum ſuis:* item: *Intonſamque bidentem:* id eſt, brevem adhuc: nam in rebus, quas volebant finiri celerius, [90] ſenilibus, & jam decreſcentibus animalibus ſacrificabant; in rebus vero, quas augeri & [91] confirmari volebant, de minoribus, & adhuc creſcentibus [92] ſacrificabant. [93] [Sane ovem Graeco more foederi adhibuit.]

171. [94] [ADTULIT ADMOVITQUE PECUS. Primo adtulit, inde admovit pecus, id eſt, hoſtiam.

172. ILLI AD SURGENTEM. Non utique nunc Solem ſurgentem dixit: jamdudum enim dies erat; ſed diſciplinam cerimoniarum ſecutus eſt; ut Orientem ſpectare diceret eum, qui eſſet precaturus.]

173. DANT FRUGES MANIBUS SALSAS. Far & ſal: quibus rebus & cultri aſpergebantur & victimae. Erant autem [95] iſtae probationes, utrum aptum eſſet animal ſacrificio. Obliquum etiam cultrum a fronte uſque ad caudam ante immolationem ducere conſueverant: nam hoc eſt, [96] quod dicit: *Et tempora ferro Summa notant pecudum.*

174. [97] [PATERISQUE ALTARIA LIBANT. Probus *altaria*, ſpecies ararum tradunt.

175. TUM PIUS AENEAS STRICTO SIC ENSE PRECATUR. Hic prior precatur: quia hic mavult fieri foedus: *ſtricto* autem *enſe*, juxta quendam jurisjurandi morem ait.]

VARIORUM.

163. AURATI. *Auratis* prior Menagii. duodecim radiis etiam in nummis coronas conſpici, ad Zodiaci ſigna aut ad Herculis labores relatis notat Addiſſon Itiner. p. 297. niſi quod Florentiae viderit coronam octo radiorum.

164. SPECIMEN. *Speciem* Serv. Dan. ad VI. 47.

Ibid. BIGIS. *Bijugis* Ald. *ſpecimen* illuſtrat Brouckh. ad Propert. IV. XI. 93.

166. HINC. *Tum pater* apud Cariſium & Diomeden Grammaticos profertur. HEINS. *Hic* Parrhaſ.

168. ROMAE. *Proles* Zulichemius a manu prima. vid. Serv. ad VI. Ecl. II.

170. SAETIGERAE. *Saetigeri* ex ſcriptis & Donato jam adſeruit Pierius. noſtri codices magna ex parte adſentiuntur. HEINS. Vid. ad Phaedr. V. Fab. ult. *ſetigerum* Sprotianus.

171. ATTULIT. Heinſius in ora codicis adſcripſerat *appulit.*

172. AD SURGENTEM. Repudiavi alteram lectionem (*aſſurgentes*) tanquam inſcitam & minus Poëticam. FABRIC. Sic uterque Hamburgicus & ſecundus Rottendorphius, Parrhaſ. & Excerpta noſtra, quae & *lumine*. ut & Leidenſis. *converſi lumina* per Graeciſmum. ut lib. XI. 507. *oculos fixus*, ut ibi Mſſ. & lib. IX. 64. *formam vertitur oris*, ubi vide Heinſii notas & lib. X. 359.

173. FERRO. *Ferri* alter Menagii.

174. PATERISQUE. Vid. ad Lucan. III. 404.

175. PRE-

88 deſunt L. Voſ. R. Steph. Dan. 89 deeſt L. R. Dan. 90 ſenibus Dan. Fabr. 91 firmari Steph. 92 immolabant R. L. Voſ. Dan. Fabr. al. 93 deſunt R. L. Voſ. Steph. al. 94 deſunt iiſdem ad ℣. 173. 95 deeſt R. Steph. al. 96 iſta verba id minime ſignificant, niſi Servius legerit *tergora*, non *tempora*. DORVILLIUS. 97 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. ad ℣. 176.

Esto nunc Sol testis, & haec mihi terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et Pater omnipotens, & tu Saturnia Juno;
Jam melior, jam, Diva, precor: tuque inclute Mavors.
180 Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques:

Fon-

SERVII.

176. ESTO NUNC SOL TESTIS. Bene eum primum invocat Deum, quem orientem intuens vidit: nam ait: *Illi* [98] *ad surgentem conversi lumina Solem.* ESTO autem, multi volunt tertiam esse personam, id est, sit mihi Sol testis: quia sequitur: *Et haec terra:* ut elocutionem per nominativum factam intelligamus; sed hoc non procedit: quia sequentia vocativum habent, ut: *Et tu Saturnia Juno.* item: *Tuque inclyte Mavors:* unde per vocativum eum omnia dixisse [99] accipiamus: in hoc vero tantum ad nominativum fecisse transitum: ET HAEC MIHI TERRA PRECANTI. Licet etiam hic [1] possit esse vocativus: nam διαλεκτικῶς est dictum: *Haec terra esto mihi testis:* ac si diceret: o Italica terra, testis [2] mihi esto. [3] [Sane juxta Homericum foedus, hic inducit fieri: nam ut ibi Priamus, ita hic Latinus; ut hic Aeneas, ibi Agamemnon: & priores precantur, qui servaturi sunt foedus; quod ruperunt, qui posteriores juraturi erant: ibi per Pandarum Trojani; hic per Tolumnium Latini: & hoc per speciem augurii, quae *precatio maxima* appellatur, dicit. *Precatio* autem *maxima* est, cum plures deos, quam in ceteris partibus auguriorum, precatur, eventusque rei bonae poscitur, ut in melius juvent, quod his versibus ostenditur: *Esto nunc Sol testis, & haec mihi Terra precanti.*] [4] Homeri simile juramentum Iliad. Γ. 276. Ζεῦ πάτερ, Ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε, Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις· Καὶ ποταμοὶ καὶ Γαῖα καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας Ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅ,τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ· Ὑμεῖς μάρτυροι ἐστὲ, φυλάσσετε δ' ὅρκια πιστά.

177. QUAM PROPTER. [5] *Propter*, penultima habet accentum, quia est postposita praepositio, [6] [id est, propter quam tantos, ut Graece περὶ βασιλείας· cum contra dicatur βασιλείας πέρι. quia est postposita praepositio.

178. ET PATER OMNIPOTENS &c. ET QUAE CAERULEO SUNT NUMINA PONTO. Ceterum, quod in precatione dici solet, ut melius juvent, melius fortunent, subjecit his versibus: *Si nostrum adnuerit nobis victoria Martem.*

179. JAM MELIOR, JAM DIVA PRECOR. Ac si diceret, Non Saturnia, id est, jam minime nocens, [7] sed Trojanis propitia: [8] [aut *melior*, non optantis, sed adfirmantis accipiamus: potuit enim intelligere minus se impugnari a Junone, qui vicerat bis.]

180. TORQUES. [9] [Hoc loco, regis freno: sic alibi VII. 666. *Ipse pedes tegmen torquens immane leonis:* alibi, sustines, ut IV. 482. *Axem humero torquet.* INCLYTE MAVORS. Bene induxit Martem Poëta, quem scit Romanae stirpis auctorem.

VARIORUM.

175. PRECATUR. Vel *profatur* prior Hamburgicus. *pater Aeneas* Parrhas.

176. PRECANTI. *Precatur* praecessit superiori versu, & *precor* paulo post subsequitur. accedo igitur Mediceo, Menteliano utrique, Moretanis primo & secundo, duobus Vossianis, aliisque nonnullis, & Pierii vetustioribus, in quibus *vocanti.* quamquam aliter Donatus. lib. I. Georg. *votis jam nunc assuesce vocari. Divos in vota vocare* passim nostro aliisque. HEINS. *Et hoc* Ed. pr. *precanti* Ed. Mediol. Ald. *petenti* Cod. Dorvil.

177. QUAM PROPTER. *Qua propter* Ed. pr.

178. CON-

98 *in surgentem* Dan. *assurgentem conversi ad l. s.* Steph. *insurgentem* etiam Vos. 99 intelligamus L. Steph. 1 posset R. Steph. 2 deest L. R. Vos. Steph. est Basil. 3 desunt L. R. Vos. Steph. al. 4 & huic est Homeri simile juramentum Steph. Fabr. al. sed assutum esse a minus perito Linguae Latinae, vox *juramentum* docet, & carent etiam L. R. Vos. Dan. 5 *Ter* habet L. R. propter habet Steph. propter habet accentum cum praeponitur, ut si dicat *propter quam* at nunc penultima &c. Basil. 6 desunt L. R. Vos. desunt ad ℣. 179. Steph. Dan. ab *ut Graece* Basil. deest nota ad ℣. 178. 7 & Trojanis propria Dan & Troj. propitia L. R. Vos. 8 desunt L. R. Vos. Steph. al. 9 desunt iisdem, sed tantum habent Torques, sustines regis. & reliqua desunt ad *Quaeque* ℣. 181.

Fontiſque, fluvioſque voco, quaeque aetheris alti
Religio, & quae caeruleo ſunt numina ponto:
Ceſſerit Auſonio ſi fors victoria Turno,
Convenit Euandri victos diſcedere ad urbem:
185 Cedet Iulus agris: nec poſt arma ulla rebelles
Aeneadae referent, ferrove haec regna laceſſent.
Sin noſtrum adnuerit nobis victoria Martem,
(Ut potius reor, & potius DI numine firment)
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
190 Nec mihi regna peto. Paribus ſe legibus ambae

In-

SERVII.

181. FONTESQUE FLUVIOSQUE VOCO. Congruenter, cum a Tyberino flumine ſit admonitus, quae agere deberet.] QUAEQUE AETHERIS ALTI RELLIGIO. Poſt ſpecialitatem intulit generalitatem. [10] [Sane *religio* dicta, quod ea homines [11] religantur ad cultum divinum.

182. PONTO. Id eſt, in ponto: & quidam hoc loco, a filio Veneris jurejurando, velut matris, volunt inditam mentionem.]

183. CESSERIT AUSONIO SI FORS. [12] Si forte: & bene dubitat de hoc: contra cum ad ſuum [13] pervenerit nomen, dicet: *Ut potius reor, & potius Dii numine firment.* Sane ratione non caret, quod primo de victoria Turni loquitur, poſt deſcendit ad ſuam: ſcit enim, in auguriis prima poſterioribus cedere.

185. REBELLIS. Homo *rebellis* dicitur; res ipſa *rebellio*; non *rebellatio:* ſic [14] Suetonius.

187. ADNUERIT NOBIS VICTORIA MARTEM. Hypallage, pro, [15] Sin noſter Mars adnuerit [16] nobis victoriam: nam Martem victoria comitatur.

VARIORUM.

178. CONJUNX. *Conjux* Bigotianus, Dorvil. Parrhaſ. & Editio Mediol. Ald. & Juntina.

179. INCLYTE. *Inclute* Mediceus & Gudianus. HEINS.

180. NUMINE. *Tenet ſub n.* Dorv. a m. ſec. *nomine* Sprotianus, Venetus & Zulichemius. & ſecundus Moreti & Parrhaſ. a m. pr.

182. QUAEQUE. *Quoque* Excerpta noſtra. *seque* Zulichemius. *relligio eſt* Leidenſis. *relligo quae &* primus Moreti. *religio eſt, & quae c. ſ. omnia ponto* Dorvil. *nomina* Mentelii prior a manu prima. *Et fontes fluvioſque* Oudartii.

184. DISCEDERE. *Decedere* Mediceus. *deſcendere* primus Moretanus, cum priore Mentelio. HEINS. Bigotianus, Dorvil. & Zulichemius etiam *deſcendere. accedere* Vratiſlavienſis. *ab urbe* alter Menagii.

185. CEDET. *Cedat* Bigotianus, Montalbanius, alter Hamburgicus & Parrhaſ. mox *ferroque* Gudianus & prior Menagii. vel *belloque* prior Hamburgicus, & Dorvil. *nec ferro* Zulichemius a manu prima. *laceſſunt* alter Hamburgenſis. *referant & laſceſſant* Oudartii.

187. SIN NOSTRUM. *Sin veſtrum* Bigotianus. *adnuerint* Venetus. *victoria Mavors* alter Hamburgicus. *noſtrum Martem*, nobis faventem, vid. ad Ovid. XIII. Met. 256. *ſi noſtrum* Ed. pr.

188. NUMINE. *Numina* Gudianus & Sprotianus. HEINS. *Potius munimine* Zulichemius.

189. NEC TEUCRIS. *Non* alter Menagii. *te Teucris* alter Hamburgicus. ſed tum *Italus*, vel *Italum.*

190. NEC. *Non mihi* Parrhaſ.

Ibid.

10 deſunt iisdem. ad ꝟ. 183. 11 negantur Dan. 12 ut *ſi forte* R. Baſil. 13 venerit R. L. Voſ. Dan. Fabr. al. 14 vide quae diximus ad Sueton. Calig. LI. & ita utitur hac voce Livius lib. VIII. 14. ubi unus & alter codex, *rebellationis.* ſed vide Cl. Drakenborchii notas. BURM. 15 ſi L. R. Steph. al. & ita ad ꝟ. 178. citatur. deeſt Voſ. 16 deeſt L. Voſ. R. Steph. al.

Invictae gentes aeterna in foedera mittant.
Sacra Deosque dabo: socer arma Latinus habeto;
Imperium sollemne socer: mihi moenia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
195 Sic prior Aeneas: sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens coelum, tenditque ad sidera dextram:
Haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera, juro,
Latonaeque genus duplex, Janumque bifrontem,
Vimque Deum infernam, & duri sacraria Ditis:

200 Au-

SERVII.

191. INVICTAE. Quasi invictae. [17] [Et bene sibi conciliat populum:] nam sine dubio una cum rege vincetur.

192. SACRA DEOSQUE DABO. [18] Magna fuit apud majores sacrorum cura, sicut diximus supra III. 104. unde nunc Aeneas id agit, ne pereant. Et re vera constat, [19] sacra Phrygia, tunc Latinis tradita, coluisse Romanos. LATINUS HABETO. Aut antiquus vocativus est: aut *habeto*, tertia persona [20] est. Sane sciendum, quia crebra soceri commemoratione sibi favorem Latini conciliat: item dicendo: *Mihi moenia Teucri constituent:* popularem gratiam captat: quia supra dixerat Drances XI. 131. *Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit.*

197. TERRAM, MARE, SIDERA JURO. Et ornatior elocutio, & crebra apud majores, quam si velis addere praepositionem, ut dicas, *Juro per maria, per terras.* EADEM autem bene dixit: nam pro mari, ille fontes [21] [& fluvios] posuit; pro sideribus, Solem.

198. LATONAEQUE GENUS DUPLEX. Ac si diceret, utrumque sexum [22] prolis Latonae vel sobolis. Et bene in foederibus duplicia invocat numina: quia in unum duo coituri sunt populi. JANUMQUE BIFRONTEM. Rite hunc quoque invocat: quia, ipse faciendis foederibus praeest: namque, postquam Romulus & Titus Tatius in foedera convenerunt, Jano simulacrum duplicis frontis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum. Legimus tamen Janum eiam quadrifrontem fuisse: unde Martialis VIII. 2. ait: *Et lingua pariter locutus omni:* Nam *omnis*, de duobus non dicimus.

199. VIM. [23] Duritiem, inexorabilitatem. SACRARIA DITIS. *Sacrarium*, proprie locus est in templo, in quo sacra reponuntur: sicut *donarium* est, ubi [24] ponuntur oblata: sicut *lectisternia* dicuntur, ubi homines in templo sedere consuerunt.

VARIORUM.

Ibid. SE LEGIBUS. *Sed legibus* secundus Moreti & Dorvil.

191. INVICTAE. *Injunctae* Hugenianus.

Ibid. MITTANT. *Mittent* Montalbanius, Bigotianus & quartus Moreti. mox *habebit* Zulichemius a manu prima.

194. CONSTITUENT. *Constituant* Parrhas.

195. SIC. *Tum* Zulichemius, uterque Hamburgicus, Venetus, duo Moretani, & Vratislaviensis. *dum* Leidensis. *tunc* alius Leidensis. *tum inde* Excerpta nostra. *cum deinde* Leidensis alius. *sed deinde* Hugenianus. mox *suscipiens* Sprotianus & Gudianus. *tendensque* Menagianus.

199. DURI. Ita codices nostri. non *Diri Ditis.* nec aliter Giphanius Indice Lucret. in *victus.* & Servius lib. VII. *saevi spiracula Ditis.* HEINS. *Inferna* & Zulichemius. *inferium* Sprotianus & Venetus, cum Excerptis nostris.

200. FOE-

17 desunt Dan. 18 captat gratiam populi, quia magna Dan. L. R. Basil. deest Vos. qui etiam, qui crebra. 19 sacrificia nunc Rom. Steph. nunc L. Vos. R. 20 sic sed ibi Latoniae. 21 desunt Steph. 22 sexum Latonae sobolis L. Vos. R. Steph. & Basil. 23 duritiem inexorabilem Commel. Emmen. 24 ponantur R. qui & lectisternella. collocantur Dan. Fabr. reponantur Basil.

200 Audiat haec Genitor, qui foedera fulmine ſancit:
Tango aras; medios ignis, & Numina teſtor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec foedera rumpet,
Quo res cumque cadent: nec me vis ulla volentem
Avertet; non ſi tellurem effundat in undas
205 Diluvio miſcens, coelumque in Tartara ſolvat:
Ut ſceptrum hoc (dextra ſceptrum nam forte gerebat)
Numquam fronde levi fundet virgulta, neque umbras,
Cum ſemel in ſilvis imo de ſtirpe reciſum

Matre

SERVII.

200. QUI FOEDERA FULMINE SANCIT. Confirmat: ſancta eſſe facit: quia, cum fiunt foedera, ſi coruſcatio fuerit, confirmantur: [25] [vel certe, quia apud majores arae non incendebantur;] [26] ſed ignem divinum precibus eliciebant, qui [27] incendebat altaria. *Sancire* autem, proprie eſt ſanctum aliquid, id eſt, conſecratum facere, fuſo ſanguine hoſtiae: & dictum *ſanctum*, quaſi ſanguine conſecratum.

204. SI TELLUREM EFFUNDAT IN UNDAS. Hypallage, pro, ſi unda effundat in [28] terram.

205. DILUVIO MISCENS. Id eſt, aquae ſuperfuſione univerſa perturbans.

206. UT SCEPTRUM HOC. Homeri locus, verbum ad verbum Iliad. A. 234.

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔ ποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
Οὐ δ' ἀναθηλήσει, περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε,
Φύλλα τε καὶ φλοιόν: νῦν αὐτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
Ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵ τε θέμιστας
Πρὸς Διὸς εἰρύαται; ὁ δέ τοι μέγας ἔσσεται ὅρκος.

DEXTRA SCEPTRUM NAM FORTE GEREBAT. Per parentheſim dictum eſt. Ut autem [29] *ſceptrum* adhibeatur ad foedera, haec ratio eſt: quia majores ſemper ſimulacrum Jovis adhibebant: quod cum taedioſum eſſet, praecipue quando fiebant foedera cum longe poſitis gentibus, inventum eſt, ut *ſceptrum* tenentes, quaſi imaginem ſimulacri redderent Jovis. *Sceptrum* enim [30] ipſius eſt proprium: unde nunc tenet *ſceptrum* Latinus, non quaſi rex; ſed quaſi Pater patratus.

208. IMO DE STIRPE. Ideo genere maſculino uſus eſt, quia de arboribus loquitur: nam de hominibus genere foeminino dicimus, ut VII. 293. *Heu ſtirpem invisam.* dixit tamen, ſed uſurpative, Horatius [31] etiam de arboribus, ut II. Od. 29. *Stirpeſque raptas, & pecus, & domus.*

VARIORUM.

200. FOEDERA. *Sidera* Sprotianus. *numine ſancit* alter Hamburgicus. *numina fulmine* Zulichemius. *firmat* Leidenſis. vid. Robert Tit. Controverſ. Lect. X. 20. *ſanxit* Ed. pr.

201. TANGO ARAS, MEDIOSQUE IGNES. *Tango aras, medios ignes* ſcripti noſtri conſtanter. & ſic Pieriani vetuſtiores. quod & auctoritate Macrobii ſe tuetur Saturn. lib. III. cap. II. *medios ignes* eleganter & erudite dicit, tamquam conciliatores pacis. nos de ea voce ad Claudianum complura congeſſimus. ſic noſter alibi, *Dum medium paci ſe offert.* HEINS. An *medios*, in medio poſitos? an ut arbitros pacis? vid. ad Claud. II. in Ruf. 309.

202. RUMPET. *Rumpat* Gudianus. idem mox *Avertit*, non *Avertet*. HEINS. *Foedere* Mediceus. *rumpit* primus Moretanus. mox *cadant* alter Hamburgicus. *nec me cara ulla ferentem* Zulichemius a manu prima.

204. TEL-

25 finiuntur L. R. 26 deſunt L. 27 incendebant L. Steph. Dan. Fabr. 28 terras L. Voſ. R. Steph. al. 29 ſceptra adhibentur & mox ſimulacra Dan. ut autem ſceptrum, adhibeatur ad foedera cum longepoſitis gentibus, inventum &c. L. 30 ipſius Jovis eſt proprium Steph. ipſius eſt imperium Dan. 31 deeſt Steph. al. vid. ad lib. III. 94.

Matre caret, posuitque comas & brachia ferro;
210 Olim arbos, nunc artificis manus aere decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant foedera dictis,
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas
In flammam jugulant pecudes, & viscera vivis
215 Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis inpar ea pugna videri
Jamdudum, & vario misceri pectora motu:

Tum

SERVII.

209. MATRE CARET. Vel terra, ut III. 96. *Antiquam exquirite matrem:* vel arbore, ut II. Georg. 19. *Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.* [32] [Sic enim melius carmini respondet Homerico: τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν.]

210. AERE DECORO. Id est, orichalco.

211. DEDIT GESTARE LATINIS. Ut v. 248. *Dat ferre.*

212. TALIBUS INTER SE FIRMABANT FOEDERA DICTIS. Latinus & Aeneas. Turnum autem non inducit jurantem: quia dux est, qui praesente rege non habet potestatem. Et imitatus est Homerum, qui post jusjurandum Menelai, Alexandrum quasi fervidum & adolescentem a foedere inducit [33] exclusum, & Priamum adhibitum ad foederis confirmationem.

213. RITE SACRATAS. Rite [34] expurgatas solennitate, quam diximus supra ℣. 173.

216. VIDERI ET MISCERI. Infiniti sunt pro indicativis.

VARIORUM.

204. TELLUREM EFFUNDAT IN UNDAS. *Tellure effundat & undas* Mediceus. HEINS. Vid. Ruaeum. *fundat* Dorvil.

205. COELUMVE. *Coelumque* Mediceus, & sic Vaticanus Pierii & nostri complures. male vero *vertat* in quibusdam. vide quae ad lib. I. Valer. Flac. 829. annotamus. HEINS. *Vertat* Ed. pr. & Venet. *diluvium m. caelumque* Dorvil.

206. GEREBAT. *Regebat* Montalbanius. *hoc* deest Mentello priori. *ferebat* Zulichemius. *sceptrum hoc sceptrum dextra* Bigotianus. *dextra hoc sceptrum nam* Hugenianus.

207. NEC UMBRAS. *Umbram* in Macrobio exstat lib. v. Saturn. cap. 3. *neque umbras* multi ex nostris codicibus. HEINS. *Umbram* primus Moreti. *uno de stirpe* Parrhas.

208. IMO. Frustra Servius, τὸ *imo* a *stirpe* divelli cupit, non recordatus illorum II. Georg. *admorso signata in stirpe cicatrix.* sed & hoc ipso libro *stirpem nullo discrimine sacrum* habemus, & *lentoque in stirpe moratur.* & sic Prudentius frequenter. HEINS. *Una de* Zulichemius. *ima* Sprotianus. *imo* etiam legit Commentator Crucquianus ad Horatii I. Epist. II. 69. & imitatum esse Columellam v. 9. ostendit Cl. Drakenb. ad Livii VIII. VI. 2.

209. CARET. *Cadet* Mediceus. HEINS. *Ponere comas falce* dixit Propert. II. XV. 12.

211. LATINIS. *Latinus* Leidensis.

213. CONSPECTU IN MEDIO. *Prospectu medio* Mediceus. *conspectu medio* alter Mentelianus. HEINS. Et ita Bigotianus & Parrhasianus.

214. FLAMMAM. *Flammas* Parrhas. Mentelii prior a manu prima. versu sequenti in Vratislaviensi erat, *cumulantque altaria donis.* repetitum ex lib. XI. 56. vulgatae vero lectionis verba occurrunt etiam lib. VIII. 284.

217. MISCERI. *Miscentur* Zulichemius a manu prima. *demisceri* Dorvil.

218. CER-

[32] desunt L. Voss. R. Steph. Dan. Basil. [33] excludit L. R. [34] exploratas Dan. expuratas Fabr. qua diximus

Tum magis, ut propius cernunt non viribus aequis.
Adjuvat incessu tacito progressus, & aram
220 Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genae, & juvenali in corpore pallor.
Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem, & volgi variare labantia corda:.
In medias acies, formam adsimulata Camerti,
225 Cui genus a proavis ingens, clarumque paternae
Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis,
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,

Ru-

SERVII.

218. PROPIUS. Diligentius, ut t. 526. *Et propius res aspice nostras.* NON VIRIBUS AEQUIS. Eos congressuros, subaudis.

219. INCESSU TACITO. Pro, ipse tacitus: Hypallage est.

225. CUI GENUS A PROAVIS INGENS. Cujus auctoritatem commendabat & origo majorum, & paterna virtus, & propria fortitudo.

VARIORUM.

218. CERNUNT. Scilicet, adstare Aeneam & Turnum, non esse aequis viribus. vid. ad x. 357.

219. INCESSU. *Incensu* Leidensis & Regius. *ingressu* Zulichemius, Gudianus, prior Hamburgicus & quartus Moretanus. *ad aram* duo Moretani & Zulichemius. ego *incessu tacito* praetuli, quia *progressus tacito ingressu* offendit aures. & *incessus* proprie de modo incedendi. ut lib. t. 405. *& vera incessu patuit dea.* sic apud Quinctil. I. III. *ut ea quae discit effingat, non habitum forte & incessum* &c. ubi male *ingressum* Davisium ad Cicer. I. de N. D. 34. legere dicit Gesnerus. in Cicerone legitur, *ingressus, cursus, accubitio* &c. sed in duabus Edd. Davisii A. 1719. & 1722. nihil notatum video. quare in tertia, qua careo, forte id addidit

221. TABENTESQUE GENAE. Sic ex nostris Mentelius uterque, duo Moretani, tertius Rottendorphius, & Schefferianus. caeteri omnes *Pubentesque.* quomodo & Macrobius videtur agnoscere lib. IV. Saturn. cap. 3. quamquam & a Thuaneo codice, & ab editis nonnullis is versus abest. qui agnoscunt, *τὸ &* omittunt. sic *flaccent genae*, ut nos castigavimus Senec. Herc. Fur. 768. & in Tibullo I. El. 10. legimus *exesas genas.* sed & *juvenali in corpore* codex Macrobii Anglicus, Mediceus & Maroniani vetustiores. HEINS. *Pallentesque* Bigotianus. *rubentesque g. e. juvenili in pectore* Excerpta nostra. Forte *labentesque. Tebescentes* Regius. *in* deest Sprotiano.

222. SIMUL AC. *Simul ut* uterque Mentelius, cum duobus Hamburgicis, etiam cum Gudiano a secunda manu. HEINS. Etiam Leidensis & Hugenianus, & Excerpta nostra & Regius.

223. LABANTIA. *Labencia* Dorvill.

224. IN MEDIAS. *Per medias* Parrhas. *Camertis* Ald.

Ibid. ASSIMULATA. *Assimilata* perperam in nonnullis. Diomedes lib. I. p. 362. *similo non dicimus, sed similis est. sane dixerunt auctores simulat per u hoc est ὁμοιάζει. ut Cicero de Republ. nullum est exemplum, quam alius assimulare rempublicam. Virgilius formam assimulata Camerti.* apud Priscianum libro VIII. legitur bis, *assimulata Camertae*, ut nominativus casus sit *Camertes*, non *Camers.* quomodo & apud Macrobium Pontani editio postrema ex membranis Britannis castigata, lib. v. Saturn. cap. 15. cum *Camerti* in vetustioribus editis legeretur. codex Thuanae Bibliothecae illic, *forma assimilata Camertae. forma* etiam in secundo tertioque Rottendorphiis. sed tertio glossa adscripta *Priscianus dicit formam.* Mentelianus prior & tertius Moretanus *Camerte.* HEINS. *Camertis* Vratislaviensis & Leidensis.

227. HAUD NESCIA. *Haud inscia* priores Mentelii & Menagii.

229. CUNC-

Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
230 Objectare animam? numerone, an viribus aequi
Non sumus? En, omnes & Troës, & Arcades, hi sunt,
Fatalisque manus, infensa Etruria Turno.
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
235 Succedet fama, vivusque per ora feretur:
Nos, patria amissa, dominis parere superbis

Co-

SERVII.

229. PRO CUNCTIS TALIBUS. Qualis etiam Turnus est: & attendit sensum superiorem, ubi ait Turnus [35] oblique sup. 16. *Et solus ferro crimen commune refellam.*

230. AN VIRIBUS AEQUIS NON SUMUS? Bene addidit *viribus:* nam legimus in Sallustio Catil. VII. *Memorare* [36] *possumus, quibus in locis populus Romanus ingentes hostium copias parva manu fuderit.* Virgilius v. 754. *Exigui numero; sed bello vivida virtus.*

231. EN OMNES. Ne occurreret: Sed est in castris alter exercitus.

232. FATALISQUE MANUS. Trojanorum scilicet, qui fataliter ad Italiam venerant, ut sit iteratio. HETRURIA autem INFENSA, pro, Hetrusci, qui etiam Turno inimici sunt, [37] propter Mezentium.

234. DEVOVET ARIS. Quia ait supra 220. [38] [de Turno: *Et aram*] *suppliciter venerans.* Item: XI. 442. *Sed vobis animam hanc soceroque Latino Devovi:* nam ipsa iterat verba.

235. VIVUSQUE PER ORA FERETUR. Tanquam de vivo omnes [39] loquentur: [40] [vel, nominis immortalitate vivet, & laudibus.]

VARIORUM.

229. CUNCTIS PRO. *Pro cunctis* Mediceus & caeteri nostri, cum Servio & Pierianis. HEINS. Sensum esse puto, an fata omnium committemus unius pugnae & discrimini, ut apud Flor. I. 3. & II. Aen. 130. similiter haec imitatus Statius XI. Theb. 159. ubi Polynices pro reliquis Argivis pugnam cum Fratre deposcens ait:

Non plebis Danae florem, Regumque verendas
Objectare animas.

cuncti pro Ald. ỳ. 236. non cepit Catroeus.

230. NUMERONE, AN VIRIBUS AEQUI. *An viribus aequis* Gudianus a manu prima, quomodo & in Menagiano priore, & secundo Rottendorphio & Moretano quarto legebatur, idque concinnius. & ita Servius Danielis. lib. V. Aeneid. 809.

Congressum Aenean nec Dis, nec viribus aequis.

Nemesianus Cynegetico:

His leporem praemitte manu, non viribus aequis,
Nec cursus virtute parem.

Auson. Epitaphio Troili:

Hectore prostrato, nec Dis nec viribus aequis
Congressu perii Troilus Aeacidae.

Perioche Iliad. XX. *Tunc Aeneam Dis & viribus iniquis cum Achille congressum nube circumdata Neptunus eripuit.* Valer. Flac. V. *Hinc Perseus, illinc non viribus aequis Apparat Aeetes aciem.* HEINS.

231. OMNES HIC TROES ET A. HIC SUNT. Parrhas. *hic sunt* Dorvil. Ed. Mediol. Ald.

Ibid. HIC SUNT. *Hi sunt* in codicibus scriptis, si alterum Hamburgicum cum Veneto, & duos aut & tres minoris praeterea rei excipimus. HEINS.

232. FATALISQUE. *Fatalesque manus* in Mediceo, Sprotiano, Montalbanio, alteroque Hambur-

35 deest L. R. Steph. al. 36 *possum* L. Vos. R. Dan. Fabr. *possem* Basil. & ita in Sallustio legitur, & *maximas h. copias.* 37 causa Mezentii L. Vos. Bas. accusat Mezentii R. 38 desunt L. R. Vos. Basil. sed Mss. ultimum ex Virgilio locum praeponunt. *vobis animam* Steph. 39 locuntur Dan. 40 desunt L. Vos. R. Steph. Dan.

Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis,
Jam magis atque magis; serpitque per agmina murmur.
240 Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini.
Qui sibi jam requiem pugnae, rebusque salutem
Sperabant, nunc arma volunt, foedusque precantur
Infectum, & Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, & alto
245 Dat signum coelo; quo non praesentius ullum
Turbavit mentis Italas, monstroque fefellit.
Namque volans rubra fulvus Jovis ales in aethra

Lito-

SERVII.

237. LENTI. Ociosi, ut I. Ecl. 4. *Tu Tityre lentus in umbra.*

242. FOEDUSQUE PRECANTUR INFECTUM. Rogant, ut pro non facto sit, ne piaculum videantur admittere.

245. ET ALTO DAT SIGNUM COELO. Ut religio alia religione solvatur. PRAESENTIUS. Efficacius. [41] [Et alibi I. Ecl. 42. *Nec tam praesentes alibi cognoscere Divos*]

246. MONSTROQUE FEFELLIT. Bene *fefellit:* namque hoc augurium [42] nec oblativum est, nec impetrativum; sed immissum factione Juturnae, quod carere fide indicat sedes negata: nam ubicumque firmum [43] introducit augurium, dat ei firmissimam sedem, ut VI. 191. *Ipsa sub ora viri coelo venere volantes, Et viridi sedere solo.* Item IX. Ecl. 15. *Ante sinistra cava monuisset ab Ilice cornix.* In hoc autem augurio liberatum cygnum cecidisse in aquam dicit, [44] quam instabilem esse [45] [& infirmam,] manifestum est.

VARIORUM.

burgico. HEINS. *Mortalesque* Montalbanius pro diversa lectione. *Etruria mater* Ed. pr.

233. ALTERNI. *Alternum* Bigotianus. *alternis* alter Menagii. *vix alterni hostem* Leidensis. major etiam Daris magniloquentia apud Justinum lib. XI. 13. *vix denis armatis singulos hostes, si divisio fieret, evenire.* vid. Guell.

234. QUIDEM. *Equidem* alter Hamburgicus. deinde *succedens* Hugenianus. *succedit* Mentelius prior. *vivisque* Montalbanius, forte melius, pro *vivorum per ora.*

235. VIVUSQUE. An *vivûmque.*

236. AMISSA. *Admissa* Dorvil.

237. QUI NUNC LENTI CONSEDIMUS ARVIS. *Armis* Mediceus a manu prima. *lentis consedimus armis.* ab eadem manu Gudianus, qui & a secunda *considimus*, quomodo & Vossianus prior, tertius Rottendorphius, & primus Moretanus. consulantur annotata ad Ecl. VII. I. *Lentis armis* minime contemnendum. imo sic Maronem nobis reliquisse habeo persuasum ut credam. & miram habet emphasim verbum *considendi* Tale illud superiori libro,

Vos pacem laudate sedentes,
Illi armis in tecta ruunt.

quamquam minime ignoro *arvis considere* & alibi apud nostrum occurrere. *consedit ardor, ira, impetus, ignis* passim apud optimos scriptores occurrit, hoc est remisit, sedatus est. *luctu urbs consedisse* superiori libro dicebatur. *sedere* etiam dicti, qui in oppugnatione oppidi hostilis diu multumque haerebant. & *stare*, de quo ad Silium Italicum lib. XII. 64. & VII. 398. HEINS. *Lenti c. arvis* Ed. pr. Mediol. Ald. *laeti cons.* Vratislaviensis. *leti* Zulichemius. Heinsius in ora codicis

41 desunt iisdem. 42 non obl. nec impetritum Dan. impetratum Fabr. 43 inducit. 44 aquam autem stabilem & infirmam esse non dubium est Dan. Fabr. 45 desunt L. R. Vos. Steph. al.

Litoreas agitabat avis, turbamque ſonantem
Agminis aligeri; ſubito cum labſus ad undas
250 Cycnum excellentem pedibus rapit inprobus uncis.
Adrexere animos Itali, cunctaeque volucres
Convertunt clamore fugam, mirabile viſu;
Aetheraque obſcurant pennis, hoſtemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, & ipſo
255 Pondere defecit, praedamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penituſque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore ſalutant,

Ex-

SERVII.

248. LITTOREAS AGITABAT AVES. Paluſtres: nam [46] *littus* dicitur omnis terra aquis vicina, ut VIII. 83. *Viridique in littore conſpicitur ſus.*

250. EXCELLENTEM. Magnum, ſicut in exercitu magnus eſt Turnus.

252. CONVERTUNT CLAMORE FUGAM. Redeunt cum clamore, [47] ſicut in exercitu ſolet fieri.

257. AUGURIUM SALUTANT. Venerantur. Et proprie: nam *ſalutare* dicimus *deos*. Terentius Phorm. II. I. 81. [48] *At ego deos penates hinc ſalutatum domum divortar.* Et Plautus in Curculione III. I. 19. *Quis eſt, qui operto capite ſalutat Aeſculapium?*

VARIORUM.

cis *quis nunc. lenti* agnoſcit Serv. ad Ecl. I. 4.

238. INCENSA EST. *Accenſa eſt* duo Rottendorphii, alter Mentelius. praeterea *Tum magis atque magis* Gudianus. HEINS. *Accenſa* etiam a manu ſecunda Zulichemius.

239. JAM MAGIS. *Tunc* Zulichemius. *ſerpit per* Dorvil.

240. MUTATI. *Mutari* Zulichemius. mox *Et ſibi jam* ſecundus Rottendorphius. *Cui jam* Leidenſis.

241. QUI SIBI. *Quiſquis* Parrhaſ.

242. NUNC ARMA. *Nunc jam arma* alter Hamburgicus. imitatur Statius VIII. Theb. 657. *Arma volunt*, ubi male *volant* alii ediderunt. nam & idem lib. III. 665. *arma volenti obvius ire paras.* deinde *infectum*, *Turni* Venetus.

245. PRAESENTIUS. Ita legendum, non *praeſtantius.* ſed *praeſentius*, id eſt, magis in tempore oblatum, ideoque ad animos turbandos efficacius. FABRIC. *Praeſtantius* in Menteliano utroque, duobus Hamburgicis, & aliis nonnullis, quod vulgatos libros occuparat. caeteri bene *praeſentius*, ut exhibemus. lib. II. Georg.

Quo non praeſentius ullum
Auxilium venit.

ſupra v. 152. *ſi quid praeſentius audes.* plura ad Naſonem lib. XIII. Metam. 757. mox *turbavit mentes Italis*, non *Italas* Montalbanius. HEINS. *Montes Italos* Bigotianus. Ovid. *Humanas motura tonitrua mentes.*

247. NAMQUE VOLANS. *Jamque* in altero Hamburgico. & in Gudiano *fulvos ales*. Mediceus etiam *fulvus rubra*. HEINS. *Jamque* Hugenianus. *namque* agnoſcit Statii Interpres lib. III. 64. (qui *rubra* omittit) & Horatii Epod. X. qui docent in malo augurio feminino genere, in bono maſculino poni, quod refutat Barthius ad Statii d. l. *Fulvis* Parrhaſ. *rubea* Vratiſlavienſis. *litoreaſque* Leidenſis & Regius. *agitavit* ſecundus Rottendorphius. *turbamque ſequentem* Excerpta noſtra.

249. CUM LAPSUS. *Collapſus* Parrhaſ.

250. RA-

46 litus circa omnem aquam eſt Dan. 47 ſicut exercitus ſolet Dan. Fab. fieri deeſt L. Voſ. R. Baſil. 48 *Hinc deos domum ſalutatum pergam* Steph. *At ego hinc deos domum ſalutatum pergam* L. R. ſed Voſ. omittit *domus.* devortor Dan. Fabr.

Expediuntque manus: primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod saepe petivi.
260 Adcipio, adgnoscoque Deos: me, me duce ferrum
Corripite, o miseri, quos inprobus advena bello
Territat, invalidas ut avis; & litora vestra
Vi populat. Petet ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit. Vos unanimi densate catervas,
265 Et regem vobis pugna defendite raptum.

Di-

SERVII.

258. EXPEDIUNTQUE MANUS. Dimicare se velle significant: haec enim est consensio militaris. Lucanus I. 387. *Elatasque alte, quaecumque ad bella vocaret, Promisere manus.*

259. QUOD SAEPE PETIVI. Quasi [49] impetrativum hoc augurium vult videri. ACCIPIO, AGNOSCOQUE DEOS. Modo quasi de oblativo loquitur: nam in oblativis auguriis in potestate videntis est, utrum id ad se pertinere velit; an refutet & abominetur. Ergo nunc dicit, se augurium libenter amplecti, & agnoscere circa se favorem deorum.

261. QUOS IMPROBUS ADVENA TERRITAT. Interpretatur augurium: & confirmat, id ad praesens negotium pertinere.

262. LITTORA VESTRA. Bona iteratio: nam supra ait: *Littoreas agitabat aves.*

263. VI POPULAT. Antique: nam veteres & *populo*, & *populor* dicebant: [50] [nunc tantum *populor* dicimus; [illud penitus de usu recessit.] PENITUSQUE PROFUNDO VELA DABIT. Ut supra de aquila: *Penitusque in nubila fugit.*

264. DENSATE CATERVAS. Sicuti Cygni, *hostemque per auras Facta nube premunt.*

VARIORUM.

250. RAPIT. In Ind. Erythr. in *capit* hic versus notatur, quasi ita legeretur.

251. CUNCTAEQUE. *Junctaeque* Zulichemius a manu prima.

253. PENNIS. *Pinnis* tertius Mentelii, Regius, & Editio Juntina.

255. DEFECIT. *Deficeret* ex suorum nonnullis profert Pierius. forte pro *deficere*. cujusmodi loquendi modos Maroni familiares esse observabamus lib. I. Georg. 383. HEINS. *Et ipse* Menagius alter, prior Hamburgicus, Venetus & duo Leidenses. & Parrhas. & Regius. *ab ipso* Sprotianus. *donec convictus* Bigotianus & Dorvil. *projecit fluvium* tertius Rottendorphius.

256. PENITUSQUE. *Penitus* Mediceus & Mentelianus prior, cum altero Menagio. HEINS. Et Regius.

257. RUTULI. *Nutu* Parrhas.

259. HOC VOTIS. *In votis* Oudartii & Zulichemii manus prima. videtur Horatium legisse librarius apud quem, *Hoc erat in votis, modus agri non ita magnus.*

261. O RUTULI. *O miseri* princeps Vaticanus Pierii & noster Mediceus, cum Donato conspirantes, quod longe elegantius. nec aliter Gudianus a manu prima. confirmant & Sprotianus, duo Rottendorphii, alter Mentelius, Montalbanius, Vossianus prior. in altero Hamburgico *famuli*, & est invidiose dictum. HEINS. *O Rutili* Dorvil. Ed. pr. & Mediol. Ald.

262. INVALIDAS. *Invalidus, ut a.* Ed. pr. *& litora nostra* Mediol. & ita quidam apud Servium ediderunt.

Ibid. LITORA VESTRA. Non *nostra* potiores scripti. & id quoque majorem invidiam prae se fert. HEINS. *O Rutuli* Paris.

263. PETET. *Petat* alter Hamburgicus. *ne populat* Parrhas.

264. UNANIMI DENSATE. *Densete* Mentelianus uterque, tres primi Moretani, cum Pierii pleris-

49 imperitum Dan. impetratum L. Vos. R. Steph. imperativum Basil. POPULO AUTEM. 50 desunt Vos. sed L. R. desunt ultima, populo autem penitus Steph.

Dixit, & adversos telum contorsit in hostis
Procurrens: sonitum dat stridula cornus, & auras
Certa secat. Simul hoc, simul ingens clamor, & omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
270 Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjunx Tyrrhena Gilippo;
Horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo

Bal-

SERVII.

266. ET ADVERSOS TELUM CONTORSIT IN HOSTES. [51] Hoc loco ab Homeri oeconomia recessit: ille enim inducit Minervam persuadentem Pandaro, ut jacto in Menelaum telo dissipet foedera Il. Δ. 92. [52] [Ἀγχῦ δ' ἱσαμένη ἔπεα πτερόεντα προσηύδα, Ἦρά νυ μοί τι πίθοιο Λυκάονος υἱὲ δαΐφρον, Τλαίης κεν Μενελάῳ ἐπιπροέμεν ταχὺν ἰὸν, Πᾶσι δὲ κε Τρώεσσι χάριν καὶ κῦδος ἄροιο, Ἐκ πάντων δὲ μάλιστα Ἀλεξάνδρῳ βασιλῆϊ.] Hic vero dicit, ipsum augurem telum sponte torsisse, & occidisse unum de novem fratribus: quod pertinet ad oeconomiam: necesse enim erat, ut [53] fratres, dolore ex unius morte commoti, bellum moverent. Si enim vilis aliquis interiret, poterat ejus mors ob foederis religionem forte contemni.

267. SONITUM DAT. Id est, facit, [54] [ut supra I. 79. *Tu das epulis accumbere Divum.* Et Plautus in Aulularia IV. V. I. *Emortuum ego me mavelim letho malo; Quam non ego illi dein hodie insidias seui.*] CERTA. Inevitabilis: unde *incerta*, est infirma & vitabilis.

268. [55] [SIMUL HOC, SIMUL. Antique, ut: *Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes:* &: *Simul Aenean in regia ducit Tecta, simul divum templis indicit honorem.*]

270. HASTA VOLANS. Minus est, *namque:* [56] [sane reliquit hastam Poëta, dum vult simul multa describere, & rem imperfectam omisit; deinde rediit ad descriptionem, ut supra in augurii narratione.]

273. HORUM UNUM. Ordo est: Transadigit [57] unum costas: & figurate dixit *unum*, pro, *unius.* TERITUR QUA SUTILIS ALVO BALTHEUS. Rem physicam dixit: omnia enim, quibus utimur, non nos terunt; sed ea nos terimus: ut annulum, vestem, [58] [baltheum. AD MEDIUM autem, absolute, id est, ubi alvo teritur baltheus.]

VARIORUM.

risque. & recte. nec aliter ex suis Giphanius Indice Lucretiano. dictum de hoc verbo ad Claudianum IV. Cons. Honor. 325. & Nasonem. dictum & supra lib. VII. 794. neque aliter hoc loco producto Eutyches Grammaticus agnoscit, ubi exemplum subjungit ex Historiis Sallustii: *Ille subsidiis principes augere & densere frontem.* deinde *unanimes* Mediceus & Menagius uterque, cum aliis nonnullis. etiam Eutyches. *una animae* manus prima Gudiani codicis. HEINS. *Unanimes* Dorvill. Vratislaviensis & Parrhas. & ita Serv. ad XI. 653. qui & *densete.* tres tamen syllabae quae *e* proferunt offendunt, & *densate* numerosius est. vid. XI. 650.

265. VOBIS. *Nobis* Ed. pr.

266. ADVERSOS. *Adversus* Leidensis & Regius. *telumque intorsit* secundus Mentelius. deinde *praecurrens* Leidensis & Excerpta nostra. *proterrens* Montalbanius. *percurrens* Zulichemius a manu prima. *procurrens*, est ex ordine currens. Florus.

267. AURAS. *Aras* Dorvil. a m. pr.

268. SIMUL HOC. *Haec* Venetus. *simul hoc ingens & clamor* Zulichemius. unde Heins. *ingens it.* in Oudartii *simul hoc* deerat. *simul* eleganter geminari constat ex notis ad Vell. Paterc. II. 22. Liv. III. 50. & XXVII. 15.

272. Gi-

51 vid. H. Steph. Differt. de Criticis p. 99. 52 desunt L. R. Vos. Steph. Dan. 53 fratris ex unius L. Vos. R. Steph. al. 54 desunt L. Vos. R. Steph. Dan. 55 desunt L. Vos. R. Steph. al. 56 desunt iisdem. 57 deest, & mox iterum unam L. Vos. R. 58 desunt L. Vos. R. Steph. al.

Balteus, & laterum juncturas fibula mordet,
275 Egregium forma juvenem, & fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvaque effundit arena.
At fratres, animosa phalanx, adcensaque luctu,
Pars gladios stringunt manibus, pars missile ferrum
Conripiunt, caecique ruunt. Quos agmina contra
280 Procurrunt Laurentum. Hinc densi rursus inundant
Troës, Agyllinique, & pictis Arcades armis.
Sic omnis amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras: it toto turbida coelo

Tem-

SERVII.

275. EGREGIUM FORMA JUVENEM. Bene hic *egregium*: quippe qui esset de fratrum grege.

277. [59] [AT FRATRES. Pro, at fratrum pars.] ANIMOSA PHALANX. Quasi phalanx, id est, legio. [60] [Et bene a numero, a germanitate, a nobilitate, a forma, ab aetate, ab vulneris genere, ab ipsius laude, a genere mortis [61] incitatio nata.]

279. COECI. Ut salutis improvidi. [62] [Et bene, jam non pars, sed universi.]

280. INUNDANT. More undae fluunt.

281. AGYLLINIQUE. Pro Etruscis: hi enim contra Mezentium auctores conjurationis fuerunt. PICTIS ARCADES ARMIS. Bene *pictis*, ut in undecimo 93. *Et versis Arcades armis*: ut ornatus picturae lateret in luctu.

282. SIC OMNES AMOR UNUS HABET. *Sic*, id est, dum paulatim suis invicem [63] subveniunt, omnes in bellum coacti sunt. Sic Sallustius.

283. DIRIPUERE ARAS. Dejecerunt, dissipaverunt. [64] [Sane cum praesens tempus belli loquitur, bene praeteritum intulit *diripuere*. Et more suo interjecit aliud: nam ordo erat *Diripuere aras, craterasque focosque ferunt*.]

VARIORUM.

272. GILIPPO. Multi codices ex praestantioribus *Gylippo*. HEINS. *Gylipso* Mediceus. *Gelippo* Montalbanius. *Gylyppo* duo Menteliani. *Arcadico* Sprotianus a m. sec.

273. AD MEDIUM, TERITUR QUA SUTILIS ALVO. *Ad mediam alvum* tres primi Moretani, duo Hamburgici, Leidensis, & Schefferius. *mediam* quoque Mediceus a manu prima. HEINS. *Medium alvum* Excerpta nostra & alter Hamburgicus. *in mediam alvum* Zulichemius a manu prima. v. ad Suet.

275. EGREGIUM. *Egregia forma* primus Moretanus. HEINS. *Transadiit* Parrhas. vid. inf. 508.

276. EXTENDIT. Non damnarem hanc scripturam, nisi in membranis poene omnibus occurreret ejus loco *effundit*. quod revocavi. Mentelius tamen prior pro vulgata stat lectione. infra 531.

Murranum scopulo, atque ingentis fragmine saxi
Excutit, effunditque solo.

alterum habuimus lib. IX. 589.

Multa porrectum extendit arena.

& lib. v. 374.

Fulva moribundum extendit arena.

In Menagio priore hic loci, *& fulva extendit arena*. HEINS. *Extendit* Dorvil. *effudit* Zulichemius & Parrhas. *infundit* Bigotianus. *& fulva effundit* Ed. pr.

277. PHALANX. *Phalans* Zulichemius.

278. GLADIOS. *Gladium* Hugenianus. *gladios stringunt: manibus pars* &c. Montalbanius & prior Hamburgicus.

280. HINC DENSI. *Hinc depressi* Ed. pr.

281. AGYL-

59 desunt iisdem. 60 desunt iisdem. 61 incite sonatu * Dan. est commutatio Fabr. incitatio nata est a Masvic. 62 desunt L. R. Vos. Steph. al. 63 obediunt R. 64 desunt L. Vos. R. Steph. al.

Tempeſtas telorum, ac ferreus ingruit imber:
285 Crateraſque focoſque ferunt. Fugit ipſe Latinus,
Pulſatos referens infecto foedere Divos.
Infrenant alii currus, aut corpora ſaltu
Subjiciunt in equos, & ſtrictis enſibus adſunt.
Meſſapus regem, regiſque inſigne gerentem,
290 Tyrrhenum Auleſten, avidus confundere foedus,
Adverſo proterret equo: ruit ille recedens,
Et miſer oppoſitis a tergo involvitur aris

In

SERVII.

284. FERREUS IMBER. Permanſit in tranſlatione, quia dixerat: *Tempeſtas telorum.*

285. FERUNT. Auferunt: nam Aphaereſis eſt, ut *temnere*, pro, *contemnere:* [65] [alibi IX. Ecl. 51. *Omnia fert aetas.*]

286. PULSATOS DIVOS. Id eſt, violatos, laeſos fractis foederibus.

287. INFRENANT ALII CURRUS. Id eſt, equos, [66] [qui ſub curribus ſunt:] ſic alibi I. Georg. 514. [67] [*Fertur equis auriga,*] *neque audit currus habenas.*

288. SUBJICIUNT IN EQUOS. Super equos jaciunt; ſed proprie non eſt locutus, magiſque contrarie: nam *ſubjicere*, eſt aliquid ſubter jacere.

289. REGISQUE INSIGNE [68] GERENTEM. Id eſt, diadema habentem: [69] [& decenter regem cum inſignibus ſuis dixit.]

290. AVIDUS CONFUNDERE FOEDUS. Legitur & AVIDUM; ſed melius AVIDUS: quia Meſſapus Turno favebat, qui erat impar ad ſingulare certamen: [70] [nam & poſtea ait: *Et miſer oppoſitis a tergo involvitur aris.* Sic enim facilius foedus diſſiparet, ſi arae humano cruore polluerentur: nam & Meſſapi voluntas ita expreſſa eſt, qui ait: *Haec melior magnis data victima divis.* CONFUNDERE FOEDUS autem, prodiit confundere.

291. PROTERRET. Mire dictum.

VARIORUM.

281. AGYLLINIQUE. *Agillenique* Regius & prior Mentelii. *Agilini* Dorvil.

282. OMNIS AMOR. *Amor omnis* Dorvil.

283. IT. *Et* alter Menagii & Gudianus a m. pr. *irruit* Montalbanius.

285. IPSE. *Ille* prior Hamburgicus.

286. INFECTO. *Infeſto* Zulichemius & prior Menagii. *infectos* ſecundus Rottendorphius.

287. AUT CORPORA. *Et corpora* Mediceus. Gudianus verſu proximo, *aut ſtrictis enſibus* a manu prima. *& ſtrictis enſibus adſtant* Leidenſis. HEINS. Et ſic Mediceus. Gudiani codicis lectionem firmant Lutatius ad Stat. I. Theb. 337. & Servius ad I. Georg. 202.

289. GERENTEM. *Regentem* P. Danielis Editio. *ferentem* ſecundus Rottendorphius. *regis inſigne* Dorvill.

290. AVIDUS. *Auſum* Parrhaſ.

Ibid. CONFUNDERE FOEDUS. Et hic & lib V. 496. Graecam loquendi conſuetudinem expreſſit. nam ὅρκος συγχεῖν vel συγχῶσαι in uſu fuiſſe docuit J. H. Meibomius in Jusjur. Hippocr. cap. XX.

291. ADVERSO. *Averſo* Mediceus. *recumbere* Parrhaſ. *proterrere* elegans & efficax verbum. imitatur Statius II. Theb. 644.

Protinus idem ultro jaculo, parmaque Menoetem
Proterrebat agens.

ubi Britannus quidam *proturbabat*. ſcilicet librario indocto in mentem veniret obvium verbum, hunc (ut Servius obſervat, mire dictum) efficaciſſimo permutare. *proſternit* Ed. Mediol. *proteret* Ed. pr.

292. IN-

65 deſunt iiſdem. 66 deſunt iiſdem. 67 deſunt iiſdem. 68 Regentem Steph. deeſt Dan. Fabr. 69 deſunt L. R. Voſſ. Steph. al. 70 deſunt iiſdem ad ỳ. 295.

In caput, inque humeros. At fervidus advolat hasta
Messapus, teloque orantem multa trabali
295 Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet: haec melior magnis data victima Divis.
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Corynaeus ab ara
Conripit, & venienti Ebuso, plagamque ferenti
300 Occupat os flammis. Olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit. Super ipse secutus
Caesariem laeva turbati conripit hostis,

In-

SERVII.

293. HASTA. Cum hasta.

294. TELOQUE ORANTEM MULTA TRABALI. Ennius: *Teloque trabali.*]

295. ALTUS EQUO. Equi magnitudinem latenter ostendit.

296. HOC HABET. Id est, lethali percussus est vulnere, [71] [Apud antiquos enim id erat, *hoc habet*, quod nunc, *peractum est*; sic] Terentius: *Certe captus est, habet.* Sane Sarcasmos est, [72] quasi de loci qualitate inventus: nam, quia [73] super aras cecidit, ait: *Haec melior magnis data victima divis.*

298. [74] [OBVIUS. Bene *obvius* corripuit. AMBUSTUM TORREM. Quidam *ambustum*, proprie circumustum accipiunt; sed poëtae indifferenter pro *combusto* utuntur.] TORREM autem, erit nominativus *hic torris*, & ita nunc dicimus: nam illud Ennii & Pacuvii penitus de usu recessit, ut *hic torrus, hujus torri*, dicamus.

299. [75] [FERENTI. Pro, inferenti.]

300. [76] [RELUXIT. Bene ad brevitatem ignis retulit, qui tantum fulgorem brevi ediderat.]

301. NIDOREM. Modo, putorem. [77] [SUPER. Quidam, propterea; alii, pro, supra, ut: *Ense sequens nudo super imminet.*]

302. [78] [TURBATI HOSTIS. Quia plus trepidationis in illa flamma fuit, quam periculi.

VARIORUM.

292. INVOLVITUR. *Obvolvitur* in primo Moretano. quod verbum apud Ciceronem saepius occurrit. apud Horatium in Satyris habemus, *vitium decoris verbis obvolvere*. & sane cum sequatur apud nostrum, *in caput inque humeros*, *obvolvi* videtur concinnius dici quam *involvi*, ut ingratus sonus vitetur toties repetitae syllabae ejusdem. *volvitur* in secundo tertioque Moretanis. in Bigotiano *appositis volvitur*. in Zulichemio *appositis involvitur*. sic *obrumpere aciem intentionis* apud Florum lib. I. cap. I. in vetustis codicibus Vinetus scribi adseverat. *obsordescere* apud Nonium Marcellum & Prudentium Apotheosi. *obludere* apud Prudentium Hamartig. v. 6. *obbrutescere* v. 653. *obiacere* v. 913. *struem vel ferctum obmovere Jovi aut Marti* Cato de R. R. p. 53. & 57. Ed. Gryph. *& ob struem obmovendam* Ibid. Varro Rei Rust. lib. II. cap. VII. *cum equus matrem ut salieret adduci non posset, & cum capite obvoluto per origa adduxisset, & coëgisset matrem inire, cum descendenti dempsisset ab oculis, ille impetum fecit in eum, ac mordicus interfecit.* HEINS. *A tergo volvitur* Parrhas. & Dorvill. *misere o. a. t. volvitur* Ed. Venet.

293. INQUE HUMEROS. *Atque humeros* Parrhas. *inque humeris* prior Mentelii. mox *avolat* alter Hamburgicus. *ac fervidus* Ed. pr. & Mediol.

295. EQUO. Deest Dorvil.

296. MAGNIS DATUR HOSTIA DIVIS. Oudartii. *hoc habe* Catroeus.

297. CA-

71 desunt iisdem. 72 carnificina, quasi Vos. Dan. 73 supra aras ceciderat Dan. Fabr. 74 desunt L. R. Vos. Steph. al. 75 desunt iisdem. 76 desunt iisdem. 77 desunt iisdem. 78 desunt iisdem. ad ỳ. 309.

Inpreſſoque genu nitens terrae adplicat ipſum:
Sic rigido latus enſe ferit. Podalirius Alſum
305 Paſtorem, primaque acie per tela ruentem,
Enſe ſequens nudo ſuperinminet: ille ſecuri
Adverſi frontem mediam mentumque reducta
Disjicit, & ſparſo late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos & ferreus urguet
310 Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
At pius Aeneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque ſuos clamore vocabat.

Quo

SERVII.

304. SIC RIGIDO. Quidam *ſic*, pro aeque accipiunt; alii ſimpliciter, ut eum inpreſſo genu terrae adplicuerat, ut eſt illud I. 225. *Deſpiciens mare velivolum, terraſque jacentes.* SIC RIGIDO LATUS ENSE. Quidam duro & acuto volunt, non tecto, ut I. Georg. 508. *Et curvae rigidum falces formantur in enſem.*

305. PRIMAQUE ACIE. Hic *que* conjunctio abundat. RUENTEM. Non cadentem; ſed magno impetu ſe inferentem.]

309. FERREUS SOMNUS. Homerus Iliad. Λ. 241. χάλκεον ὕπνον.

312. NUDATO CAPITE. Scilicet [79] [depoſita galea,] ut poſſit agnoſci. Sane quaeritur, [80] quemadmodum *nudato*, dixerit? cum ſupra eum nuſquam tecto induxerit capite: nam *nudatum* eſt, [81] quidquid fuit ante coopertum. *Nudum* vero dicitur, quod tectum ante non fuerat. Ergo aut *nudato*, pro, *nudo* accipiamus; ut ſit pro nomine participium: aut dicamus, tectum eum habuiſſe caput, cum deſcendit ad campum: nam legimus ſup. 167. *Sydereo flagrans clypeo, & coeleſtibus armis.* SUOS CLAMORE VOCABAT. Utrumque exercitum jam ſuum vocabat, ut talis fuerit ejus clamor: Cur in vos invicem ruitis mei? [82] [Quo autem, & adverbium poteſt eſſe & nomen.]

VARIORUM.

297. CALENTIA. *Cadentia* Parrhaſ. Montalbanus & prior Menagii, Zulichemius & Leidenſis & prior Hamburgicus pro varia lectione, & Ed. pr.

298. CHORINEUS. *Corynaeus* Mediceus caeterique ſcripti praeſtantiores. apud Macrobium lib. v. Saturn. cap. 15. *Corinaeus*, quo modo & in membranis Maronis quibuſdam. lib. VI.

Oſſaque lecta cado texit Corynaeus aëno.

& lib. IX.

Aemathiona Liger, Corynaeum ſternit Aſylas.

nomen deſumtum a *Corynaeo* promontorio Ioniae. ſic enim Pliniani codices vetuſti indigetant, non *Coryceum*, prope Mimantem montem. HEINS.

299. EBUSO. *Ebyſo*, non *Ebuſo*, in Nonii Marcelli exemplaribus bis occurrit. HEINS. *Hebeſo* Zulichemius. *Abulo* Bigotianus. *Ebyſo* Mediceus. *Eubuſo* Dorvil. *occupat os* Lucilianum poſſet videri ex lib. VI. Sat. n. 9. niſi Douza ibi *bos* vellet legi. ſed quis certi quid in fragmentis ſtatuat? Valer. Flac. III. 168. *occupat os barbamque viri*, qui certe imitatus Virgilium.

300. ILLI. *Olli* Mediceus, ut ſaepe alias. & paullo poſt *olli dura quies*. HEINS. *Refluxit* Bigotianus. *illi i. b. reluſit* Dorvil.

301. SECUTUS. *Locutus* Parrhaſ. *ille* prior Hamburgicus.

303. INPRESSOQUE. *Impreſſoſque* Dorvil.

304. PODALIRIUS. *Podarilius* Mediceus. *Polidarius* Sprotianus, Venetus & alter Hamburgicus. Zulichemius, Bigotianus & duo Leidenſes. & tres Mo-

79 deſunt iisdem & Dan. 80 quomodo Dan. Fabr. vide H. Steph. de Criticis pag. 171. 81 quod Dan. Fab. 82 deſunt L. Voſ. R. Steph. al.

Quo ruitis? quaeve iſta repens diſcordia ſurgit?
O cohibete iras! ictum jam foedus, & omnes
315 Compoſitae leges: mihi jus concurrere ſoli:
Me ſinite, atque auferte metus. Ego foedera faxo
Firma manu: Turnum jam debent haec mihi ſacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro ſtridens alis adlapſa ſagitta eſt,
320 Incertum qua pulſa manu, quo turbine adacta;
Quis tantam Rutulis laudem, caſuſne, Deuſne,
Adtulerit. Preſſa eſt inſignis gloria facti:

Nec

SERVII.

313. REPENS. Aut ſubito, ut ſit adverbium; id eſt repente, ut III. 156. *Sole recens orto:* aut *repens diſcordia*, pro repentina.

316. [83] [ME SINITE. Subaudiendum *concurrere:* & eſt Zeugma.] FAXO. Id eſt, faciam, [84] [confirmabo: & eſt archaïſmos.

319. ALIS ALLAPSA SAGITTA EST. Utrum, *alis ſtridens*; an *alis adlapſa*?]

320. INCERTUM QUA PULSA MANU. Hoc loco adhuc quidem quaſi dubitat; tamen intelligimus ab Juturna immiſſum quendam, qui vulneraret Aeneam: quod autem paulo poſt Juno dictura eſt de [85] Juturna inf. 815. *Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum:* minime eſt mirandum: nam ſcimus, unicuique imputari, quod alter in ejus fecerit gratiam, ſicut eſt: X. 83. *Et potes in totidem claſſes convertere Nymphas.* Aeneam autem ab [86] homine vulneratum indicat Jupiter, paulo poſt dicens 797. [87] *Mortalin' decuit violari vulnere divum.* [88] [TURBINE. Quod improviſa; alii, quod vehementer, accipiunt.

322. PRESSA EST INSIGNIS. *Preſſa*, pro ſuppreſſa, & non *inſignis gloria*, ſed *inſignis facti*, ut genitivus caſus magis ſit.

VARIORUM.

Moretani & alii. mox *primamque aciem* Oudartii & Dorvil. *in prima acie* Venetus, uterque Hamburgicus, Dorvil. & nonnulli alii. male. vid. Cl. Drakenb. ad Liv. XXI. 34. *Polidorius* Parrhaſ.

308 DISJICIT. *Diſſicat* Leidenſis. *Diſſicit* plures & Ed. pr. *diſſidit* Excerpta noſtra. *rigat arva* Leidenſis a manu ſecunda. *cerebro* Sprotianus, & duo Hamburgenſes.

Ibid. CRUORE. Scripti, *late rigat arma cerebro. Rigat* ad vulneris magnitudinem, quia caput ſecuri diminutum erat. FABRIC. *Cerebro* Sprotianus, duo Hamburgici, ex Moretanis primus, ſed pro diverſa lectione. HEINS. Ita & Bigotianus.

310. CLAUDUNTUR. *Conduntur* duo Rottendorphii, de quo ad Naſonem III. Triſt. Eleg. III. 44. HEINS. *Mortem* Dorvil.

311. INERMEM. *Inertem* Mediceus.

313. QUAEVE ISTA. *Quaene* Venetus. *quaenam iſta* Sprotianus. *quae iſta* alter Hamburgicus. *quove* codices apud Pierium nonnulli. HEINS. *Recens* Sprotianus & prior Hamburgicus. *repit diſcordia ſurgens* Zulichemius *quove* Ed. pr.

314. JAM. *Nam* Sprotianus. *ſit* alter Menagii.

316. ME SINITE, ATQUE AUFERTE METUS. Ita noſtri. in Pierianis nonnullis deſideratur τὸ *atque*. quod ſolus Sprotianus a manu prima confirmat. *Atque auferte manus* in Leidenſi. HEINS. *Metuus* Ed. pr.

317. JAM DEBENT HAEC MIHI SACRA. *Debent haec jam mihi ſacra* ſcripti noſtri. niſi quod in Menagiano, *Turnumque haec debent jam mihi ſacra.*

in

[83] deſunt iiſdem. [84] deſunt iiſdem ad ÿ. 320. [85] Juturna quod monet Dan. quod movet Fabr. [86] hominibus Dan. Fab. [87] mortali non decuit Steph. mortali decuit Baſil. [88] deſunt L. R. Voſ. Steph. al. ad ÿ. 327.

Nec sese Aeneae jactavit vulnere quisquam.
Turnus, ut Aenean cedentem ex agmine vidit,
325 Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet:
Poscit equos, atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas.
Multa virûm volitans dat fortia corpora leto:
Semineces volvit multos, aut agmina curru
330 Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentis

Bel-

SERVII.

323. AENEAE VULNERE. Hic proprie: est enim huic contrarium sup. 51. *Et nostro sequitur de vulnere sanguis.* JACTAVIT autem, aut adeo fortis Aeneas, & metuendus; aut adeo impium nefas visum est.]

327. MOLITUR. Regit: & est Acyrologia: nam proprie *molitur*, est parat. [89] [Alii *molitur*, movet intelligunt, vel arripit, vel aptat.]

331. HEBRI. [90] [*Hebrus* autem,] [91] fluvius Thraciae, juxta Cypsala oppidum.

332. SANGUINEUS MAVORS. Gaudens sanguine, αἱμοχαρής. [92] CLYPEO INCREPAT. Sonat; alibi, arguit, ut x. 830. *Increpat ultro Cunctantes socios.*

VARIORUM.

in altero Menagio, *Turnum debent haec ultima sacra.* HEINS. *Debent, jam mihi* Regius. *debent haec jam mihi* Parrhas.

319. EST. Deest Parrhas.

320. ADACTA. *Adacta est* Ed. Venet. *missa* Dorvil. in marg.

321. CASUSVE, DEUSVE. *Casusne, Deusne* membranae praestantiores magno numero. HEINS. Vid. ad lib. IX. 211. *tantum* Regius. hunc secutus Masv.

322. INSIGNIS. *Ingentis facti* tertius Rottendorphius. HEINS.

325. ARDET. *Instat* Zulichemius a manu secunda.

326. SUPERBUS. *Superbo* Dorvil. in margine.

328. CORPORA. *Pectora* secundus Moreti.

329. CURRU. *Cursu* apud Diomedem, sed frustra. HEINS.

330. PROTERIT. *Protrahit aut* Ed. pr.

332. INCREPAT. *Intonat* Mediceus & Montalbanius. vide libr. VIII. 527. quid si legamus *sanguineum increpat?* quales loquendi modos in Marone haud infrequentes alibi observamus. HEINS. *Intonat* Vratislaviensis. *increpitatque furentes* Leidensis. *frementis* Mediceus a manu prima.

Ibid. ATQUE FURENTIS BELLA MOVENS EMITTIT EQUOS. Primo *immittit*, ex scriptis codicibus reponendum, qui id verbi hoc loco constanter exhibent. deinde in Mediceo a prima manu *frementis equos.* non male. similis diversitas lib. XI. 610.

—— subito erumpunt clamore, furentesque
Exhortantur equos.

ubi in veterrimo Vaticano *frementesque.* supra etiam hoc libro,

Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementes.

in Georgicis,

Tuque, o, cui prima frementem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti.

Sta-

89 desunt iisdem. 90 desunt iisdem. 91 fluvii iidem. videtur vero Cypsala facere pluralis numeri & generis neutrius, quum Mela II. 2. *ingens, aliquando Cypsela.* sed neutro genere etiam posuit Polyaen. Strateg. IV. 15. Ἀντίοχος ἐπόρθει Κύψαλα, Θρᾳκίας πόλιν. vide eruditissimi Wasse notas in Thucyd. V. 33. in addendis. 92 Emantellocios * Dan.

Bella movens inmittit equos: illi aequore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant. Gemit ultima pulsu
335 Thraca pedum, circumque atrae Formidinis ora
Iraeque, Insidiaeque, Dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter proelia Turnus
Fumantis sudore quatit, miserabile caesis
Hostibus insultans: spargit rapida ungula rores
340 Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena:
Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque,
Hunc

SERVII.

334. [93] [ANTE NOTOS ZEPHYRUMQUE. Id est, ventos. VOLANT. Pro, vertuntur.] ULTIMA. Hoc est, tota: si enim gemit ultima, omnis sine dubio.

335. [94] [THRACA autem, id est, Thracia. Cicero in de Republica: *Colonia vero, quae est deducta a Graecis in Asiam, Thracam, Italiam*, & non dixit Thraciam.

336. IRAEQUE, INSIDIAEQUE DEI. Figurata elocutio vario significatu idem ostendens: & non tam virtute, sed insidiis comitatus.

337. ALACER. Quidam, *alacer*, gestiens, & rei novitate turbatus, volunt; *alacris* vero, laetus.

338. QUATIT. Exagitat.] MISERABILE CAESIS. Id est, miserabiliter: nomen pro adverbio, [95] [ut x. 273. *Sanguinei lugubre rubent*.

340. MISTAQUE CRUOR. Hypallage est, pro mixta cruore.

341. STHENELUMQUE DEDIT THAMYRUMQUE. Plura ὁμοιοτέλευτα.

VARIORUM.

Statius I. Achil. 281. de equo,

Non aspera praebet
Ora lupis, dominique fremit captivus inire
Imperia.

ita optimae membranae. in quibusdam *gemit*. vulgati *negat*. Pari modo lib. v. Theb. 706. *vertere jura fremunt*. Quare fit ut accedam potius iis codicibus, qui lib. III. Georg. v. 85. exhibent, ubi agitur de equo,

Collectumque fremens volvit sub naribus ignem,

quam vulgatis, qui *premens* agnoscunt. apud Claudianum in Epigrammatis,

Hac uterum zona cinge frementis equi.

HEINS.

333. IMMITTIT. *Emittit* Editio Dan. Heinsii.

334. GEMIT ULTIMA. Vel *Gemit excita* Gudianus. ut lib. VII. 722.

Pulsuque pedum gemit excita tellus.

ita enim illic loci codices nonnulli. HEINS. *Excita pulsu* Ed. pr. *pulsa* Regius.

335. ATRAE FORMIDINIS ORA. Ita legendum, & *ora Formidinis* pro ipsa Formidine capienda docet Marklandus ad Stat. II. Silv. I. 215. & ita citat Schol. Horat I. Od. 35.

337. ALACER. *Acer* Mentelius prior a manu prima.

338. SUDORE. *Furore* Dorvil.

Ibid. MISERABILE CAESIS &c. *Miserabile* adverbium, quod in parenthesi πάθος clementiae habet, ut illud pudoris apud Horatium lib. II. *cum fracta virtus, & minaces (turpe) solum tetigere mento*. quamvis aliter ibi intelligant vetusti Interpretes. FABRIC.

339. SPARGIT RAPIDA UNGULA. *Sparsit rara ungula* apud Macrobium lib. v. Saturn. 12. in ultima Pontani editione. mendose: nam & *spargit* a Nonio Marcello agnoscitur. HEINS. Et Schol. Lucan. VII. 837.

341. STHENELUMQUE. Codices admodum variant in his nominibus, *Sthelenum*, *Stelenum*, *Thamirum*, *Thamilum*, *Thamyrumque Tamyrimque*, *Pholumque*, *Polumque*. *Tamnumque* Parrhas.

Ibid. THAMYRIMQUE. Diversa apparet hujus nomi-

93 desunt L. Vos. R. Steph. al. 94 desunt iisdem ad *miserabile* ✝. 338. 95 desunt iisdem ad ✝. 344.

Hunc congressus, & hunc; illum eminus: eminus ambo
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis;
345 Vel conferre manum, vel equo praevertere ventos.
Parte alia media Eumedes in proelia fertur,
Antiqui proles bello praeclara Dolonis;
Nomine avom referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaûm speculator adiret,
350 Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus:

Illum

SERVII.

342. AMBO. Antiquo more *ambo*. Terentius: Andr. II. II. 8. [96] *Ambo opportune vos volo:* sicut superius dictum est; cum hodie *ambos* dicamus.]

344. IPSE NUTRIERAT. Solent enim plerumque parentes filios suos aliis dare nutriendos. [97] [Dicendo autem *ipse*, ignotae personae hoc pronomine addit dignitatem. LYCIA autem, pro, in Lycia, ut IV. 36. [98] *Non Lybiae, non ante Tyro despectus Iarbas*. PARIBUSQUE ONERAVERAT ARMIS. Scilicet, ut aequaliter dimicarent, aequaliter currerent.

347. ANTIQUI. Pro, nobilis, & magni, ut I. Aen. 12. *Urbs antiqua fuit:* aut proprie *antiqui*, si referamus ad tempora scribentis. DOLONIS. Cum Trojani exploratorem, quem ad castra Graecorum mitterent, quaererent, hic Dolon exploratum se ire obtulit, si sibi equi Achillis pro praemio darentur: qui, cum isset, obvios habuit Diomeden & Ulyxen, similiter exploratores missos ad castra Trojana, [99] [captusque ab iis, & tormentis adactus exposuerat tam consilia Trojanorum, quam Rhesi adventum, qui equos fatales adduxerat in auxilium Trojanorum:] quem Diomedes & Ulyxes, vinctum ad arborem relinquentes, profecti ad castra Trojana, occiso Rheso, abductis equis, redeuntes occiderunt. Hujus filium nunc inter Trojanos a Turno dicit occisum.]

350. AUSUS PELIDAE PRETIUM SIBI POSCERE CURRUS. Difficilis Hypallage: nam hoc vult dicere: Qui, ut Achillis equos posset accipere, ire ausus est ad castra Graecorum. Ordo enim non procedit, qui ut iret, ausus est petere. [1] [*Currus* vero, pro curruum; ac per hoc, equorum, dixit.

VARIORUM.

nominis scriptura in membranis. *Thamyrumque*, Mediceus. alii multi *Thamirumque*. Gudianus & Sprotianus *Thamurumque*. HEINS.

342. EMINUS AMBO IMBRASIDAS. Ita Mediceus cum Menteliano & Menagiano prioribus. vide ad Eclog. VI. v. 8. HEINS.

343. IMBRASIDAS. *Umbrasidas*, *Umbrasides*, *Hymbrasides*, atque *Laben*, *Hyadem*, *Iadem*, *Eladen*, *Raden*, *Iaden*, *Icidem*, & *Umbrasus* & *Imbrasius* varie codices. *Imbrasius* Serv. ad II. Aen. 394.

Ibid. ATQUE LADEN. *Atque Iaden* Parrhas.

344. ONERAVERAT. *Ornaverat* Mediceus aliique plurimi. recte. de quo ad Nasonis Epistolam Dejanirae 104. curis secundis. apud Ciceronem pro Caecina, *parari & ornari scutis, & telis. aedificare, & ornare classes* apud eumdem, & sic apud Florum. Suetonio in Tit. IX. & Senecae *ornamenta gladiatorum*. τὰ ὅπλα. Livius *Campani gladiatores eo ornatu armarunt*. unde & viri eruditi apud Solinum cap. II. non male reponunt, *Tritannum gladiatorem ornatura Samnitem fuisse*, cum *natura* illic circumferatur. pro *Lycia* in primo Moretano, *nutrierat Lyciae*. HEINS.

345. MANUM. *Manus* Zulichemius. *manu* Leidensis.

96 in Terentii loco *ambo* esse potest nominativus, & ellipsis statui: *ambo opportune*, scil. adestis, venitis, vel simile. deinde *vos volo*. vid. notas Bentleji. 97 unde Persius I. 25. *Cum sapimus patruos* Fabr. al. reliqua desunt L. Vos. R. Steph. al. ad ℣. 350. 98 non Lybiae * Dan. 99 desunt Fabr. captusque abscis * & tormentis Dan. 1 desunt L. Vos. R. Steph. al. ad ℣. 352.

Illum Tydides alio pro talibus ausis
Adfecit pretio: nec equis adspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,
Ante levi jaculo longum per inane secutus;
355 Sistit equos bijugis, & curru desilit, atque
Semianimi labsoque supervenit, &, pede collo
Inpresso, dextrae mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinguit jugulo; atque haec insuper addit:

En,

SERVII.

351. PRO TALIBUS AUSIS. Quaeritur, quis ante hunc [2] *ausis* dixerit?]

352. AFFECIT PRETIO. Modo, [3] *poenam* significat: nam pretium τῶν ποινῶν est. Terentius Andr. III. v. 4. *Ergo pretium ob stultitiam fero.* Unde & Graeci τιμωρίαν, *poenam* vocant, ἀπὸ τῆς τιμῆς, quod est *pretium*. NEC EQUIS ASPIRAT ACHILLIS. *Aspirat*, apud majores [4] *accedit* significat. Cicero II. Verr. 31. *Nunquam aspiravit ad curiam.* Sed hic figurate dixit: *Aspiravit equis*, pro, ad equos: id est, occisus est, nec ad equos Achillis accessit. Melius tamen est ut [5] de Diomede intelligamus, ut sit sensus, Diomedes occidit Dolonem, qui equos Achillis ausus est petere: quos nec ille, qui eum [6] occidit, poposcit. [7] [Sane *adspirat*, est tractum ab his, qui insequentes spiritu suo proximos adflant.

354. LONGUM PER INANE. Hoc est, per longum spatium. SECUTUS JACULO. Pro, insecutus: vel certe, e longinquo eum ante jaculo vulneravit.

356. ELAPSOQUE. Pro, lapso.]

357. DEXTRAE MUCRONEM EXTORQUET. [8] Quasi prooeconomia est, ut non eum suo interimat gladio; ne agnoscat, quod Metisci est, & [9] [jam nunc] suum requirat: quo facto perire poterat [10] sequens fracti gladii oeconomia.

358 [11] [TINGUIT JUGULO. Hic non significat *inficit*, ut II. Georg. 8. *Tingue novo mecum direptis crura cothurnis*, sed, demersit in jugulum, ut ibi sup. 91. *Et Stygia candentem tinxerat unda*, imbuerat, durarat, significat.]

VARIORUM.

densis. *praevertere gentes* Leidensis, Hugenianus & Regius.

346. EUMEDES. *Eumenes* Excerpta nostra & prior Hamburgicus. *Eumeneus* Montalbanius. *Eumeles* Gudianus. *Eumenides* alii & Ed. pr. eadem varietas apud Ovid. III. Trist. IV. 27.

347. BELLO PRAECLARA. *Belli* Zulichemius. HEINS. *Praeclara* ironice Ruaeus.

Ibid. DOLONIS. *Doloris* Regius.

348. NOMINE AVOM. *Nomen avi* Oudartii. *animo moribusque* Ed. pr.

349. SPECULATOR. *Spoliator*, Ed. pr. mox *poscere currum* Mediol.

352. ACHILLIS. *Achilles* Mediceus. forte *Achillei*, ut saepe alias. vid. III. Georg. 91. HEINS. *Assultat Achillis* Zulichemius a manu prima.

353. UT CAMPO. *E campo* secundus Moreti. *in campo* alter Menagii. *& campo* alter Mentelii.

Ibid. CONSPEXIT. *Prospexit* duo principes libri nostri, cum Pieriano & Gudiano. HEINS.

356. LAPSOQUE. *Elapsoque* tres Moretani priores, cum Veneto, secundo Rottendorphio, tertioque, primo Hamburgico & Leidensi. HEINS. Sic Parrhas. & Regius & Ed. Mediol.

357. DEXTRA. *Dextrae* meliores. &, *collo expresso* Mediceus a manu prima. HEINS.

358. FULGENTEM TINGUIT JACULO. Pessime, cum in scriptis omnibus optime *jugulo*, non *jaculo*, exaratum exstet. HEINS.

Ibid. TINXIT. *Tinguit* maxima pars codicum. pro *jugulo* vitiose Dan. Heinsii editio *jaculo. atque insuper*

2 vid. II. Aen. 535. 3 poena. nam L. Vos. R. Steph. Stat. 4 accedat R. Steph. *aspirare* a. m. accedere sig. Basil. in Cicerone legitur paullo aliter. nunc aspiravit L. Vos. R. *in curiam* vulgo. 5 Diomeden Dan. 6 vicit. 7 desunt L. R. Vos. Steph. al. ad ỹ. 357. 8 vide H. Steph. Dissert. de Criticis pag. 96. 9 desunt Dan. Fabr. jam suum Vos. 10 sequente Dan. Fabr. 11 desunt L. Vos. R. Steph. al.

En, agros, &, quam bello, Trojane, petisti,
360 Hesperiam metire jacens: haec praemia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic moenia condunt.
Huic comitem Asbuten conjecta cuspide mittit:
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque:
Et sternacis equi lapsum cervice Thymoeten.
365 Ac velut Edoni Boreae cum spiritus alto
Insonat Aegaeo, sequiturque ad litora fluctus,

Qua

SERVII.

359. EN, AGROS. [12] Subauditur, quos victore Aenea te accipere posse credebas, [corpore tuo *metire: metiuntur* autem *agros*, qui colonis adsignant:] inde enim Sarcasmos [13] factus est: nam consuetudo erat, ut victores imperatores agros militibus suis darent, ut in historiis legimus. Item in Lucano I. 346 *An melius* [14] *fient piratae, Magne, coloni.* [15] [Et alibi ỳ. 444. *Quae sedes erit emeritis: quae rura dabuntur, Quae noster veteranus aret?* Et hoc est, quod supra ait: *Hostibus insultans.*]

364. STERNACIS EQUI. [16] Ferocis, qui facile sternit sedentem. Quidam, pro, pavidi, accipiunt: *consternati* enim *equi* dicuntur.

365. EDONI BOREAE. *Edoni*, Thracii: nam *Edon*, mons est Thraciae. Sane sciendum, hoc loco errasse Donatum, qui dicit *Edonii* esse legendum, ut DO brevis sit, secundum Lucanum, qui dicit I. 675. *Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo.* Namque certum est Systolen fecisse Lucanum: unde *Edoni* dicendum est, ut sit, *hic Edonus, hujus Edoni*. Statius & Virgilium, & artem secutus, ait v. Theb. 78. *Tristius Edonas hyemes Hebrumque nivalem*: non *Edonias*.

366. AEGAEO. Mari scilicet, sicut sequentia indicant: SEQUITURQUE AD LITTORA FLUCTUS: nam male ait Donatus montem esse, unde flat Boreas; cum certum sit, eum de Hyperboreis montibus flare, [17] [quidam, *fluctus*, melius numero singulari accipiendum putant.

VARIORUM.

super secundus Rottendorphii, & Ed. pr.

361. CONDUNT. *Condant* Vratislaviensis & Ed. pr.

362. ASBUTEN. *Asbyten* Mediceus. *Asbiten* Mentelius prior, & Rottendorphius uterque. in caeteris *Asbuten. Buten*, qui in libris editis nonnullis apparet, membranae non agnoscunt. HEINS. *Albuten* Venetus. *Hasbuten*, *Hasbiten*, *Hasputin* alii. *Astuben* Dorvil. forte nomen a gente *Asbytarum*, ut legi debet, non *Asbystarum*. vide Salmas. ad Solin. pag. 270. & N. Heins. ad Sil. Ital. II. 58. & Drakenb. *Asontem* Ed. pr. *Butem* Mediol. *Buten* Ald.

363. SYBARIMQUE. *Subarimque* tres quatuorve cum Gudiano & altero Mentelio. in Leidensi *Fabarimque*, non male. a fluvio nomen mutuatur, cujus lib. VII. 715. fit mentio. in priore Vossiano & tribus aliis *Habarimque*. duo *Abarimque*. prior Mentelianus, & Hamburgicus prior *Sibarimque*. mox *Thymotem* Mediceus. HEINS. *Et Sibarim Daretaque* Ed. pr. *& Sybarim* Ald. *Abarim*, *Habarin*, *Ybarum* alii. *Themetem*, *Thymoetem*, *Tymaetem*, *Thimaeten* alii. & pro *Chlorea Cholanemque Floreaque Choloremque*, *Choreumque Acharimque* Parrhas. *Cloreamque Simbarimque* Dorvil.

365. EDONI. Controversia hic est de media syllaba, quam Virgilius, Horatius, Propertius, Ovidius producunt. & Graecis est Ἠδωνοί. contra Lucanus & Silius posthabita illorum auctoritate corripiunt. Ovidii locus, quia corruptus est, emendandus videtur. is igitur de Remed. Amor. v. 593.

Ibat ut Edonio referens trieterica Baccho.

Hic in Italicis editionibus *Edonio*. in Germanicis *Aemonio*. utrumque falso legitur. scribendum autem

Aonio

12 deest iisdem. 13 facta Dan. 14 *fierent* Edd. Antiquae. vid. ad Lucani locum notas. & supr. IV. Georg. 127. 15 desunt L. R. Vos. Steph. al. sed Dan. Steph. habent ultima, *Et hoc*. 16 cernuum explicat Salmasius. vid. ad X. 894. 17 desunt L. R. Vos. Steph. al.

Qua venti incubuere; fugam dant nubila coelo:
Sic Turno, quacumque viam secat, agmina cedunt,
Conversaeque ruunt acies: fert impetus ipsum,
370 Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus, animisque frementem:
Objecit sese ad currum, & spumantia frenis
Ora citatorum dextra detorsit equorum.
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum
375 Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, & summum degustat vulnere corpus.
Ille tamen clipeo objecto conversus in hostem
Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat:
Cum rota praecipitem, & procursu concitus axis

380 In-

SERVII.

367. QUA VENTI INCUBUERE. Pro, qua ventus: *Boream* enim solum dixit. FUGAM DANT. Pro, fugiunt, ut alibi inf. 437. *Defensum dabit.*

370. QUATIT VOLANTEM. Ut III. Georg. 136. *Oblimet* [18] *inermes.*]

371. INSTANTEM PHEGEUS. Aut sibi, aut omnibus.

372. AD CURRUM. Pro, currui se objecit. CITATORUM. Aphaeresis, pro, concitatorum.

374. [19] [PENDETQUE JUGIS. Pro, jugo, ut sup. 350. *Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus.*

375. LANCEA. Raro lectum: & est telum missile.] BILICEM LORICAM. *Li* longa est, & accentum habet: sicut [20] *bifilum*, FI producitur: quia & *fila*, & *licia* dicimus.

376. DEGUSTAT CORPUS. Id est, leviter tangit, [21] [id est, stringit, propter exiguitatem sanguinis:] unde contra de alto vulnere ait XI. 804. *Virgineumque alte bibit acta cruorem.*

378. [22] [DUCTO MUCRONE. Id est, educto.]

379. PROCURSU. Impetu: & est *procursus* una pars orationis.

VARIORUM.

Aenio ex manuscripto Georgii Agricolae, Philosophi Clarissimi, & ex vetusta impressione Augustana. *Aonius* autem Bacchus a Boeotia, quod Thebas patriam habuerit, Boeotiam vero *Aones* primum tenuerunt. Auctor lib. VI. & VIII. Strabo. FABRIC. *Edonii* ex scriptis Giphanius Ind. Lucret. p. 464. HEINS. *Edonii* etiam Dorvil. & nonnulli. *Edonea* Mediceus.

369. IPSUM. *Illum* Zulichemius a manu secunda. *ipse* a prima. *conversaque acie* primus Moreti.

371. FREMENTEM. *Furentem* prior Hamburgicus. *animoque* Oudartii. mox *sese currui* Bigotianus. *objicit ad currum sese* primus Moreti.

373. DETORSIT. Ita omnes codices.

374. HUNC LATA RETECTUM. *Hinc* in secundo Rottendorphio & altero Hamburgico & Leidensi. in Mentelio priore *hic*. quod ex suis etiam Pierius profert. At Gudianus manifeste *huic* argute & eleganter, ut *τὸ huic* ad Turnum referatur, cujus lancea retectum Phegeum sit consecuta. in Schefferiano pro diversa lectione *retractum*. *relictum* in Pierianis nonnullis. HEINS. *Alta* Montalbanius.

375. Bi-

18 *inertes* legendum. 19 desunt L. R. Vos. Steph. al. 20 *bifidum* Dan. Fabr. *Lybicam* producitur, quia & *Libia* & *Lycia* dicimus L. & *filia* Vos. R. *& licia ducimus*, legebat Barth. ad Stat. VIII. Theb. 382. & explicat tarde enuntiamus. ut longas syllabas. 21 desunt L. Vos. R. Steph. al. 22 desunt iisdem.

380 Inpulit, effunditque ſolo: Turnuſque ſecutus,
Imam inter galeam ſummi thoracis & oras,
Abſtulit enſe caput, truncumque reliquit arenae.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Aenean Mneſtheus, & fidus Achates,
385 Aſcaniuſque comes, caſtris ſtatuere cruentum,
Alternos longa nitentem cuſpide greſſus.
Saevit, & infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quae proxima, poſcit:
Enſe ſecent lato vulnus, telique latebram
390 Reſcindant penitus, ſeſeque in bella remittant.
Jamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapyx

Iaſi-

SERVII.

387. SAEVIT. Scilicet, quia non poteſt in bella procedere: [23] [vel, quod abſtractus a bellis ſit: & bene, viro forti ſervat dignitatem, qui nihil molliter facit in tam aſpero vulnere: nam ideo ait: *Infracta luctatur arundine.*]

389. ENSE SECENT LATO VULNUS. [24] [Quidam *lato*, ita dictum accipiunt; ut, quaſi ipſo jubente ne ſcalpello, aut aliquo ferramento minore, ſed enſe: & hoc *lato*, quod cum majore dolore, dummodo extracta ſagitta, remittant eum quamprimum ad pugnam. Alii *lato*, pro, late, tradunt: ubique tamen] animum viri fortis expreſſit.

391. IAPYX. Aptum nomen medico: nam ἰᾶσθαι [25] Graeci dicunt *curare:* [26] [unde ἰατρὸς dicitur *medicus.*]

VARIORUM.

375. BILICEM. *Trilicem* Bigotianus. *dum pendet trahiturque* primus Moretanus.

376. VULNERE. Cl. Drakenb. ad Sil. IX. 123. *cuſpide* citat, quod neſcio an ex conjectura, an ex codice aliquo petierit. ſed *vulnus* eſt telum, lancea, &c. quibus vulnus infertur. vid. ad lib. II. 529.

378. DUCTO. *Educto* Sprotianus, quartus Moreti & Venetus. *ſtricto* Zulichemius, qui & a manu prima *parabat. adducto* Parrhaſ. *ſtricto* Ed. Mediol.

379. QUEM ROTA. *Cum rota* Mediceus, & Sprotianus, cum altero Voſſiano, altero Mentelio, & tribus quatuorve aliis. quo & Mentelianus alludit, qui a manu primo *Quum.* HEINS.

380. EFFUDITQUE. *Effunditque* cum melioribus membranis. HEINS.

382. ARENA. *Arenae* Mediceus cum Donato, aliique complures. in Veneto praeter haec *relinquit.* HEINS. *Arenae* Leidenſis & tertius Mentelii. *Arena* Ald. Dorvil.

385. COMES. *Puer* Bigotianus.

388. QUAE PROXIMA. Ita Gratius Cyneg. 382. *& quae tutela eſt proxima.* ubi Heinſius malebat *qua. poſcunt* Dorvil. a m. pr.

389. LATEBRAM. *Latebras* Mediceus a manu ſecunda. nec aliter Hamburgicus uterque & prior Menagianus, cum Voſſiano priore & primo ac quarto Moretanis. *Enſe ſecet lato* etiam Mediceus. HEINS. Item Leidenſis, Bigotianus & Excerpta noſtra.

390. IN BELLA REMITTANT. Cum dativo conſtruxit Statius X. Theb. 712.

Teque iterum ſaevis iterumque remittere bellis.

391. IAPIS. *Iapyx* Mediceus, caeterique vetuſtiores. etiam infra tribus quatuorve locis. recte. apud Nonium Marcellum *Iapix* minus mendoſe. ut & apud Macrobium lib. IV. Saturn. cap. 4.

At

23 deſunt iisdem. 24 deſunt iisdem. 25 deeſt L. R. Baſil. Graece Voſſ. 26 deſunt L. R. Voſ. Steph. al.

Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artis, sua munera, laetus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celerisque sagittas.
395 Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artis.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Aeneas, magno juvenum & maerentis Iuli

400 Cor-

SERVII.

394. AUGURIUM CITHARAMQUE DEDIT. Vera lectio est DABAT: nam non *dedit*. [27] [Sane per *citharam*, scientiam [28] indicat harmoniae, [29] [id est, musicae. Sed & *cythara*, & *sagittae*, artes sunt; *augurium* vero, munus: non enim sola arte, verum etiam indulta divinitate colligitur.]

395. UT DEPOSITI. Id est, desperati: nam [apud veteres] consuetudo erat, ut desperati ante januas suas collocarentur; vel ut extremum spiritum redderent terrae; velut possent a transeuntibus forte curari, qui aliquando [30] simili laboraverant morbo. Cicero I. Verr. 2. *Aegram & prope depositam reipublicae partem* [31] [*suscepisse*. Statius in Thebaid. *Ferte depositis opem*.]

396. POTESTATES HERBARUM. Vim, possibilitatem: nam in herbarum [32] natura [33] [vis est, quae δύναμις dicitur, cujus] nulla ratio est: unde etiam ait: *Mutas artes*, musicae comparatione: [34] [licet alii, *mutas artes*, tactum venae velint:] [alii *mutas artes*, quia apud veteres manibus magis medicina tractata est: unde & *chirurgia* dicta: nam ipse ait: *Multa manu medica, Phoebique potentibus herbis*. Ergo *mutas*: quia, ubi manu res agebatur, cessabat oratio.] [35] USUMQUE MEDENDI. Ἐμπειρικὴν scientiam, hoc est, *medicinam*, in usu, non in ratione constantem: [36] * [nam quaedam artes usu discuntur; sicut ipsa maxima parte medicina, quae ante Hippocratem muta fuit.]

397. INGLORIUS. Comparatione sagittarum, & harmoniae, [16] [id est, musicae,] & divinitatis. [37] [MALUIT. Quoniam heroicis temporibus etiam medicina valde fuerat in honore.

398. ACERBA FREMENS. Pro, acerbe: adverbium qualitatis in nomen derivatum.

VARIORUM.

At lib. v. cap. 15. *Iapyx* bene in vetustis editionibus. Castigandus etiam Ausonius Epigrammate XIX.

Idmona quod vatem, medicum quod Iapyga dicunt,
Discendat artes nomina praeveniunt.

Perperam *Iapida* legitur. pessime G. Canterus Nov. Lect. lib. III. cap. 16. *Iasida*. Ausonius enim Maronem cogitabat, & omen in *Iapygis* nomine Servius etiam tangit. *Iapyx* equus apud Silium. *Iapyx* ventus, & *Iapyx* Appulus passim apud scriptores. HEINS. *Jamque erat ante alios Phoebo dilectus* Leidensis. *Phoebi* Excerpta nostra. *delectus* Gudianus. *Iapis* Parrhas. *Iaspis* Ed. pr. & Mediol. & Ald. vid. Vinet. ad Ausonii d. l.

393. LAETUS. *Mittit* prior Hamburgicus. *sua numina* Ed. pr.

394. DABAT. *Dedit* Mediceus, quod & Florentinam editionem occupavit & Gudianum codicem a manu prima. sed a Servio jam damnatum. HEINS. *Dabat* Zulichemius a manu prima, *dedit* a secunda, ut exstat etiam apud Scholiastem Ho-

27 sane sciendum Dan. 28 indicat * Dan. 29 desunt L. Vos. R. Steph. al. 30 dissimili R. f. haud dissimili, desimili Voss. 31 desunt L. Vos. R. Steph. Dan. nisi quod ille *suscepisse* habeat. pro Statio hic Seneca est laudandus; hujus enim sunt, *ite ferte depositis opem*, in Oedipo ℣. 1057. 32 cura R. L. Vos. Steph. Dan. Fabr. Basil. *natura* sublegit Masvic. Putschio qui ita emendabat ad Sallust. Catil. cap. 11. 33 desunt L. R. Vos. Steph. al. post ratio est asteriscum habet Dan. 34 desunt Dan. alii mutatam artem, pro mutam R. reliqua deerant R. L. Vos. Steph. al. ad *usumque*. 35 desunt iisdem. 35 * deest L. R. Empiricen, id est peritiam Enpiros peritus scientiae, hoc est, medicinam in usu &c. Voss. 36 desunt iisdem. 37 desunt iisdem ad ℣. 401.

400 Concurſu, lacrimis inmobilis. Ille retorto
Paeonium in morem ſenior ſuccinctus amictu,
Multa manu medica Phoebique potentibus herbis
Nequidquam trepidat, nequidquam ſpicula dextra
Sollicitat, prenſatque tenaci forcipe ferrum.
405 Nulla viam Fortuna regit: nihil auctor Apollo
Subvenit: & ſaevus campis magis ac magis horror
Crebreſcit, propiuſque malum eſt. Jam pulvere coelum
Stare

SERVII.

400. LACHRYMISQUE IMMOBILIS. Non ſuis, ſed illorum.]

401. PAEONIUM IN MOREM. Medicinalem, a Paeone: nam Doricae linguae eſt *Paean:* naturale autem eſt *Paeon*.

402. [38] [MULTA. Pro, multum. TREPIDAT. Pro, trepidanter facit.

404. FORCIPE FERRUM. Hic *forcipem* dixit, quod Graeci ἀγράγμας dicunt, qua ſolent ſpicula vulneribus evelli: ἄγρια enim *ſpicula ſagittarum* appellantur: alibi *forcipem*, quod [39] formum, id eſt, calidum capiunt.]

405. NULLA VIAM FORTUNA REGIT. Nullus eventus rationem praeſtat. NIHIL AUCTOR APOLLO. Medicinae inventor: [40] nam Aeſculapius praeeſt medicinae, quam Apollo invenit: [41] qui in Ovidio I. Met. 521. *Inventum*, de ſe ait, *medicina meum eſt*.

407. PROPIUSQUE MALUM. Ex fuga ſcilicet Trojanorum.

VARIORUM.

Horatii ad Carm. Secul. & apud Serv. ad II. Georg. 486. & ita Ald.

395. DEPOSITI. Guell.

Ibid. PROFERRET. *Deferret* quartus Moreti. pro *differret* credo.

397. MUTAS ARTES. *Multas artes* Menagii prior, Sprotianus, Montalbanius, ſecundus Moreti, tertius Mentelii, Regius & Parrhaſ. Venetus a manu ſecunda. *mutatas* Dorvill. *mutas artes* omnes dici, quae non ſunt muſicae nec canorae, in quibus nullus eloquentiae locus, oſtendit Gronovius ad Stat. IV. Theb. 183. ſic *mutam ſcientiam* vocat Quinctil. V. de Inſt. Orat. c. 10. pag. 433. Meibomius ad Jusjur. Hippocratis cap. XIX. reſpexiſſe Poëtam credit, ad obligationem ſilentii, qua medici religioſe adſtringuntur; ex illius vero ſententia hauſiſſe ſuam videtur Joan. Hen. Schultze, qui ex Aegyptiorum Graecorumque myſteriis repetiſſe putat, & in templis Serapicis & Aſclepicis (ut loquitur) ideo Harpocrates & Teleſphoros, digito labiis impreſſo, ſilentii medicos admonuiſſe &c. ut didici ex Actis Academicis Lipſ. 1733. editis Tom. I. Sect. II. p. 40. ſi ipſa diſſertatio ad manum eſſet, de ea judicium ferre liceret. vid. & Act. Lipſ. 1740. Jan. p. 47.

398. NIXUS. *Fixus* in Mediceo. HEINS.

400. CONCURSU. *Converſu* quartus Moretanus.

Ibid. LACRIMISQUE INMOBILIS. *Lacrimis immobilis* exemplaria apud me ſcripta praeter Hamburgicos, duos Rottendorphios, Voſſianos totidem, tres Moretanos & Leidenſem, Maroniano more. HEINS.

Ibid. RETORTO. *Reperto* Leidenſis & Excerpta noſtra.

401. PAEONIUM. *Paeonidum* Mediceus.

402. HERBIS. *Hermis* & *trepida* Mediceus. *armis* Dorvil. ſed in marg. *herbis*.

403. NEQUICQUAM TREPIDAT. *Trepida* Mediceus denuo, ut ad manum vel dextram referatur. HEINS.

404. PRENSATQUE. *Preſſat* Montalbanius. *prenſant* ſecundus Moreti. *Forſice* prior Hamburgicus

38 deſunt iisdem ad ỳ. 405. 39 vid. ad lib. VIII. 453. 40 nec Aeſculapius qui L. Voſ. R. 41 ipſe in Ovidii Metamorphoſi ait Dan. Fab. qui in Ovidio inventam de ſe ait medicinam, ut *medicina meum eſt* L. & Voſ. niſi quod in Ovidii Metamorphoſeos. qui in Ovidio, *inventum* de re ait, *medicina meum eſt* R. qui in Ovidio de hac re ait, *inventum m. m. eſt* Steph. qui in Ovidio pro ſe ait, inventum Baſil. Antiq. Ed.

Stare vident: ſubeuntque equites, & ſpicula caſtris
Denſa cadunt mediis. It triſtis ad aethera clamor
410 Bellantum juvenum, & duro ſub Marte cadentum.
Hîc Venus, indigno nati concuſſa dolore,
Dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
415 Gramina, cum tergo volucres haeſere ſagittae.
Hoc Venus, obſcuro faciem circumdata nimbo,

De-

SERVII.

408. [42] [STARE. Plenum eſſe, ut alibi: *Stat pulvere coelum*. Et VII. Ecl. 53. *Stant & Juniperi.* Alii *ſtare*, conſtare intelligunt; ut ſignificet, *pulvere coelum conſtat*, id eſt, in pulverem verſum eſt, & quaſi totum ex pulvere eſt. Alii, diutinum pulvere & continuum: & ſignificatum volunt, inumbrationem ex eo Solis, & coeli factam, id eſt, non moveri coelum; ſed conſiſtere, eundemque manere habitum aëris, ex continua caligine pulveris, obducto ſemel coelo, & quaſi ab oculis intercluſo.

411. HIC VENUS. Genitrix.] INDIGNO DOLORE. Qui fuerat natus ex vulnere indigne inlato, ſcilicet, per inſidias.

412. DICTAMNUM. Haec herba licet ubique [43] naſcatur, melior [44] tamen in Creta eſt, [45] [quae *Dicta* dicitur: unde proprium herbae nomen. Haec admota vulneri, in quo ferrum eſt, extrahit ferrum; in tantum, ut animalia apud Cretam, cum fuerint vulnerata, ad hanc herbam currant, eaque depaſta, tela corpore dicantur excutere. Haec herba hauſta, etiam venena corpore exigere dicitur.]

413. PUBERIBUS CAULEM FOLIIS. Hoc eſt, adultis. Sic in quarto 514. *Pubentes herbae*. Et eſt reciproca inter herbas & homines tranſlatio: nam & *pubertatem herbarum*, & *florem juventutis* vocamus. [46] [*Caulem* autem, medium fruticis, qui vulgo θύρσος dicitur. De hac herba in IV. Aeneid. 72. ait, ubi de vulnerata cerva: *Illa fuga ſylvas ſaltuſque peragrat Dictaeos.*

415. GRAMINA. Hic pro herba: nam eſt hoc nomine alia herba, quae in immenſum excreſcit.]

416. FACIEM CIRCUMDATA. A parte totum corpus accipimus. [47] [Et putatur ſic dictum, ut I. 658. *Faciem mutatus & ora Cupido.*]

VARIORUM.

gicus pro varia lectione.

405. NULLA REGIT FORTUNA VIAM. Vide Charlottae Amaliae Epiſt. ad Ever. Otton. p. 19. & ſeqq. *viam*, ut apud Senec. in Oed. v. 109. *jam ſupereſt ſalus, Si quam ſalutis Phoebus oſtendit viam.* eadem in re *fortuna* lib. III. Georg. 452. *Non tamen ulla magis praeſens fortuna laborum eſt.*

406. ET SAEVUS. *At* ſecundus Moreti.

412. DICTAMNUM GENETRIX. Donatus legit, *ipſa manu genetrix*, nec veroſimile eſt herbam nomine fuiſſe expreſſum, quae a loco, qualitatibus, uſu ita definitur, ut qualis ſit dubitari non poſſit. in ea autem pingenda Theophraſtum dicitur ſecutus. nam Dioſcorides eam & flore & fructu carere dicit. Plinius etiam caule. FABRIC. *ipſa manu genetrix* ex antiquis Grammaticis, Donato inprimis, legendum monet Pierius. ſed Priſcianus, apud quem lib. XVII. hic verſus cum ſex aut ſeptem ſequentibus proferuntur, *Dictamum* agnoſcit. ut & codices ex vetuſtis nonnulli, pro *Dictamno*. HEINS. *Dictamum* Ed. pr. & Mediol. utrumque dici *Dictamum* & *Dictamnum* docet Bodaeus a Stapel ad Theoph. IX. 16. ubi copioſe de eo agit. *carpſit* Regius. & duo alii.

413. PUBERIBUS. Vid. Salmaſ. Exerc. Plin. p. 364.

Ibid.

42 deſunt L. R. Steph. ad indigno ✝. 411: ſed Voſ. habet *ſtare*, plenum eſſe Baſil. deſunt ab *alii ſtare* Dan. Fabr. contra deſunt ab *ut alibi*, ad *alii*. 43 deeſt R. 44 deeſt Voſ. R. Dan. 45 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 46 deſunt iisdem ad ✝. 416. 47 deſunt iisdem.

Detulit: hoc fuſum labris ſplendentibus amnem
Inficit, occulte medicans: ſpargitque ſalubris
Ambroſiae ſuccos, & odoriferam panaceam.
420 Fovit ea volnus lympha longaevus Iapyx
Ignorans; ſubitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor: omnis ſtetit imo volnere ſanguis.
Jamque ſecuta manum, nullo cogente, ſagitta
Excidit, atque novae rediere in priſtina vires.
425 Arma citi properate viro. Quid ſtatis? Iapyx

Con-

SERVII.

417. FUSUM AMNEM. Pro, aquam: a toto partem: ſic ſupra 119. *Fontemque ignemque ferebant.*

419. AMBROSIAE SUCCOS. *Ambroſia*, eſt cibus deorum: nam *nectar*, [48] potus. [49] [Alibi, *Ambroſia* unguentum deorum legitur I. 403. *Ambroſiaeque comae divinum vertice odorem.*] *Ambroſia*, ab immortalitate dicta: *a* enim, *ſine*; *βροτὸς*, *mortalis*.] PANACEAM. Genus herbae eſt. Sciendum tamen, Lucretium *Panaceam* ubique *ſalem* dicere: unde poſſumus & hoc loco *ſalem* intelligere: nam omnem pellit dolorem: unde & nomen accepit, quaſi *πρὸς πάντα ἄκος*, id eſt, *ad omnia remedium*: ſed melius herbam: quia ait *odoriferam*. [50] [Alii *Panaceam* medicamentum dicunt, ex compluribus herbis compoſitum, quod ad omne vulnus facit. Hanc herbam Hercules contra vim venenorum Theſſalis dicitur praeſtitiſſe. Sane nomen mire compoſitum.]

422. QUIPPE DOLOR. Quaſi dolor: cujus natura haec eſt, ut adhibito remedio ſtatim recedat: nam *dolor*, conſequens res eſt, non principalis: unde ſublata cauſſa etiam ipſe ſtatim recedit. Hinc ait, *quippe*, nam infuſa aqua inhaerens laxare coeperat telum, quod antea inferebat dolorem.

423. [51] [JAMQUE SECUTA MANUM. Leniter tentantis ſecuta eſt.]

424. IN PRISTINA. In uſum priorem, [52] [hoc eſt, quales fuerunt priſtinae: vel NOVAE, magnae, aut mirae.

425. ARMA CITI PROPERATE VIRO. Suo more oſtendit feſtinationem: ante induxit loquentem, quam ſignificaret, qui loqueretur. Atqui ſicut nos *properare*, *feſtinare* dicimus, ita antiqui [53] pro *dare* dicebant. Salluſtius: [54] *Soleas feſtinate*.

VARIORUM.

Ibid. COMANTEM. *Comante* Ed. pr.

414. CAPRIS. *Capreis* non inconcinne Leidenſis. vide libro VII. 633. HEINS. Ita duo Leidenſes, & ultimo adſcriptum, id eſt *cervis*. *capris* Zulichemius a manu ſecunda. a prima *captis*, ut Excerpta noſtra. *capris* Serv. ad IV. Aen. 73. ubi tamen de cervis agit.

416. HOC. *Hanc* ſecundus Moreti.

417. HOC FUSUM LABRIS. *Fuſum* Priſcianus ibidem exhibet, quod membranae omnes confirmant. HEINS. *Labiis* Hugenianus & a manu prima Zulichemius. *detulit*, *infuſum* Leidenſis.

418. SPARGITQUE SALUBRES. *Sparſitque* Priſcianus lib. VII. agnoſcit. idem *ſalubris*, pro *ſalubres* hic poni admonet. ſed lib. XVII. profert, *ſpargitque ſalubris*, praeſenti tempore. HEINS.

421. FUGIT. *Ceſſit* in ſecundo Rottendorphio, primo & tertio Moretanis. HEINS. Ita & Zulichemius & Parrhaſ.

422. IMO VULNERE. *Imo in vulnere* Gudianus, prior Menagius, Mentelianus alter, cum Sprotiano & Veneto & ſecundo Moretano. HEINS. Ita Parrhaſ. *uno vulnere* ſecundus Rottendorphius & Venetus. *imo in vulnere* Parrhaſ. & Ed. Venet.

423. MA-

48 potant iidem. 49 deſunt L. R. Voſ. Steph. ad *Panaceam*. Baſil. ad *Ambroſia*. inde vero reliqua in Dan. deficiunt. 50 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. Panaceam ubique ſalem dicere Lucretium falſum eſſe notat Bapt. Pius ad Lucret. IV. 123. & ſuſpicatur hic legendum eſſe *Lucilium* pro Lucretio. 51 deſunt iiſdem. 52 deſunt iiſdem ad ℣. 429. 53 fortes propere dare. 54 *ſolas* Dan. Fabr.

Conclamat, primuſque animos adcendit in hoſtem.
Non haec humanis opibus, non arte magiſtra
Proveniunt. Neque te, Aenea, mea dextera ſervat:
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.
430 Ille avidus pugnae ſuras incluſerat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, haſtamque coruſcat.
Poſtquam habilis lateri clipeus loricaque tergo eſt,
Aſcanium fuſis circum complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oſcula fatur:
435 Diſce, puer, virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defenſum dabit, & magna inter praemia ducet.

Tu

SERVII.

427. NON HAEC HUMANIS OPIBUS. Poteſt ſubaudiri & arte humana.]

429. MAJOR AGIT DEUS. Apollo ſcilicet, inventor medicinae: [55] [hoc eſt, haec agit major.

432. HABILIS LATERI CLYPEUS. Et hic expreſſa feſtinatio eſt. LORICAQUE TERGO EST. Quare tergo tantum, cum totum ambiat corpus? aut, quia latus clypeo dixerat tectum, ſupererat, ut *tergum* lorica muniret.

434. SUMMAQUE PER GALEAM. Decenter *galeam* quoque tum induiſſe ſignificat.]

435. VERUMQUE LABOREM. Quem per me [56] ipſe ſuſcipio: non qui ex aliorum virtute imperatoribus aſcribi conſuevit.

436. FORTUNAM EX ALIIS. Subaudimus, *opta:* neque enim fortuna diſcitur. [57] [Quidam autem defectionem putant, & deeſſe volunt *pete*, aut *accipe*. Alii figuram volunt, pro, quid fortuna ſit, ex aliis diſce; cum & *bona* & *mala* ſit *fortuna*; quid valeat dea haec, ex aliis diſce: vult enim intelligi, ſe adverſa uſum:] & eſt Zeugma non integrum.

437. [58] [DEFENSUM DABIT. Pro, defendet.] INTER PRAEMIA. [59] [*Inter*, veteres pro *ad*, ponebant: id eſt,] ad praemia. Cicero 1. Catil. 4. *Dico te priore nocte* [60] *veniſſe inter falcarios*, id eſt, ad ſalcarios.

VARIORUM.

423. MANUM. *Manu* Gudianus & Moretanus quartus. HEINS.

424. IN PRISTINA. *In corpora* Hugenianus. *in praelia* Sprotianus. *ſubiere* etiam ſecundus Moreti.

425. VIRO. *Viri* Leidenſis, ſecundus Moretanus, Montalbanius, tum & pro diſcrepante ſcriptura prior Hamburgicus. HEINS. *Viri* Dorvill.

426. IN HOSTES. *In hoſtem* praeſtantiores libri. recte. *incendit* Hamburgicus alter. HEINS.

428. NEQUE TE, AENEA. *Neque Aeneam* Hugenianus.

430. PUGNAE. *Pugna* Mentelii prior a manu prima. *ſuraſque* prior Hamburgenſis.

431. HASTAMQUE. *Haſtaque* Hugenianus.

433. ARMIS. *Hamis* Menagii prior.

435. VERUMQUE. *Veterumque* Leidenſis, Montalbanius. *juvenumque* alter Hamburgicus.

436. NUNC TE. *Non te* Ed. pr.

437. PRAEMIA. *Praelia* Menagii prior. *magnum* Hu-

55 deſunt R. L. Voſ. Steph. al. ad ỳ. 435. 56 ipſum Steph. 57 deſunt R. L. Voſ. Steph. al. 58 deſunt iidem. 59 deſunt iidem. 60 *adveniſſe* Steph.

Tu facito, mox cum matura adoleverit aetas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
440 Et pater Aeneas, & avunculus excitet Hector.
Haec ubi dicta dedit, portis sese extulit ingens,
Telum immane manu quatiens: simul agmine denso
Antheusque Mnestheusque ruunt; omnisque relictis
Turba fluit castris. Tum caeco pulvere campus
445 Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverso venientis aggere Turnus,
Videre Ausonii, gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. Prima ante omnis Juturna Latinos
Audiit, adgnovitque sonum, & tremefacta refugit.
450 Ille

SERVII.

438. MATURA ADOLEVERIT AETAS. Adolescendo matura esse coeperit.

439. [61] [SIS MEMOR. Subaudiendum, meorum factorum.]

443. ANTHEUSQUE, MNESTHEUSQUE. Servavit τὸ πρέπον; [62] necesse enim erat, ut, vulnerato duce, multi cum eo in castra [63] remearent.

445. MISCETUR. Modo, confunditur: alibi, perturbatur, ut I. 191. *Miscet agens telis nemora inter frondea turbam.*

446. AGGERE TURNUS. [64] [Hic *aggere* pro] eminentia [posuit;] de via autem aggerem non possumus dicere, [65] nisi si *viae aggerem* dicere voluerimus, id est, viae coacervationem, quam Historici *viam militarem* dicunt, ut v. 273. *Qualis saepe* [66] *viae deprensus ab aggere serpens.* [67] [Quidam ambiguitatem volunt, utrum, ipse Turnus in aggere; an, venientes ex aggere?

448. PRIMA ANTE OMNES. Ut II. 140. *Primus ibi ante omnes:* & *ante omnes*, Latinos solum audit.

449. TREMEFACTA REFUGIT. Quaeritur, cur Juturna, cum hic [68] acie excedat tremefacta, mox tamen inducitur revertens?]

VARIORUM.

Hugenianus. & Ed. pr. Grangaeus ad Juven. Sat. XVI. miratur Virgilium hic *praemia* pro *praelia posuisse.* sed & *praemia pugnae* noster dixit lib. XI. 78.

438. TU FACITO. *Tum facito* Mediceus. HEINS.

441. ALTIS. *Ingens* omnes fere scripti. vide supr. ad lib. IX. 597.

443. ANTAEUS MNESTHEUSQUE. Mediceus, Mentelius & tres Moretani *Antheusque.* recte. lib. I. *Anthea Sergestumque videt.* & ibidem ℣. 181. *Anthea si quem Jactatum vento videat.* ubi plura. in vulgatis illic codicibus aspiratio perperam omittitur. Graecis est Ἀνθεύς, ab Ἄνθος. sed & Ἀνθεῖα oppidum Laconicum ac Ponticum. Occurrit id nomen quoque sub alia persona apud Statium Theb. X. ubi habes,

Anthea falcato lustrantem maenia curru.

mox, *omnesque relictis turba fluit castris*, non *omnisque*, in Mediceo. HEINS. *Antheus Nestheusque* Zulichemius. *Antheusque Mnestheusque* duo Leidenses & alii tres. *ruit* Gudianus pro varia lectione. & mox *ruit castris* Menagii prior.

444. PULVERE. *Vulnere* alter Menagii. *campis* primus Moreti. deinde *plausuque tremit magno exci-*

61 desunt L. Vos. R. Steph. al. 62 quod decet Voss. 63 remanerent Dan. Fabr. 64 desunt L. Vos. R. stat Fabr. *posuit*, item deest iisdem. de ea autem Dan. 65 nisi viae L. Steph. 66 viam Dan. *in aggere* L. Vos. R. Steph. Basil. 67 desunt L. Vos. 68 acie * excedat tempestas, mox Dan. Fabr.

450 Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto sidere nimbus
It mare per medium: miseris, heu, praescia longe
Horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis; ruet omnia late:
455 Ante volant, sonitumque ferunt ad litora venti.
Talis in adversos ductor Rhoeteïus hostis
Agmen agit: densi cuneis se quisque coactis
Adglomerant. Ferit ense gravem Thymbraeus Osirim,
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
460 Ufen-

SERVII.

450. ATRUM RAPIT AGMEN. Pulveris nube coopertum: [69] [quidam autem *agmen*, iter accipiunt; *rapit* autem, festinat; ut sit: Ille campo aperto iter festinat pulveris plenum, & ipsa festinatione excitat: & ita dicunt, quoniam, si *agmen* exercitum dicit, apertus campus esse non potuit bellatorum densitate completus.]

451. ABRUPTO SYDERE. [70] [Vel immensa, vel] magna tempestate: [71] [per *sydus* enim tempestas significatur,] ut III. 422. *Sorbet in abruptum fluctus.* Item XI 259. *Scit triste Minervae Sydus.*

452. IT MARE PER MEDIUM: MISERIS. Statius [72] plenius de hoc sensu XI. Theb. 117. *Deflent sua damna coloni, Et tamen oppressos miserantur in aequore nautas.* [73] [HEU autem, ut solet, interjectionem ex sua persona interposuit.

453. DABIT ILLE RUINAS. *Dabit*, pro, faciet. Terentius Eun. IV. III. II. *Quas turbas dedit?* Et ipse II. 482. *Et ingentem lato dedit ore fenestram.*] RUET. Eruet, evertet. [74] [Terentius Adelph. III. II. 21. *Ceteros agerem, ruerem:* nam] aliter dictum est in II. 290. *Ruit alto a culmine Troja.*

456. TALIS. Taliter, simili modo. Sic paulo post 477. *Similis medios Juturna per hostes.* RHOETEIUS. Trojanus, a promontorio Trojae.

457. DENSI CUNEIS SE QUISQUE COACTIS AGGLOMERANT. Densentur, ut cuneatim dimicent, scilicet in cuneorum [75] modum compositi, [76] [ut hostem facilius invaderent.

458. GRAVEM. Fortem. Sallustius fragm. incert. *Lusitaniae gravem civitatem.*

VARIORUM.

excita tellus Zulichemius a manu prima. *fremit* Leidensis pro varia lectione.

446. VIDIT AB. *Vidit ut* Zulichemius a manu secunda. *agmine* Sprotianus. vid. lib. IX. 375.

448. LATINOS. *Latinis* Mentelii prior, Gudianus & Menagii alter. *Latinos Avebit* alter Hamburgicus. *adiit* Excerpta nostra.

450. RAPIT. *Capit* in Ind. Erythr. *actum rapit* Dorvil.

451. ABRUPTO. *Obrupto* Montalbanius. *abrupto* nonnulli. vid. Catroeus.

452. PRAESCIA. *Tristia* secundus Rottendorphius.

454. RUET OMNIA LATE: ANTE VOLANT. *ruit omnia late Ante volans* in Mediceo. HEINS. *Ruit* Mediceus, Sprotianus & prior Hamburgicus a manu prima, Leidenses duo & Zulichemius. *ruit o. l. Ante volans, s. f. a. l. fluctus* Parrhas. *volans* Oudartii, Rottendorphius & Hamburgensis secundi, Hugenianus, Zulichemius, & Leidensis. *sonant* Mentelii prior.

456. DUCTOR. *Victor* alter Hamburgicus & Lei-

69 desunt L. Vos. R. Steph. al. 70 desunt iisdem. 71 desunt iisdem. 72 planius L. R. Vos. Steph. in Statii loco legitur *plangunt sua* &c. 73 hanc aut longe horrescunt * heu autem Dan. desunt L. Vos. R. Steph. al. ad *ruet* ℣. 453. 74 desunt L. Vos. R. Steph. al. 75 modo L. Vos. R. 76 desunt L. Vos. R. Steph. al. ad ℣. 462. sed haec iisdem verbis Scholiastes Barthii ad Stat. X. Theb. 734.

460 Ufentemque Gyas. Cadit ipſe Tolumnius augur,
Primus in adverſos telum qui torſerat hoſtis.
Tollitur in coelum clamor, verſique viciſſim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipſe neque averſos dignatur ſternere morti;
465 Nec pede congreſſos aequo, nec tela ferentis
Inſequitur: ſolum denſa in caligine Turnum
Veſtigat luſtrans, ſolum in certamina poſcit.
Hoc concuſſa metu mentem Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiſcum

SERVII.

460. CADIT IPSE TOLUMNIUS AUGUR. Ut primus violator foederis poenas luat.]

462. TOLLITUR IN COELUM CLAMOR. Occiſo eo, qui auctor diſrumpendi foederis fuerat, exortus eſt clamor: & ſtatim ſecuta fuga Rutulorum, ut: *Verſique viciſſim Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.* [77] [Et bene VICISSIM, quia Trojanos in fugam verſos fuiſſe, exinde apparet, quod ſupra dixit 408. *Subeunt equites, & ſpicula caſtris Denſa cadunt mediis.*

463. PULVERULENTA. Plena pulveris: nam apud veteres *pulverulenta* dicebantur, ſicut *vinolentum* dicimus, qui vino plenus eſt; & *temulentum*, qui temeto plenus eſt.

465. NEC PEDE CONGRESSOS, NEC EQUO. [78] Pedeſtres & equeſtres pugnas vocat, ubi inter equitem & peditem pugna eſt, ut x. Aeneidos 889. *Et urgetur pugna congreſſus iniqua.*] NEC TELA FERENTES INSEQUITUR. Id eſt, nec fugientes, nec contra ſtantes dignatur occidere. Et magna Aeneae oſtenditur pietas, qui nec vulneratus iraſcitur; ut velit contra legem foederis in [79] bellum moveri.

468 VIRAGO. Dicitur mulier, quae virile implet officium, [80] [id eſt, mulier, quae viri animum habet: has antiqui *viras* dicebant.

VARIORUM.

Leidenſis. *Retheus in hoſtes* Dorvil.

457. DENSI. *Denſis* Sprotianus. *adglomerat* alter Hamburgicus. vulgata eſt in Gloſſis Cyrilli in *Cuneum.*

458. THYMBRAEUS. *Tymbraeus*, *Thybreus*, *Tybreus*. *Oriſtim* Dorvil. alii *Oriſim*. deinde *Arcentim* Dorvil. *Arcetium*, *Arcetum*, *Archecium*, *Artheum*, *Ebulonem*, *Opulonem*, codices varie. *Gias* etiam & *Gigas* alii.

460. TOLUMNIUS. *Tolomnius* Dorvil.

461. TORSERAT. *Torſerit* Leidenſis. *haſtis* Bigotianus.

463. PER AGROS. *Per hoſtes* alter Menagii.

464. ADVERSOS. Manuſcripti lectio,
Ipſe neque averſos dignatur ſternere morti,
Nec pede congreſſos aequo.
& quidem optima. dicit Aeneam nec fugientes occidiſſe, nec armis paribus congreſſos repuliſſe, nec ferientes cominus inſecutum fuiſſe. FABRIC. *Adverſos* in nonnullis Pierianis. quod praeferrem, niſi jam praeceſſiſſet. HEINS. *Adverſos* Dorvill. *adverſus* Leidenſis. *congreſſus nec equo* Ed. pr.

465. AEQUO. *Nec equo* Parrhaſ. & Venetus. & Editio Juntina & Ald.

466. IN CALIGINE. *In* deeſt Sprotiano & Ed. pr. & Mediol. *in denſa cal.* Dorvil. mox *in certamine* alter Hamburgicus.

468. HOC. *Hic* Parrhaſ. & Venetus.

469. METHYSCUM. Quidam hoc loco pro *Metiſcum* ſcribunt *Methyſcum*, ut ſit a Graeco Μεθυσκω. URSIN. *Metiſcum* vetuſtiora exemplaria.

77 deſunt iisdem ad *nec tela* ỳ. 465. 78 Pedeſtria quae eſt pugnae quo * at ubi inter Dan. in Fabr. nihil erat, niſi ut libro x. Aen. &c. 79 bella Steph. 80 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. ad ỳ. 474.

470 Excutit, & longe lapſum temone relinquit.
Ipſa ſubit, manibuſque undantis flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque, & corpus, & arma Metiſci.
Nigra velut magnas domini cum divitis aedis
Pervolat, & pennis alta atria luſtrat hirundo,
475 Pabula parva legens, nidiſque loquacibus eſcas;
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna ſonat: ſimilis medios Juturna per hoſtis
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru:
Jamque hic germanum, jamque hic oſtentat ovantem:
480 Nec conferre manum patitur: volat avia longe.
Haud minus Aeneas tortos legit obvius orbis,
Veſtigatque virum, & disjecta per agmina longa

Voce

SERVII.

471. UNDANTES. Quia in motu undarum modo flectuntur.]

474. PERVOLAT. Per magnas aedes volat: nam more ſuo verbo dedit detractam nomini praepoſitionem.

475. [81] [NIDISQUE LOQUACIBUS ESCAS. Ordo eſt: Eſcaſque nidis loquacibus legens.]

476. VACUIS. Magnis, ut II. 528. *Vacua atria luſtrat Saucius.*

477. [82] [SIMILIS. Pro, ſimiliter.]

480. NEC CONFERRE MANUM. Cum Aenea: [83] nam alios perſequitur. AVIA. Ab ea ſcilicet parte, qua veniebat Aeneas.

481. TORTOS ORBES. Obliquas & implicitas vias.

482. VESTIGATQUE VIRUM. Inquirit: translatio a canibus, [84] [qui per veſtigia & pedum ſigna ferum indagant.] DISJECTA PER AGMINA. Diſſipata adventu Aeneae.

VARIORUM.

ria. ita etiam id nomen in veterrimis Silii & Auſonii codicibus exaratur. nec aliter agnoſcit Diomedes Grammaticus prolato verſu Maronis, qui mox ſequitur, in *faciem ſoror ut converſa Metiſci.* Etſi Fabius Planciades Fulgentius libello de continentia Virgiliana, *Methyſcum* agnoſcit & ebrioſum interpretatur, hoc eſt, *Μέθυσος.* ſed is ſollemniter nugas agit, etſi Cl. Munckerus Fulgentio ſubſcribit. HEINS.

470. RELINQUIT. *Reliquit* fere omnes praeter duos Rottendorphianos. *longo* Dorvil.

472. VOCEMQUE. *Et vocem* Zulichemius.

474. ET PENNIS. *Pinnis* Editio Juntina. *pennas* alter Menagii. *pernix* ſecundus Rottendorphius. Maſvicius edidit *penitus*, quod eſt in Parrhaſ. *penis* Dorvil.

475. LEGENS. *Petens* Hugenianus. *locacibus* Zulichemius & Oudartii. *loquacibus aufert* Rottend. ſecundus a m. pr. mox *ſtagna volat* Parrhaſ. & Leidenſis a manu prima. *ſonans* tertius Rottendorphius & a manu ſecunda alter Hamburgicus, cum Excerptis noſtris. *ſonant* Mediceus.

478. CURRU. *Curſu* duo Leidenſes & plures alii. & Ed. pr. v. Lucan. VII. 3. *rapit omnia* alter Hamburgicus, & Parrhaſ. a m. pr.

479. JAMQUE HIC. *Atque hic oſtendit* Ed. pr. *oſtendit* Ald.

Ibid.

81 deſunt iisdem. 82 deſunt iisdem. 83 nec alios Dan. 84 deſunt L. Voſ. R. Steph. al.

Voce vocat. Quoties oculos conjecit in hostem,
Alipedumque fugam cursu tentavit equorum;
485 Aversos toties currus Juturna retorsit.
Heu, quid agat; vario nequidquam fluctuat aestu:
Diversaeque vocant animum in contraria curae.
Huic Messapus, uti laeva duo forte gerebat
Lenta levis cursu praefixa hastilia ferro,
490 Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Substitit Aeneas, & se collegit in arma,
Poplite subsidens: apicem tamen incita summum
Hasta tulit, summasque excussit vertice cristas.
Tum vero adsurgunt irae, insidiisque subactus,

495 Di-

SERVII.

485. [81] [AVERSOS RETORSIT. Pro, retorsit & avertit.]

486. HEU QUID AGAT? Omne adverbium verbo cohaeret: [86] unde, quia *heu*, *hem*, *at*, *atat*, & similia, verbo cohaerere non possunt, separatim fecerunt aliam partem orationis, scilicet interjectionem: quam sola Latinitas possidet; [87] [cum Graeci sub adverbio comprehendant tales [88] voces. Sane hoc Poëta dedit, rerum miserationem movens. Alii ab Aeneae persona dictum accipiunt, ut diceret: *Heu quid agam?*]

488. HUIC. Pro, in hunc: & est ordo: *Huic dirigit.*

491. SE COLLEGIT IN ARMA. Ita se texit, ut nulla parte posset feriri.

492. APICEM TAMEN INCITA SUMMUM. [89] Galeae eminentiam, quam Graeci *conum* vocant, in qua eminent cristae. [90] [Potest hoc tamen nomen & de sacerdote Flamine accipi, qui apice utuntur: quod in quarto plenius dictum est: nam subjunxit, *vertice cristae*. INCITA. Id est, cum impetu veniens.

VARIORUM.

Ibid. OSTENDIT. *Ostentat* a manu secunda Mediceus. nec aliter princeps Vaticanus Pierii. HEINS. Sic Leidensis & Gudianus.

482. LONGA VOCE. *Magna* Mediceus & caeteri nostri. HEINS. *Longa* Leidensis & alter Mentelii. *dejecta* etiam Oudartii a m. sec. Sprotianus & prior Hamburgensis. *virum disjecta p. a. longa* Ed. pr. *virum & disjecta p. a. magna* Dorvill. Edd. Mediol. Ald.

484. FUGAM CURSU. *Fuga cursum* Scholiastes Horatii Crucquianus lib. I. Od. 27. HEINS. *Tentabat* Zulichemius a manu prima.

485. AVERSOS. *Adversos* Leidensis, Gudianus, duo Moretani & alter Hamburgicus, Ed. pr. *quotiens* Zulichemius. *recessit* Montalbanius. *cursus* alter Menagii.

487. ANIMUM. *Animo* tertius Rottendorphius.

489. LEVIS CURSU. *Levi curru* Bigotianus, & prior Hamburgicus. *levi cursu* Menagii prior, Montalbanius, Gudianus, Zulichemius & Leidensis & Oudartii, qui pro varia lectione *curru*. *levis lato* alter

85 desunt L. R. Steph. al. 86 unde *heu* & *atat* & similia, quia verbo Steph. unde *heu* & *at*, & similia quia Basil. unde quia heu, en, & atat, & similia Vos. Dan. sed L. tantum habet adverbia cum semper verbis cohaereant, si separentur aliam partem &c. in R. erat, omne adverbium verbo cohaerere non possunt, separata fecerunt aliam partem &c. 87 desunt L. Vos. R. Steph. desunt ad *sane* Dan. 88 voces, ut φεῦ Basil. & reliqua omittit. 89 Galeae, id est eminentia, quam Dan. 90 desunt L. Vos. R. Steph. al. ad ℣. 496.

495 Diversos ubi sensit equos currumque referri,
Multa Jovem, & laesi testatur foederis aras,
Jam tandem invadit medios, & Marte secundo
Terribilis, saevam nullo discrimine caedem
Suscitat; irarumque omnis effundit habenas.
500 Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmine caedes
Diversas, obitumque ducum, quos aequore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,

Jup-

SERVII.

495. REFERRI. Id est, retro ferri.]

496. MULTA JOVEM, ET LAESI TESTATUR FOEDERIS ARAS. [91] [*Multa*, pro, multum;] licet haberet justam caussam iracundiae, quod & fugiebat Turnus, & ipse appetebatur insidiis; non tamen ante prorupit [92] in bellum, quam Jovis fidem, & laesa foedera testaretur.

497. [93] [MEDIOS. Qui inter ipsum sequentem, & fugientem Turnum, medii de hostibus erant. MARTE SECUNDO TERRIBILIS. Potest & *Marte secundo* distingui, ut sequatur *Terribilis saevam*, &c. potest & jungi, ut sit: *Marte secundo terribilis*.]

498. NULLO DISCRIMINE CAEDEM SUSCITAT. Indiscrete obtruncat universos, quibus ante pari pepercerat modo.

499. IRARUM HABENAS. Potestatem, facultatem, [94] [id est, irae permittit saeviendi liberam potestatem,] ut I. 63. *Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas*. Et hic moderate locutus est: nam [95] Ennius dixit: *Irarumque effunde quadrigas*.

500. QUIS MIHI NUNC TOT ACERBA DEUS? Ac si diceret: nec Musa, nec Apollo sufficiunt. Statius X. Theb. 825. *Major ab Aoniis* [96] *sumenda audacia lucis: Mecum omnes audete deae*.

502. INQUE VICEM. Invicem: nam *que* vacat. [96] [Alii *que* expletivam conjunctionem accipiunt.]

503. TANTON' PLACUIT CONCURRERE. Apostropha [97] [cum exclamatione] ad Jovem. Sane *tanton'* circumflectitur: nam cum per Apostropham Apocopen verba patiuntur, is, qui in integra parte [98] fuerat, perseverat accentus, [99] [ut *santone*, inde fit *tanton'*, ut & X. 668. [1] *Tanton' me crimine dignum?*]

VARIORUM.

alter Hamburgicus. *praefixo* alter Menagii. vide lib. V. 557.

490. DIRIGIT. *Derigit* Mediceus. *horum uno* Parrhas. *torquens* Dorvil.

492. SUBSIDENS. *Subsistens* alter Menagii.

494. ASSURGUNT. *Insurgunt* Vratislaviensis.

Ibid. SUBACTUS. *Subactis* Mentelii duo, Menagius, uterque Leidensis, Dorvill. Zulichemius, Moreti secundus & Bigotianus & Regius. Mentello priori adscripta glossa, id est *repulsis*. *subactis* Ed. pr. & Mediol. mox *diversos subsensit* Gudianus.

495. SENSIT. *Sentit* Mediceus & Montalbanius. HEINS. Et Leidensis & quatuor alii. equos Turni intellige. ut *aversi currus* 485.

496. LAESI. *Laesas* Menagii prior. *testatur* Venetus, Parrhas. & Ed. pr. alter Hamburgicus & Zulichemius. *saevi testatus* Oudartii.

499. EFFUNDIT. *Effudit* Montalbanius, Venetus, & duo Leidenses. locutionem illustrat Barth. X. Advers. 9. *perfundit* Parrhas.

500. QUIS. *Qui* & *qui carmine* Leidensis.

503. TAN-

91 desunt iisdem. 92 ille in bellum Steph. al. 93 desunt L. Vos. R. Steph al. 94 desunt iisdem. 95 Ennius effundit irarum quadrigas dixit iidem. Ennius ait &c. Dan. 96 *sumenda dementia* L. Vos. R. contra metrum. Justinus XXVII. 2. *puer sceleratam virilemque sumit audaciam*. sic & *scelus sumere* Grat. Cyneg. 449. ubi vide. 97 desunt L. Vos. R. Steph. al. 98 fuerat accentus mutatur Dan. reliquis omissis pat antor, mutatur is qui integra p. fuerat, perseverat Vos. reliqua ignorat. 99 desunt L. R. Steph. Basil. desunt ut & *tanton'* &c. 1 *tanton* en' L. Vos. R. Steph. al.

Juppiter, aeterna gentis in pace futuras?
505 Aeneas Rutulum Sucronem, (ea prima ruentis
Pugna loco statuit Teucros) haud multa moratus,
Excipit in latus, &, qua fata celerrima, crudum
Transadigit costas & crates pectoris ensem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem
510 Congressus pedes: hunc venientem cuspide longa,
Hunc mucrone ferit; curruque abscisa duorum
Suspendit capita, & rorantia sanguine portat.
Ille Talon, Tanaïmque neci, fortemque Cethegum,

Tris

SERVII.

505. [2] [AENEAS RUTULUM SUCRONEM. Descriptio per alterna divisa, ut solent historici.] RUENTES TEUCROS. [3] [Modo fugientes,] [4] quos insequebatur Sucro.

506. [5] [LOCO STATUIT. Stabiles reddidit, ut: *Stabilitque fugam trepidantis Orestis.* HAUD MULTA MORATUM. Id est, non diu moratum; quod scilicet vim Aeneae diutius sustinere non potuit.

507. EXCIPIT IN LATUS. Figurata elocutio.] CRUDUM ENSEM. Modo, *nudum*; alias *crudelem*. ET CRATES PECTORIS. Donatus superfluam vult esse conjunctionem, ut sit Epexegesis: *adigit ensem per costas:* id est, *pectoris crates*, ubi celerius fata complentur. Et hoc est, quod ait supra: *Haud multa* [6] *moratus*.

509. AMYCUM, FRATREMQUE DIOREM. Hi duo duces sunt etiam supra memorati, ut I. 221. *Nunc Amyci casum gemit, nunc acris Orontis.* Item v. 339. *Et nunc tertia palma Diores:* unde ad terrorem populi, eorum capita religantur in curru.

511. CURRU autem, aut septimus est, aut dativus [7] casus antiquus, secundum regulam; ne sit major a nominativo plurali. [8] [DUORUM. Pro, amborum.]

VARIORUM.

503. TANTON. *Tanto'* Ed. pr.

505. AENEAS RUTULUM. In Montalbanio inverso ordine erat,

Pugna loco statuit Teucros, ea prima ruentes
Aeneas Rutulum Sucronem, haud multa moratus.

loco stravit Bigotianus.

506. MORATUS. *Morantem* scripti nostri excepto Sprotiano, in quo *moratum*. sed *moratus* a manu secunda in illo erat repositum. HEINS. *Morantem* Dorvil.

508. CRUDUM TRANSADIGIT COSTAS ET CRATES PECTORIS ENSEM. Ita codices plerique. Cave ergo audias substituentes, *crudo ense*. simile loquendi genus jam habuimus supra hoc libro 273.

Egregium forma juvenem & fulgentibus armis
Transadigit costas fulvaque extendit harena.

HEINS. *Transadiit* Zulichemius, duo Moretani priores & Parrhas.

509. DIOREM. *Dioren* Menagii prior & primus Moreti & Leidensis.

510. VENIENTEM CUSPIDE LONGA. Vid. ad x. Aen. 416. sic apud Liv. II. 19. *tanta vis infestis venientium hastis fuit.* ubi nihil mutandum est. BURM.

511. ABSCISA. *Abcisa* Mediceus. *Abscissa* Serv. ad II. Aen. 533. & sic Dorvil. & Ald. *cursuque* Ed. pr.

513. TALON. *Talum*, *Thalon*, *Tagum*, *Tanainque*,

2 desunt L. Vos. R. Steph. al. ut solent H. desunt Fabr. divisa solent historici. . . Dan. 3 desunt L. Vos. R. Steph. al. 4 quos insequebatur Turnus Bas. & Steph. qui addit mucrone. quos insequebatur. . . L. Vos. 5 desunt L. Vos. R. Steph. al. ad Crudum ℣. 507. Dan. ad *Haud multa*. 6 *morantem* Dan. *moratum* Fabr. *moratur* Bas. 7 deest L. Vos. R. Steph. 8 desunt L. Vos. R. Steph. al.

Tris uno congressu, & maestum mittit Onyten,
515 Nomen Echionium, matrisque genus Peridiae,
Hic fratres Lycia missos & Apollinis agris,
Et juvenem exosum nequidquam bella Menoeten
Arcada: piscosae cui circum flumina Lernae
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum

520 Li-

SERVII.

514. MOESTUM ONYTEN. Severum, naturaliter tristem, [9] [quem Graeci σκυθρωπὸν dicunt,] ἀγέλαστον [10] [aut imaginatus est exspirantem.] MITTIT autem, socium supra memoratis. Sane ONYTEN Donatus dicit aut gentile esse, aut patronymicum, ut nomen ejus proprium sit, *Echionius*. Sed hoc non procedit: quia neque patronymicum in TES exit: neque *Onytes*, a qua gente veniat, usquam lectum est. Proprium ergo est: & sequens versus erit: NOMEN ECHIONIUM: id est, [11] Thebana gloria, per Periphrasin: nam *Echionii*, sunt Thebani, a rege *Echione*. [12] [Ovidius de sociis Cadmi loquens, Thebarum aedificatoris, ait: *Quinque superstitibus, quorum fuit unus Echion:*] unde quidam male legunt: *Nomine* [13] *Chionium*. [14] [Alii *nomen Echionium*, hoc est, genus, quemadmodum de matre *genus* dixit, accipiunt; ut ostendatur, eum Echionis esse & Peridiae filium: vel ab Echione genus ducentem.]

515. MATRISQUE GENUS PERIDIAE. Periphrasis est: hoc est, filium Peridiae.

516. LYCIA MISSOS, ET APOLLINIS AGRIS. Vacat *&*: nam per Epexegesin *Lyciam*, *arva Apollinis*, dixit, ut IV. 377. *Nunc Lyciae sortes.* [15] [Appellat autem *Lyciam*, a *Lyce* nympha, ex qua habuit Apollo filium, nomine Lycadium: *Missos* autem, profectos, ut VI. 812. *Missus in imperium magnum.*]

517. EXOSUM NEQUIDQUAM BELLA. Supra X. 419. *Injecere manum Parcae:* nam per transitum ostendit, urgentibus fatis eum ad bella deductum: quae nequidquam semper vitare cupiebat. Hunc autem *Menoetem* oriundo Arcada fuisse intelligimus; sed habitasse circa Argos: nam *Lerna*, palus est Argivorum, in qua eum dicit solitum fuisse piscari: nam hoc significat: PISCOSAE CUI CIRCUM FLUMINA LERNAE ARS FUERAT. [16] [Et vetuste *flumina*, pro fluore dixit: neque enim *Lerna* fluvius est: & sic, *flumina Lernae*, quomodo *Aventini montem*. Quaeritur sane, quis primus *exosum*, pro *peroso* dixerit.]

519. PAUPERQUE DOMUS. *Hic & haec pauper* dicimus: nam *paupera* [17] usurpativum est. Sic Plautus: *Paupera est haec mulier.* Sed hoc hodie non [18] utimur. Ea enim nomina, quae ablativo singulari in *e* exeunt, si foeminina ex se faciunt, similia faciunt: [19] neque enim heteroclita, vel alterius declinationis esse possunt: ut puta, [20] quia *ab hoc hospite* facit, *hic & haec hospes* dicamus necesse est. Lucanus V. II. *Hospes in extremis audivit curia tectis.* Nam ab *hoc leone*, *hic & haec leo*; ab *hoc latrone*, *hic & haec latro*; ab *hoc fullone*, *hic & haec fullo*: ab *hoc nepote*, *hic & haec nepos*: nam ut *neptis* dicamus [21] [in Jure] propter discretionem successionis admissum est. Sciendum [22] tamen, *hospita*, *paupera*, *leaena*, [23] *lea*, usurpata a poëtis.

VARIORUM.

que, *Thalaimque*, *Thalarumque*, *Talarimque* codices diversi. mox *Oniten*, *Orontem*, *Onithem*, *Omenten*.

515. NOMEN ECHIONIUM. *Nomen* plerique codices. *nomine Chionium* Leidensis. *Thionium* alius Leidensis. *Perrichiae* prior Hamburgicus. *Periclìae* Excerpta nostra. *Perideae* Parrhas. Catro. *Erichthonium*. *nomen* hic pro filio Echionis. vid.

ad

9 desunt Dan. sed σκυθρωπὸν deest L. Vos. R. Steph. al. 10 desunt L. Vos. R. Steph. al. 11 Thebanum e gloria L. Thebanam gloriam Vos. 12 desunt L. Vos. R. Steph. Dan. al. 13 *Echionium* Steph. 14 desunt L. Vos. R. Steph. al. 15 desunt iisdem. 16 desunt iisdem. 17 usurparum iisdem. 18 dicimus Dan. 19 iterum nomina, id est alterius Dan. Fabr. haec enim & eroclita, id est alterius d. e. n. possunt L. nec e. eteroclita, id est &c. Vos. neque e. &: vel alt. d. e. non possunt R. 20 quae Dan. 21 desunt L. R. Steph. al. 22 autem Dan. 23 deest Dan. usurpata L. Vos. R. Steph. al. omisso τῷ *esse*.

520 Limina: conductaque pater tellure serebat.
Ac velut inmissi diversis partibus ignes
Arentem in silvam, & virgulta sonantia lauro;
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in aequora currunt,
525 Quil-

SERVII.

520. POTENTUM MUNERA. [24] [*Munera* dicit] obsequia, [25] [id est, officia,] quae pauperes divitibus loco munerum solvunt. [26] [Sane *munera*, [27] atque *munia* dicimus. PATER. Ipse pater: an pater ejus?]

522. ARENTEM IN SYLVAM. Pro, aridam.

524. DANT SONITUM SPUMOSI AMNES. Bellum semper incendio & fluminibus comparat. Sic in secundo 304. *In segetem veluti cum flamma furentibus auris Incidit, aut* [28] *rapidus montano flumine torrens.* [29] [VIRGULTA SONANTIA LAURO. Quaeritur, quid sit *virgulta sonantia lauro?* scilicet ipsa virgulta lauri; *sonantia* autem, cum crepitu ardentia.

VARIORUM.

ad Sil. XIII. 44. vulgata est apud Serv. II. Aen. 89.

516. HIC. *Tunc* Zulichemius. *& fratres* Serv. ad III. Aen. 8. & *arvis* prior Hamburgicus pro diversa lectione.

517. MENOETEN. *Menoetem* Arusianus. HEINS. *Menoten*, *Meontem* alii. *Monentem* Bigotius. *Moventem* Venetus & Vratislaviensis & Parrhas.

518. CUI. *Qui* Dorvill.

519. ARS. Heinsius conjecerat olim *lat. advenerat* Dorvill.

Ibid. NEC NOTA POTENTUM MUNERA. Liber vetustissimus Colotianus pro *munera* habet, *limina*, quo modo locutus est Horatius Epod. Od. II.

Forumque vitat & superba civium
Potentiorum limina.

quin autem haec vera hujus loci scriptura sit, dubitandum plane non est. URSIN. *Potentum limina* in Mediceo, ut apud Horatium in Epod. II.

Forumque vitat & superba civium
Potentiorum limina.

Martialis lib. XII. 18.

Dum per limina te potentiorum
Sudatrix toga ventilat.

idem lib. VIII.

Si tecum mihi, care Martialis,
Securis liceat frui diebus,
Es verae pariter vacare vitae;
Non nos atria, nec domos potentum,
Nec lites tetricae forumque triste
Nossemus.

Claudianus de Stilicone,

Nil leve moliri, nullis haerere potentum
Liminibus.

ab omni ambitione sordida remotum fuisse designat. idem Claudianus lib. II. in Stilic.

Trudis avaritiam, cujus foedissima nutrix
Ambitio, quae vestibulis foribusque potentum
Excubat.

apud Persium Satyra I.

Vide sis ne majorum tibi forsan
Limina frigescant.

nobilium magna atria curare apud Juvenalem Sat. VII.

Tu Camerinos
Et Bareas, tu nobilium magna atria curas.

ita enim rectius codices scripti quatuor a me inspecti, quam *Baream*, quod est in vulgatis. Columella praefatione Rei Rusticae: *An honestius duxerim mercenarii salutatoris mendacissimum aucupium, circumvolitantis limina potentiorum.* Seneca Epist. IV. *superbis assidere liminibus.* contra *plebeja limina* Statio III. Theb. 609.

Unius (heu pudeat) plebeja ad limina civis
Tot ferro accinctae gentes animisque paratae
Haeremus.

sic ex scriptis lege, vulgo *Phoebeja*. HEINS. *Limina* recepit Catroeus & Cerda. & Markl. praefat. ad Statii pag. X. *parentum* Ed. pr.

Ibid. POTENTUM. *Parentum* Zulichemius a manu

24 desunt L. R. Vos. Steph. al. 25 desunt iisdem. 26 desunt iisdem. 27 & quae Dan. Fabr. 28 *rapit montano fl.* Steph. 29 desunt L. V. R. Steph. al. ad *Nescia* ℣. 527.

525 Quiſque ſuum populatus iter: non ſegnius ambo
Aeneas Turnuſque ruunt per proelia: nunc, nunc
Fluctuat ira intus: rumpuntur neſcia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murrhanum hic, atavos & avorum antiqua ſonantem
530 Nomina, per regeſque actum genus omne Latinos,
Praecipitem ſcopulo, atque ingentis turbine ſaxi
Excutit, effunditque ſolo. Hunc lora & juga ſubter
Provolvere rotae: crebro ſuper ungula pulſu

In-

SERVII.

525. NON SEGNIUS AMBO AENEAS TURNUSQUE RUUNT. Bene comparationibus diverſis ſingula reddidit ad ſimilitudinem veram: quia ambos ignibus aut fluminibus comparaverat. Ergo *non ſegnius*, ad ignem retulit: quia *ſegnis*, quaſi *ſine igne* ſit. *Fluctuat* autem, ad amnes eum retuliſſe nulla dubitatio eſt.

527. RUMPUNTUR. Pro, fatigantur: & *fluctuat*, & *rumpuntur*: quia] NESCIA VINCI PECTORA. Horatius I. Od. 6. [30] *Pelidae ſtomachum cedere neſcii.*

529. MURRHANUM HIC ATAVOS ET AVORUM ANTIQUA SONANTEM NOMINA. Hoc eſt, cujus majores [31] omnes *Murrhani* dicti ſunt, & reges fuerunt, ut: *Per regeſque actum genus omne Latinos.* Scimus enim, ſolere plerumque fieri, ut primi regis nomen reliqui [32] etiam poſſideant: ut apud Romanos *Auguſti* vocantur; apud Albanos *Sylvii*; apud Perſas *Arſacidae*; apud Aegyptios *Ptolemaei*; apud Athenienſes *Cecropidae.* Unde ſuperfluum eſt, quod ait Donatus, debere nos accipere [33] interemptum eſſe Murrhanum, dum avos & atavos Turni commemorat, & effert laudibus maximis; [34] [per illud inf. 638. *Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem Murrhanum.*]

530. PER REGESQUE ACTUM GENUS OMNE LATINOS. Horatius [35] [de Lamia] III. Od. 17. *Et nepotum Per memores genus omne faſtos.*

534. NEC DOMINI MEMORUM PROCULCAT EQUORUM. [36] [Id eſt, equorum,] domini immemorum.

VARIORUM.

manu ſecunda. & ita in Servio ad III. Aen. 539. edidit Stephanus.

522. ARENTEM. Male *ardentem* Mediceus. HEINS. *Ardentem* etiam Leidenſis & Regius. *ſonantia lauri* alius Leidenſis. *longe* ſecundus Moretanus.

523. DECURSU. *Procurſu* uterque Hamburgicus & Parrhaſ. male. v. Lamb. ad Lucret. I. 284.

524. IN AEQUORA. *Aequore* Hugenianus & a manu prima Zulichemius, *ad aequora* a ſecunda. *verrunt* Parrhaſ.

525. POPULATUS. *Populatur* Bigotianus, Parrhaſ. & pro varia lectione prior Hamburgicus.

526. PER. *In* duo Moretani, & tres quatuorve alii.

527. RUMPUNTUR. *Rapiuntur* Parrhaſianus. v. Carr.

Ibid. VINCI. *Rumpi* Zulichemius a manu ſecunda.

528. IN VULNERA. *In pugnam* alter Hamburgicus.

529. SONANTEM. *Sonantes* Hugenianus. ſic *vana ſonantem* Ophelten Val. Flac. III. 198. mox *per reges actum* Excerpta noſtra & Zulichemius.

530. REGESQUE. *Reges* Parrhaſ.

531. INGENTIS TURBINE SAXI. *Ingenti* Donatus, ut ſupra,

Ingenti fragmine montis.

alii malunt, *ingentis*, ut alteri ſubſtantivo reſpondeat Epitheton FABRIC. *Ingentis* vetuſta exemplaria. HEINS. *Immanis* Zulichemius. *turbine montis* Oudartii pro varia lectione.

Ibid.

30 *Pelides ſt. c. neſcit* L. *Pelida ſ. c. neſcit* R. *Pelidae ſ. c. neſcit* Steph. *Pelidae ſt. decedere neſcit* Dan. *Pelidi* Fabr. 31 deeſt Steph. 32 ejus Steph. 33 occiſum M. Dan. Fabr. 34 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. 35 deſunt iidem. de Lamo Dan. Fabr. 36 deſunt L. R. Voſ. Steph. al.

Incita nec domini memorum proculcat equorum.
535 Ille ruenti Hyllo, animisque inmane frementi
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Grajûm fortissime Creteu,
Eripuit Turno: nec DI texere Cupencum,
540 Aenea veniente, sui. Dedit obvia ferro
Pectora: nec misero clipei mora profuit aerei.
Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi
Oppetere, & late terram consternere tergo.

Oc-

SERVII.

538. DEXTERA NEC TUA TE, GRAJUM FORTISSIME CRETEU, ERIPUIT TURNO, NEC DII TEXERE [37] CUPENCUM. Ita Aeneam comparat Turno, ut eum superiorem esse significet: nam quem Turnus interemit, [38] fortitudo sua eum liberare non potuit; ei vero, quem occidit Aeneas, ne sua quidem numina prodesse potuerunt. [39] [Terentius Phorm. I. II. 24. *Memini relinqui me deo irato meo.* Sic alibi IV. 610. *Nec dii morientis Elissae.* Singuli enim deos proprios habemus, Genios.] Sane sciendum, *Cupencum* Sabinorum lingua *sacerdotem* vocari: [40] [ut apud [41] Romanos Flaminem, & Pontificem, sacerdotem. Sunt autem *Cupenci*, Herculis sacerdotes. Ergo quod huic proprium nomen de sacerdote finxit, bene dixit: *Nec Dii texere sui:* Et quidam reprehendunt Poëtam hoc loco, quod in nominum inventione deficitur. Jam enim in IX. Cretea a Turno occisum induxit, ut: *Cretea, Musarum comitem*; sed & apud Homerum, & *Pylaemonem*, & *Adrastum* bis ponit, & alios complures.]

543. LATE TERRAM CONSTERNERE. Aliud [42] ex alio ostenditur: nam per hoc corporis exprimitur magnitudo, ut VII. 275. *Stabant tercentum nitidi in praesepibus altis.*

VARIORUM.

Ibid. TURBINE SAXI. Id est saxo turbinis in morem rotato. sic *turbine coeli* Lucret. V. 623.

532. EXCUTIT. *Excipit* in Mediceo. HEINS. *Hinc* secundus Rottendorphius.

534. DOMINI MEMORUM. *Memorum domini* Parrhas.

535. ILO. *Hyllo* Mediceus & Mentelianus. in multis aliis, etiam apud Pierium, *Hylo*. sed *Hyllus* nomen etiam fuit Herculis & Dejanirae filio. HEINS. *Ilo*, *Illo* alii. *Hilo* Ald.

536. AD TEMPORA. *In* Zulichemius.

537. FIXO STETIT. Donatus, *fixo cerebro*. FABRIC. *Fixa* Catroeus.

538. GRAJUM. Id est Arcadum.

Ibid. CRETEU. *Cretheu*, *Cereu*, *Reteu*, *Rheteu*; *Rhoeteu* alii & Catroeus & Cerda.

536. CUPENTUM. *Cupencum* ex scriptis. sic *Mamercus*, *Lupercus*, *Ancus*. apud Silium quoque Italicum, qui nomina hujusmodi a Marone frequens mutuatur, lib. IV. 537.

Quamquam orbus partem visus, unoque Cupencus
Lumine sufficiens bellis.

ita optimae membranae Colonienses. vulgo & illic *Cupentus*. HEINS. *Cupentum* Ald. Donatus ad Terent. Phorm. I. II. 24. sed *Cupencum* Serv. ad II. Aen. 396. *Tupentum* Ed. pr. *Cupetum* Mediol.

541. CLYPEI MORA PROFUIT AEREI. *Profuit aeris* Scholiastes Statii Theb. I. 102. & interpretatur, *nec clypei*, *nec aeris*. ut τὸ *nec* subintelligatur. HEINS. *Aeris* etiam multi codices

37 CUPENTUM Steph. Fabr. al. & ita mox etiam. Cupendum R. 38 virtus Dan. 39 desunt L. R. Vos. Steph. ab 40 desunt iisdem. 41 flaminum & Pontificum Dan. 42 ex altero Bas.

Occidis, Argivae quem non potuere phalanges
545 Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles.
Hîc tibi mortis erant metae: domus alta sub Ida;
Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulcrum.
Totae adeo conversae acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidae: Mnestheus, acerque Serestus,
550 Et Messapus equum domitor, & fortis Asylas,
Tuscorumque phalanx, Euandrique Arcades alae,
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies: vasto certamine tendunt.
Hîc mentem Aeneae Genetrix pulcherrima misit,

555 Iret

SERVII.

545. EVERSOR ACHILLES. [43] Bene separavit Achillem a Graecis, ut I. 30. *Relliquias Danaum atque immitis Achilli.*

546. MORTIS METAE. Id est, mors, quae *meta* est & finis: nam [44] *metas vitae* dicimus, non *mortis*: [45] [mors enim infinita est.] Sciendum tamen, ita hoc de Homero esse translatum, qui ait Iliad. I. 416. τέλος θανάτοιο, hoc est, *finis mortis*: nam in ipsa morte finis est.

547. LYRNESSI DOMUS ALTA. [46] *Lyrnesos*, civitas est Phrygiae, unde fuit Briseis: & per transitum [47] docet, neminem posse [48] fatorum statuta vitare: [49] [quando enim hic crederet, ibi se natum, tam longe esse periturum?]

548. CONVERSAE ACIES. In bellum coactae, [50] [vel inter se conversae.]

552. PRO SE QUISQUE VIRI. Pro qualitate virium suarum, sicut in quinto 501. *Pro se quisque viri, & depromunt tela pharetris.* SUMMA NITUNTUR OPUM VI. Hemistichium est Ennianum. [51] [TENDUNT. Pro, contendunt.]

554. MENTEM AENEAE GENITRIX PULCHERRIMA MISIT. *Mentem*, consilium, ut I. 676. *Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.* [52] [MISIT autem, pro, immisit.] Et PULCHERRIMA perpetuum est epitheton, nec ad negotium pertinens. Sane [53] bona usus est oeconomia, ut diceret instinctu numinis profectum esse Aeneam ad civitatis excidium: nam incongruum fuerat, occupatum bello per se tale cepisse consilium.

VARIORUM.

dices cum Mediceo. & Ed. pr. & Mediol. Dorvil.

542. CAMPI. *Campis* Mediceus. *Aeolum* a Parthenopaeo etiam occisum dat nobis Statius IX. Theb. 765.

543. LATE. *Lato* prior Hamburgicus & Excerpta nostra. *terrae* Venetus. Heinsius *lato* probabat olim ex conjectura.

545. EVERSOR. *Aversor* Leidensis. *versor* prior Hamburgensis. Stat. I. Achil. 530. Achillem vocat *eversorem Asiae*. mox *Lyrnesi* Mentelii prior, Gudianus & plures alii. *Lernesi*, *Lermesi*, *Lermensi*, *Lirnaesi* diversi codices.

548. TOTAE. *Tota* Parisinus.

551. PHALANX *Phalans* Zulichemius.

Ibid. EVANDRIQUE ARCADIS ALAE. *Arcades* ex vetustis exemplaribus. ut supra lib. XI. 835.

Tyrrhenique duces, Evandrique Arcades alae.

ubi

43 separat Achillem a Graecis L. Vos. R. Steph. bene separavit, ut *Relliquias* Dan. 44 metam Vos. Steph. al. metam & fines v. dicimus L. meta est & finis vitae dicimus R. 45 desunt L. R. Steph. al. in Vossiano erat, non mortis, nam in ipsa morte finis est, omissis mediis. 46 Lyrnea Steph. Lyrnessos Basil. Breseis L. Vos. R. 47 deest R. 48 deest R. Vos. L. Steph. 49 desunt L. Vos. R. Steph. al. 50 desunt iisdem 51 desunt iisdem. 52 desunt iisdem. 53 vide H. Steph. dissert. de Criticis pag. 96.

555 Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocius, & ſubita turbaret clade Latinos.
Ille, ut veſtigans diverſa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit; adſpicit urbem
Inmunem tanti belli, atque impune quietam.
560 Continuo pugnae adcendit majoris imago:
Mneſthea, Sergeſtumque vocat, fortemque Sereſtum,
Ductores, tumulumque capit: quo cetera Teucrûm
Concurrit legio: nec ſcuta aut ſpicula denſi
Deponunt. Celſo medius ſtans aggere fatur:
565 Ne qua meis eſto dictis mora. Juppiter hac ſtat.
Neu quis ob inceptum ſubitum mihi ſegnior ito.

Ur-

SERVII.

555. URBIQUE ADVERTERET AGMEN. Id eſt, contra urbem.

558. ACIES CIRCUMTULIT. [54] [Vel exercitum ſuum huc atque illuc circumduxit, vel acies] oculorum: & bona occaſione [55] [pervenit ad id, ut Aeneas civitatem poſſet aſpicere.

559. IMMUNEM TANTI BELLI. Sine officio dimicandi. [56] [Et vult inobſeſſam intelligi, quaſi ſine periculo ſit oppugnationis:] nam *immunis* eſt, qui nihil praeſtat; quaſi [57] *ſine muniis*, [58] [hoc eſt, qui non facit *munia*.] IMPUNE QUIETAM. Quae ſpecialiter debuit poenas luere, propter foedus abruptum.

560. PUGNAE ACCENDIT MAJORIS IMAGO. Subaudis, *eum*.

563. NEC SCUTA, AUT SPICULA DENSI DEPONUNT. Ex eo, quod non eſt factum, quid fieri [59] ſoleat, indicavit, ut ſupra 130. *Defigunt* [60] *telluri haſtas, & ſcuta reclinant*.

565. [61] [NEQUA. Pro, nulla.] [62] [ESTO. Sit.] JUPPITER HAC STAT. Pro nobis religio eſt, quam laeſerunt Rutuli, ruptis foederibus. Novimus autem interfuiſſe foederi [63] & deos alios, & Jovis imaginem ſceptri praeſentia redditam.

566. NEU QUIS OB [64] INCEPTUM SUBITUM MIHI SEGNIOR ITO. Tertia perſona eſt ITO, id eſt, eat: & hortatur eos, ut ita in bellum [65] ruant, quaſi res fuerit ante diſpoſita: nam hoc dicit: Repentinum imperium nullam [66] vobis afferat moram: unde eſt illud paulo poſt: *Scalae improviſo, ſubituſque apparuit ignis*.

VARIORUM.

ubi pari modo in codicibus nonnullis peccabatur. HEINS. *Evandri & Arcades* Dorvil.

553. VASTO. *Summo* Bigotianus, repetita ex proximo verſu voce.

554. HIC. *Hinc* duo Menteliani.

556. CLADE. *Caede* duo Rottendorphii.

558. ACIES. *Aciem* duo priores Moretani, Leidenſis & Mentelii prior, & alius Leidenſis a manu prima. recte vero *aciem* de oculis explicat Rhodius de Acia pag. 188.

560. MAJORIS. *Mavortis* Hugenianus. *origo* Zulichemius a manu prima. *concedit majoris* alter Menagii. *accedit* Ed. pr.

561. SERESTUM. *Cloanthum* Parrhaſ. qui & *Sereſtumque vocat. Mneſteaque* Dorvil.

562. CAPIT. *Rupit* Ed. Venet.

563. DENSI. *Feſſi* Zulichemius a manu ſecunda. *ſcuta & ſpicula* Ed. pr.

564. ME-

54 deſunt iisdem. 55 deſunt L. Voſ. R. Steph. 56 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 57 ſine muneribus ſive muniis Steph. al. 58 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 59 ſolet Steph. 60 *teſiure* L. Baſil. 61 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 62 deſunt R. 63 ut deos Steph. 64 IMPERIUM. R. Steph. al. 65 eant L. R. Voſ. Steph. al. 66 nobis iidem.

Urbem hodie caussam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum adcipere, & victi parere fatentur,
Eruam, & aequa solo fumantia culmina ponam.
570 Scilicet exspectem, libeat dum proelia Turno
Nostra pati; rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, haec belli summa nefandi.
Ferte faces propere, foedusque reposcite flammis.
Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes
575 Dant cuneum; densaque ad muros mole feruntur.
Scalae inproviso, subitusque adparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant:

Fer-

SERVII.

567. CAUSSAM BELLI. Quia illic erat Lavinia.

568. [67] [FRENUM. *Frenum*, singulari numero raro lectum est: & quidam hunc versum per figuram Graecam dictum tradunt: *ὁμολογῶσι μᾶλλον λαβεῖν*.

569. ERUAM. Confidenter, quasi jam non bellum sit; sed expugnatio.]

572. HOC CAPUT, O CIVES. [68] [Sic superius Drances de Turno] ut XI. 361. O *Latio caput horum & causa malorum:* id est, principium: [69] potuistis enim quieti esse, si Latini foedus servassent: & ad Latinos transfert crimen Turni.]

573. FOEDUSQUE REPOSCITE FLAMMIS. Gravitate sermonum declamationi pondus imposuit: nam hoc dicit: Flammas foederis urbis innovemus incendio: nam [70] hic REPOSCITE, est, revocate, innovate.

575. [71] [DANT CUNEUM. Quotiens in similitudinem cunei milites disponuntur. DENSA MOLE. Densi cum impetu.

576. IMPROVISO. Deest, *ex;* ut sit, ex improviso. APPARUIT IGNIS. Pro, apparuerunt: & est Zeugma, ut in primo 144. *Cymothoë simul, & Triton adnixus:* pro, adnixi: non enim solus Triton adnitebatur.]

577. DISCURRUNT ALII AD PORTAS, PRIMOSQUE TRUCIDANT. Subaudis, *improviso:* & haec simul pronuntianda sunt, ut simul facta videantur; quo [72] vehemens vis bellica possit agnosci. [73] [*Primosque trucidant* autem, id est, qui primi ad portas erant obvii, scilicet stationem agentes.]

* VARIORUM.

564. MEDIUS. *Medio* prior Menagii.

565. HAC STAT. *Hic stat* Donatus agnoscit ad Terentii Phorm. Act. II. Sc. I. illo loco, *cum illo haud stares, Phoedria.* sed aliter Macrobius lib. VI. Saturn. cap. 1. qui docet esse hemistichion Ennianum. HEINS. *Astet* Zulichemius a manu prima. v. Catroeum. mox *nequis* Montalbanius & prior Hamburgicus. *nec* alter.

568. VICTI. *Dicto* Parrhas. Sprotianus, Venetus & a m. pr. Gudianus. sequitur *victus.*

Ibid. ET VICTI PARERE. *Et dicto parere* Sprotianus, de quo dictum lib. III. 189. idque Carisius lib. I. Inst. Gram. hic agnoscit. HEINS. *Dicto p. fatetur* Oudartii, Hugenianus & Zulichemius a manu prima. *dicto* Leidensis a manu secunda, & ita Excerpta nostra.

569. CULMINA. *Fulmina* Vratislaviensis.

571. RURSUSQUE. *Rursumque* Zulichemius.

572. HOC CAPUT. *O capita, o cives* Zulichemius. *Haec caput* quartus Moretanus. *Hic* prior Hamburgicus. *hoc belli* secundus Rottendorphius

&

67 desunt iisdem. ad ℣. 572. 68 desunt L. R. Vos. Steph. Drances a Turno Dan. Drances Turno Fabr. Basil. 69 desunt L. Vos. R. Steph. al. 70 deest L. R. Vos. Steph. Dan. 71 desunt L. R. Vos. Steph. al. ad ℣. 577. 72 vehementer L. R. Vos. Dan. 73 desunt L. R. Vos. Steph. al.

Ferrum alii torquent, & obumbrant aethera telis.
Ipse inter primos dextram sub moenia tendit
580 Aeneas, magnaque incusat voce Latinum;
Testaturque Deos iterum se ad proelia cogi:
Bis jam Italos hostis, haec altera foedera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia civis:
Urbem alii reserare jubent, & pandere portas
585 Dardanidis; ipsumque trahunt in moenia regem.
Arma ferunt alii, & pergunt defendere muros.
Inclusas ut cum latebroso in pumice pastor

Vesti-

SERVII.

579. INTER PRIMOS. Inter duces, inter principes.

581. [74] [TESTATURQUE DEOS. Id est, foederis.] HAEC ALTERA FOEDERA RUMPI. [75] [Bis rumpi foedera; bis Italos hostes fieri; bis se in praelia saeva compelli: nam varie eandem rem iterat.] Bis autem foedera facta sunt, semel per Ilioneum: [76] [quando Latinus ait VII. 263. *Ipse modo Aeneas, nostri si tanta cupido est, Si jungi hospitio properat, sociusque vocari, Adveniat.* Et 285. *Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant:*] & [77] iterum, paulo ante [78] propter singulare certamen.

583. [79] [TREPIDOS INTER. Hoc est, inter trepidos.]

584. RESERARE JUBENT. Id est, volunt, ut Terentius Andr. III. III. I. *Jubeo Chremetem.*

585. TRAHUNT IN MOENIA REGEM. Trahere volunt: nam [80] voluntas, animi est, non facti. [81] [TRAHUNT autem] scilicet, ut possit imminens [82] videre discrimen. Donatus dicit, *trahunt in moenia*, pro, dilacerant in moenibus rumoribus suis. [83] [Ergo *regem*, de Latino dixit; *moenia* autem, hic muros dixit.]

587. INCLUSAS UT CUM LATEBROSO IN PUMICE PASTOR. Pene omnia comparationis [84] istius verba ad supradictum pertinent bellum: nam ita apes inclusae sunt, ut homines qui obsidentur: ita civitatem, [85] timentium latebras dicimus, sicut apum sunt alvearia: item [86] pastor, [ut rex:] & re vera *pastor* est & ductor exercitus, ut Homerus ποιμένα λαῶν. *Pumicem* autem, iste masculino genere posuit: & hunc sequimur: [87] [nam & Plautus ita dixit:] licet Catullus Carm. I. dixerit foeminino: [88] [*Arida modo pumice expolitum.*]

VARIORUM.

& Dorvil. *Hoc caput o duces* Mentelii primus. caput belli & summa est ipsa urbs. ut Florus I. 18. *caput belli Tarentinos* dixit, & Carthaginem *caput belli* II. 2. & III. 10. *capita belli urbes Avaricum & Alexiam*, &c. vel si ad Turnum referas, erit, ut apud Ovid. II. ex Pont. I. de homine,

Belli summa caputque Bato.

Lucan. IX. 123. *stat summa caputque Orbis, an occidimus?* ubi vide. sed rectius urbs intelligitur.

573. PROPERE. *Properi* Menagii prior, & a manu prima prior Hamburgicus. & Catr. vid. supr. ℣. 85. *foedusque reponite* Ed. pr.

575. CUNEUM. *Cuneos* secundus Moretanus.

576. APPARUIT. Pro *adparuerit*. vid. ad lib. IV. 641.

577. TRUCIDANT. *Fatigant* primus Moretanus, alter

74 desunt iisdem. 75 desunt L. 76 desunt L. R. Vos. Steph. al. 77 deest iisdem. 78 deest Dan. Fabr. 79 desunt L. Vos. R. Steph. al. 80 motus animi est non factum L. Vos. in R. erat lacuna. 81 desunt Dan. 82 videri R. 83 desunt L. Vos. R. Steph. al. 84 deest Dan. 85 timentum Dan. 86 pastorem & re R. pastor est & re L. Vos. 87 desunt L. Vos. R. Steph. al. 88 desunt L. Vos. R. Steph. Dan.

Nuſquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnae juvenem in certamine credit
Exſtinctum; &, ſubito mentem turbata dolore,
600 Se cauſſam clamat, crimenque, caputque malorum:
Multaque per maeſtum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu diſcindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.
Quam cladem miſerae poſtquam adcepere Latinae,
605 Filia prima manu flavos Lavinia crinis,

Et

SERVII.

598. [92] [INFELIX PUGNAE JUVENEM. Quia non putabat, Turnum civitatem oppugnari pallurum fuiſſe, ſi viveret.]

599. MENTEM TURBATA. [93] Figurate: ut I. 229. *Oculos ſuffuſa.*

600. [94] CAPUTQUE. Sicut ſupra ÿ. 572. dictum eſt: *Caput* dicebatur, qui auctor & princeps alicujus rei geſtae fuiſſet, ut XI. Aen. 361. *O Latio caput horum.*

601. DEMENS EFFATA FUROREM. Verba noluit ponere, unde videtur diras ſignificare.

602. PURPUREOS MORITURA MANU. Rem, quae Flaminicae competit, tranſtulit ad reginam. Flaminica enim [95] venenato operiri debet: nam, cum *amictus* dicit, opertam dicit, quae res ad pallium refertur.]

603. ET NODUM INFORMIS LETHI. [96] Fabius Pictor dicit, quod Amata inedia ſe interemerit. Sane ſciendum, [97] quia cautum fuerat, in Pontificalibus libris, ut, qui laqueo vitam finiſſet, inſepultus abjiceretur: unde bene ait, INFORMIS LETHI, quaſi mortis infamiſſimae. [98] [Ergo, cum nihil ſit hac morte deformius, Poëtam etiam pro reginae dignitate dixiſſe accipiamus. Caſſius autem Hemina ait: *Tarquinium Superbum, cum cloacas populum facere coëgiſſet, & ob hanc injuriam multi ſe ſuſpendio necarent, juſſiſſe corpora eorum cruci affigi: Tunc primum turpe habitum eſt, mortem ſibi conſciſcere.* Et Varro ait: *Suſpendioſis, quibus juſta fieri jus non ſit, ſuſpenſis oſcillis, veluti per imitationem mortis, parentari.* [99] Docet ergo Virgilius, ſecundum Varronem & Caſſium, quia ſe laqueo induerat, letho periiſſe informi.]

605. FLAVOS LAVINIA CRINES. Antiqua lectio [1] FLOREOS habuit, id eſt, florulentulos, pulchros: & eſt ſermo Ennianus. [2] [Probus ſic adnotavit: *Neotericum erat flavos, Ergo bene floreos: nam ſequitur,* Et roſeas laniata genas. Accius in Bacchis: *Nam florei crines,* [3] *vide, ut propexi jacent.* In iiſdem: *Et lanugo* [4] *florea nunc demum irrigat.* Pacuvius Antiopa: *Cervicum* [5] *floreos diſpergite crines.*]

VARIORUM.

Georg. & hoc loco. vide ipſum ſupra hunc verſum,
Regibus inceſſit magno diſcordia motu.

FABRIC. *Incendi muros* codices noſtri praeter unum Mentelianum, in quo pro diverſa lectione *inceſſi.* poſſet & *inſcendi* legi, quod & G. Cantero lib. VI. Nov. Lect. cap. 8. arridebat. ſed *inceſſi* verum eſt. Aruſianus Meſſius *inceſſit illis illud.* Salluſt. Hiſt. *Terror hoſtibus & fiducia ſuis inceſſit. inceſſitur illâ re* Virgil. Aen. XII. *Inceſſi muros.* neque aliter Eutyches lib. II. Gramm. ubi de *inceſſendi* ver-

92 deſunt iisdem. 93 deeſt iisdem. 94 deſunt iisdem. ad ÿ. 603. 95 purpureo Fabr. 96 alii dicunt, quod inedia ſe interemerit L. R. Steph. Ed. Baſ. ſed haec, interemit. Amata deeſt Voſſ. 97 quod Dan. Fabr. al. 98 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 99 Cl. Ryckius locum Artemidori lib. I. cap. 5. orae adſcripſerat. 1 *floros* L. Voſ. R. Steph. Dan. Floreos non improbarim. ſed quod τὸ *flavos* neoteriſmi condemnetur, durum: quum in Ciri ÿ. 511. *Flavus vertex* celebretur. quod & Catullo Epith. Thetidis & Pelei ÿ. 63. DORVILL. 2 deſunt L. Voſ. R. Steph. Baſil. quae etiam habet. & eſt Ennianum. 3 *video & proceſſi* Dan. video ut & propexi Commel. Emmen. nam flori crines video & proceſſi Fabr. 4 *floro* Dan. flore Fabr. 5 *floros* Dan.

Jam minus, atque minus ſucceſſu laetus equorum.
Adtulit hunc illi caecis terroribus aura
Commixtum clamorem, adrectaſque inpulit auris
Confuſae ſonus urbis, & illaetabile murmur.
620 Hei mihi! quid tanto turbantur moenia luctu?
Quiſve ruit tantus diverſa clamor ab urbe?
Sic ait, adductiſque amens ſubſiſtit habenis.
Atque huic, in faciem ſoror ut converſa Metiſci
Aurigae, currumque, & equos, & lora regebat,
625 Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, ſequamur

Tro-

SERVII.

616. MINUS SUCCESSU LAETUS EQUORUM. Infirmitas animi ex equorum etiam tarditate veniebat: [16] [quia minus ſucceſſus habebant equi jam fatigati.]

617. ATTULIT HUNC ILLI COECIS TERRORIBUS AURA. Naturale enim eſt, ut, a qua parte [17] ventus flat, inde [18] maximus audiatur clamor. [19] [Et mire, *coecis terroribus*, quos nemo videret.]

618. COMMIXTUM CLAMOREM. Ex impugnatione, & morte reginae. ARRECTAS AURES. Ad audiendum ſollicitas. Terentius And. V. IV. 30. *Arrige aures*, *Pamphile*.

619. [20] [INLAETABILE MURMUR. Quaeritur quis *inlaetabile* dixerit? Ideo autem *murmur*, quia ferre ſolent quaſi praeſagium *murmura*, ſive *bona*, ſive [21] *mala*.

621. DIVERSA CLAMOR. Hypallage, diverſus clamor, aut ex variis partibus civitatis.]

622. AMENS. Conſilii egens, neſcius rei gerendae: [22] [nam *mentem* & *conſilium* ſignificare diximus, ut ſupr. 554. *Mentem Aeneae Genitrix pulcherrima miſit*.]

625. OCCURRIT DICTIS. [23] Orationi ejus verbis obviam venit.

VARIORUM.

viani Fab. XV. Colv. ad Sidon. Apoll. I. Epiſt. 6.

606. LANIATA. *Lacerata* ſecundus Moreti.

607. LATE. *Latae* Mediceus. HEINS. Ita jam edidit P. Daniel, Cerda & alii.

Ibid. PLANGORIBUS. *Clangoribus* ſecundus Mentelii & Hugenianus. ſed Albinov. ad Liviam ℣. 179. *Moeſta domus plangore ſonat*.

612. MULTAQUE SE INCUSAT. Abſunt hi duo verſus a Mediceo, aliiſque nonnullis pervetuſtis codicibus. HEINS.

Ibid. QUI. *Quod* Zulichemius, qui & *multum ſe*. & mox *acciverit*. ut & Hugenianus, Leidenſis & Sprotianus. *incuſans* etiam duo. *acceperat* alter Hamburgicus. *acceperit ultro* Oudartius pro varia lectione.

613. ADSCIVERIT. *Acciverit* Ed. Venet. *generum adſciverit* Dorvill.

617. TERRORIBUS. *Clamoribus* Zulichemius a manu ſecunda. *huc* prior Hamburg. a m. ſec.

618. ADRECTASQUE. *Arrectas* Parrhaſ. *arreptaſque* Ed. pr.

620. HEI. *Heu* vel *ei* nonnulli. *quod tanto* Zulichemius a manu prima. mox *quidve ruit*, idem & Parrhaſ. *tantos* Mentelii prior Gudianus & Leidenſis. *ad urbem* tertius Rottendorphius & Hugenianus.

622. ADDUCTISQUE. *Et ductis* Zulichemius a manu prima.

623. HUIC. *Hic* Gudianus a manu prima, *hinc* alter Hamburgicus.

624. REGEBAT. *Tenebat* primus Moretanus & Gu-

16 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 17 fuerit ventus Dan. 18 deeſt L. Voſ. R. Steph. al. 19 deſunt iiſdem. 20 deſunt iiſdem ad ℣. 622. 21 *mala* intelligi * Dan. 22 deſunt L. Voſ. R. Steph. Dan. 23 ejus orationis verbis Dan.

Trojugenas, qua prima viam victoria pandit:
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Aeneas Italis, & proelia miscet:
Et nos saeva manu mittamus funera Teucris.
630 Nec numero inferior, pugnae nec honore recedes.
Turnus ad haec:
O soror, & dudum adgnovi, cum prima per artem
Foedera turbasti, teque haec in bella dedisti:
Et nunc nequidquam fallis dea. Sed quis Olympo
635 Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quae jam spondet Fortuna salutem?
Vidi

SERVII.

626. PRIMA VICTORIA. Id est, primum.

627. [24] [SUNT ALII QUI TECTA MANU. Ideo, quia scit Turnum de urbe maxime esse sollicitum.]

630. NEC NUMERO INFERIOR, PUGNAE NEC HONORE. Id est, nec pauciores interimis, nec minor te, quam Aeneam, comitabitur gloria: nam occisorum multitudo compensat hoc, quod tu fugientes interimis. Sane sciendum, in hac omni oratione Juturnam occurrere quaestionibus tacitis.

632. PRIMA PER ARTEM FOEDERA TURBASTI. *Prima*, aut inchoantia: aut, tum prima: nam post [25] [datum augurium, quo animi omnium perturbati sunt, & post] ejus orationem Tolumnius tela contorsit. [26] [*Per artem* autem, per fraudem, ut II. Aen. 125. *Artificis scelus*.

634. NEQUIDQUAM FALLIS. Hoc est, Pro, non fallis.

636. AN FRATRIS MISERI LETHUM. Humile est, si ex persona Turni accipias. Ergo *miseri*, ad animum sororis referendum est: & quod ait, *Sed quis Olympo?* intulit, *an, ut videres?* subaudiendum ergo, tua sponte.]

637. NAM QUID AGO? Argumentum a necessario. [27] [JAM, non est temporis; aut erit absurdum.]

VARIORUM.

Gudianus a manu prima. *currum qui* duo Rotdorphii. *currusque* Dorvil. Ald. & Junt. Edit. vid. IX. 12.

625. HAC. *Ac* Dorvill.

627. POSSUNT. *Possint* Mediceus & caeteri praestantiores. recte. HEINS. Ita & Dorvill.

628. INGRUIT. *Ingruet* Hugenianus. *irruit* Montalbanius & a manu prima Zulichemius, *irruit Aeneas & talis praelia.* & mox *multa manu.* nihil muta. vulgata est & apud Serv. ad II. Aen. 301. sed apud Serv ad XI. Aen. 311. *Ingruit Aeneas armis* ex MSS. *praelia miscent* secundus Moreti.

630. RECEDES. *Recedas* Bigotianus. *recedens* Gudianus a manu prima.

631. TURNUS AD HAEC. Desunt haec Gudiano, & Excerptis nostris. contra Leidensis ita supplet, *humili respondet talia voce.*

633. TEQUE. *Atque* Oudartii.

635. DEMISSAM. *Praemissam* Hugenianus. *perferre labores*, Oudartii, Leidensis, Menagii prior & a manu prima Zulichemius.

636. FRATRIS MISERI. *Miseri fratris* Macrobius lib. IV. cap. 2. HEINS.

637. AUT QUAE JAM. *Aut quam jam* Mentelius a manu secunda. HEINS. Versus deest Regio,

24 desunt L. Voss. R. Steph. al. 25 desunt iisdem. 26 desunt iisdem ad ✝. 637. 27 desunt iisdem.

Vidi oculos ante ipſe meos me voce vocantem
Murrhanum, quo non ſuperat mihi carior alter,
640 Oppetere ingentem, atque ingenti volnere victum.
Occidit infelix, ne noſtrum dedecus Ufens
Adſpiceret. Teucri potiuntur corpore & armis.
Exſcindine domos (id rebus defuit unum)
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
645 Terga dabo? & Turnum fugientem haec terra videbit?
Uſque adeone mori miſerum eſt? vos o mihi Manes
Eſte boni: quoniam Superis averſa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque iſtius inſcia culpae

De-

SERVII.

638. ME VOCE VOCANTEM. Atqui hoc nuſquam legimus; ſed aut κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus, aut mortis eſt omen, audire [28] [ſe a mortuo vocari: aut audire:] quod non dicitur; videre, quod minime occurrit. Sic in quarto 460. *Hinc exaudiri* [29] *gemitus, & verba vocantis Viſa viri.*

639. SUPERAT. Vivit, ut III. 339. *Superatne, & veſcitur aura?*

641. NE NOSTRUM DEDECUS UFENS ASPICERET. [30] [Sic eſt hoc,] ac ſi diceret, fortaſſe viveret; niſi ideo voluiſſet occumbere, ne nos victos videret: [31] [& eſt quale in XI. 416. *Ille mihi ante alios, fortunatuſque laborum, Egregiuſque animi, qui, ne quid tale videret, Procubuit moriens,* INFELIX autem, in hoc bello, contra illud VII. 745. *Inſignem fama & felicibus armis:* & eſt argumentum ab honeſto.]

642. TEUCRI POTIUNTUR CORPORE ET ARMIS. Id eſt, etiam ſepultura [32] caruit: nam ut in Homero legimus, de virorum fortium cadaveribus erat inter hoſtes grande certamen: [33] [quod maxime apparet de cadavere Patrocli.]

644. DEXTRA NEC DRANCIS DICTA REFELLAM? Id eſt, virtute: [34] [nam pro rei officio ipſam rem poſuit, *dexteram* ſcilicet pro virtute, hoc eſt, fortiter faciendo.]

645. [35] [TURNUM FUGIENTEM. Ἐμφατικῶς, Turnum.]

646. USQUE ADEONE MORI MISERUM EST? Tacitae quaeſtioni occurrit. [36] [Et quidam hoc verbum reprehendunt, *uſque adeone;* melius dici *uſque adeo.* Lucilius ſeptimo: *Uſque adeo ſtudio atque odio illius efferor.* Quidam ſic accipiunt: *Uſque adeone mori miſerum eſt*, ut non quaſi confirmet; ſed quaſi interroget, quare dea ſic de illo laboret ut vivat? cum ſatius ſit, honeſte mori, quam turpiter vivere. Ergo *uſque adeone*, ut tamen tanta turpitudo ferenda ſit. VOS O MIHI MANES. Quaſi per fantaſiam relinquens Superos, ad Manes convertit orationem.]

647. SUPERIS AVERSA VOLUNTAS. Quia, ut ſupra [I. 387. & XI. 51.] diximus, donec vivimus, curae ſumus [37] Diis ſuperis; poſt mortem ad Inferos pertinemus; [38] [quibus ſe modo commendat.]

648. [39] [SANCTA AD VOS ANIMA. Quae differentia *ſaucti* ſit, ſuperius XI. 148. dictum eſt: hic *ſancta*, incorrupta accipiendum eſt: neque enim *ſacro*, aut *religioſo*, ejus anima tenebatur.] ISTIUS INSCIA CULPAE. Vel fugae: quia fuga grande crimen eſt apud virum fortem: vel rupti foederis, & laeſae religionis: a qua re ſe dicit eſſe alienum, propter futura ſupplicia.

649. IN-

28 deſunt iiſdem. 29 voces legitur ibi. 30 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. 31 deſunt iiſdem. 32 caret iidem. 33 deſunt L. R. Voſ. Steph. Dan. 34 deſunt L. ſed R. Voſ. Steph. & al. deſunt tantum ultima, hoc e. f. f. ſcilicet vero deeſt R. Voſ. Dan. Fabr. al. 35 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. 36 deſunt iiſdem. 37 deeſt Steph. de ſuperis R. 38 deſunt Dan. 39 deſunt L. Voſ. R. Steph. al.

Descendam, magnorum haud umquam indignus avorum.
650 Vix ea fatus erat; medios volat, ecce, per hostis
Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta
Saucius ora, ruitque inplorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus: miserere tuorum.
Fulminat Aeneas armis, summasque minatur
655 Dejecturum arcis Italûm, excidioque daturum:
Jamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,

In

SERVII.

649. INDIGNUS AVORUM. Graeca figura est: nam nos, *indignus illa re*, dicimus; contra Graeci *ἀνάξιος στέφανον*, id est, *indignus coronae*.

651. [40] [VECTUS EQUO SPUMANTE SACES. Pro, cum veheretur, ut I. 121. *Et qua vectus Abas.*]

652. IMPLORANS NOMINE TURNUM. Ex multis rebus indicat perturbationem, quod festinans venit; quod per hostes; quod vulneratus; quod Turnum nomine appellat: nam contumelia est, nomine [41] suo superiorem vocare: sic in Georgicis IV. 321. *Mater, Cyrene mater:* cum [42] praemisisset ℣. 356. *Et te crudelem nomine dicit:* [43] [sicut contra Aeolus ad Junonem ait I. 76. *Tuus, o Regina, quid optem, Explorare labor.*]

653. TURNE, IN TE SUPREMA SALUS. Omnia, quae supra Juturna dixerat, oratio ista dissolvit.

654. FULMINAT AENEAS. Exaggeratio est: sic paulo post 700. *Horrendumque intonat armis.* MINATUR DEJECTURUM [44] ARCES. Quia dixerat 569. *Et aequa solo fumantia culmina ponam.*

656. [45] [JAMQUE FACES. Ut sit, quare Turnus subvenire festinet.]

VARIORUM.

gio, *quid ego* etiam prior Hamburgicus a manu secunda. & ita Montalbanius, & Editio P. Daniel. vid. ad X. 675. *spondit* Gudianus. *spondet jam* Dorvil.

638. VIDI OCULOS ANTE IPSE MEOS. Vide de hoc loquendi genere Quinctilianum lib. IX. 3. pag. 812. ubi quidam editi *oculis meis. oculos ipse ante meos* Zulichemius.

639. QUO NON SUPERAT. *Quo non fuerat* Mediceus a manu prima. HEINS. Ita duo Leidenses, Sprotianus, prior Hamburgicus, alter Menagii & Zulichemius, Carroeus. *quod* Regius.

641. UFENS. *Ufeus* Vratillaviensis. *Urens* Excerpta nostra.

644. NEC. *Ne* Menagii prior. pro *Drancis* Heinsius *Dranci* maluerat olim. *dextra Drancis haec* Parrhas.

645. ET TURNUM. *Et* deest Leidensi, Menteliii priori & secundo Moreti. & Regio.

646. USQUE. *An* secundus Rottendorphius. mox *adversa* Gudianus, alter Menagii, Zulichemius, Mediceus, Venetus, duo Leidenses, Bigotianus, Dorvill. & Hugenianus & a manu prima Mentelius primus & Edd. pr. & Mediol. mox *nescia* alter Menagii & Ed. pr.

647. QUONIAM. *Quando* Parrhas.

648. ISTIUS INSCIA. *Nescia* apud Macrob. III. 3. vide H. Stephani Schediasm. p. 51.

649. DESCENDAM. *Descendet majorum* Dorvill.

650. ECCE. *Ille* Hugenianus.

651. SAGES. *Saces* in Mediceo & caeteris vetustioribus. Donatus tamen ad Terentii Eunuchum III. I. 9. hoc loco *Sages* agnoscit. apud Silium lib. II. 161. *Saces* Mauri nomen est. apud Statium Theb. VII. 714. & IX. 270. *Sages* occurrit. etiam apud Valerium Flaccum lib. III. 181. uti illic ex vetustis membranis restituit Carrion. HEINS. *Faces* Zulichemius, primus Moretanus & Leidensis. *Sages* Dorvil. & alii, & omnes fere apud Serv.

ad

40 desunt iisdem. 41 deest iisdem. 42 atqui sequitur quare ordinem inversum putem, & legendum, sic in Georg. quum praemisisset. *Et t. c. n. d.* sequitur *mater C. m.* 43 desunt L. Vos. R. Steph. Dan. 44 ACIES Steph. quod dixerat Dan. 45 desunt L. R. Vos. R. Steph. al.

In te oculos referunt: mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quae sese ad foedera flectat.
Praeterea Regina, tui fidissima, dextra
660 Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus & acer Atinas
Sustentant aciem. Circum hos utrimque phalanges
Stant densae, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.

665 Ob-

SERVII.

657. MUSSAT. Modo, dubitat, [46] [& cunctatur Rex ipse, in quo summa rerum est. Veteres *mussat*, pro timet. Ennius *mussare*, pro tacere posuit. [47] Clodius Tuscus: *Mussare, est ex Graeco, comprimere oculos:* Graeci [48] *μῦειν* dicunt.

658. QUOS GENEROS VOCET. Pro, utros; pluraliter autem *generos* de exercitibus, quorum duces sunt, Aeneas, & Turnus. AUT QUAE SESE AD FOEDERA FLECTAT. Aut nuptiarum foedera, ut IV. 338. *Nec conjugis unquam Praetendi tedas, aut haec in foedera veni:* aut propter violatum foedus; ut ideo dixerit, *quae sese flectat ad foedera;* quasi nec hoc remedium supersit, cum illa jam bello corrupta sint.]

659. PRAETEREA REGINA TUI. Quia occurrebat, Amatam, [49] [si Latinus dubitat, reginam] pro ejus partibus niti. [50] [TUI FIDISSIMA. Tui amantissima. DEXTRA OCCIDIT IPSA SUA. Ut laquei ostenderet dedecus.

660. LUCEMQUE EXTERRITA FUGIT. Augmentum mali.]

661. SOLI PRO PORTIS. Contra illud 627. *Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.* [51] [Pro *portis* autem, ante portas. Sallustius fragm. incert. *Ex parte cohortium* [52] *praecipere instructa, & stationes locatae pro castris.* Bene autem, cum dicit, *pro portis sustentant acies*, & spem adhuc subveniendi dedit: & dicendo, *soli*, addidit etiam necessitatem.

664. DESERTO IN GRAMINE VERSAS. Huc atque illuc agis, ut X. Ecl. 68. *Aethiopum versemus oves.* Homerus ἐτρώφων & bene *deserto gramine*, contra illud 629. *Et nos saeva mittamus funera Teucris.*]

VARIORUM.

ad I. Aen. 76. ubi solus Masvicius edidit *Saces.*

655. DEJECTURUM. *Disjecturum* Sprotianus & Leidensis. & ita Heins. ad Ovid. XII. Metam. 108. & supr. VII. 191. 290. 355. & alibi. *devecturum* Venetus. *Italis arces* Montalbanius. *Excidiumque* primus Moreti.

656. IN TE. *Ad te* Ed. pr.

658. AD FOEDERA. *In foedera* prior Hamburgicus a manu secunda. *flectet* Leidensis. *atque sese ad* Parrhas.

659. TUI. *Tua* alter Hamburgicus. *tuis* Bigotianus.

661. ATINAS. *Asylas*, *Atiras*, *Asilus*, *Asilas*, & *Asillas* codices, & Edd.

662. ACIEM. *Acies* Mediceus. HEINS. Ita & Zulichemius, Gudianus, & nonnulli alii & Ed. pr.

663. SEGES. *Sages* Zulichemius.

664. DE-

46 desunt iisdem ad ℣. 659. Clericus in Bibl. Univ. T. XII. p. 184. ad versum ex Prudentii Hamart. 773. *Alter* (Loth) *se proripit, altera mussat*, dicit olim *mussare* positum pro murmurare, sed postea pro *moras nectere* coeptum usurpari, quia vetus verbo Gallica *muse* vertit. sed Menagius in Etymol. duo verba *muser*, & *musser* explicans neutrum pro moras nectere capi notat. sed primum dici de studiis dedito & inhaerente, qui opponitur Bellatori. alterum esse pro se abscondere. quem vide. 47 Clodio Tusco corrigitur in Thesauro Fabri in verbo *mussare*. credo a Buchnero. Clodius Thuscus Rhetor memoratur a Seneca Rhetore. vid. ad Ovid. IV. ex Pont. XVI. 20. 48 *μῦειν* legi notat Barth. ad Stat. III. Theb. 92. qui corrigit *μύζειν*. ubi vide eum de hoc verbo. 49 desunt L. Vos. R. Steph. al. 50 desunt iisdem. 51 desunt iisdem ad ℣. 665. 52 *praecipue instructa stationes* Putsch. legebat.

665 Obstupuit varia confusus imagine rerum
Turnus, & obtutu tacito stetit. Aestuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
Et Furiis agitatus amor, & conscia virtus.
Ut primum discussae umbrae, & lux reddita menti,
670 Ardentis oculorum orbis ad moenia torsit
Turbidus, eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad coelum undabat vortex, turrimque tenebat:
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipse,

675 Sub-

SERVII.

665. VARIA CONFUSUS IMAGINE RERUM. Multiplici nuntio: [53] [quod regina periit; quod urbs oppugnatur; quod omnes Latini in illum oculos referunt; quod dubitat Latinus, quos generos vocet.]

666. ET OBTUTU. Vario stetit vultu. Et *obtutus*, [54] est proprie, quem Graeci *πρόσωπον*, id est, *vultum* dicunt.

667. PUDOR. Propter illud: *Tu currum deserto in gramine versas:* [55] [vel *pudor*, quia in illum oculi teferuntur.] INSANIA. Quia in hostes [56] ferebatur: [57] [vel quia urbs oppugnabatur. MIXTO LUCTU Propter Amatae cognitam mortem.

668. [58] [AMOR. Quia mussat Latinus. CONSCIA VIRTUS. Quia fugere putatur, qui *currum deserto in gramine versat.*]

669. DISCUSSAE UMBRAE. Postquam mentis caligo discessit, quod sequentia indicant: ut: *Et* [59] *lux reddita menti est.*

671. TURBIDUS. Plenus perturbationis.

672. [60] [ECCE AUTEM FLAMMIS. Alia persuasio, ex aspectu.

673. UNDABAT [61] VORTEX. Exundabat: & bene in translatione permansit, ut *verticem undare* diceret VII. 31. *Verticibus rapidis:* & I. 117. *Vorat aequore vortex.*]

674. QUAM EDUXERAT IPSE. [62] Scilicet, quod ei majorem creabat dolorem. [63] [Graviter enim dolemus, si perire videamus illa, quae fecimus. *Eduxerat* autem, in altum fabricando sustulerat, ut alibi VI. 630. *Cyclopum educta caminis*]

VARIORUM.

664. DESERTO. *Diverso* Venetus. post *versas* multi interrogationis notam habent.

666. OBTUTU. *Obtuitu* Dorvill. prior Hamburgicus, Venetus & Bigotianus & secundus Moreti. vid. VII. 250.

667. IMO IN CORDE. Jam supra, ubi hi ipsi versus denuo occurrunt, *uno in corde* ex praestantioris notae membranis oportere legi monuimus lib. X. ℣. 871. HEINS. *Una* Sprotianus, Dorvil. & secundus Moreti. *imo in corde* Ed. pr. Ald. *corde dolor* uterque Hamburgicus a manu secunda, ut & Bigotianus. *mixtoque vesania* Regius. *agitatur* etiam alter Hamburgicus. vid. lib. X. 872. ubi hic versus insertus a librariis creditur. vid Pierium.

669. MENTI EST. Tollunt verbum substantivum Mediceus & Mentelianus, caeterique Sprotiano excepto. HEINS. *Et vox* Hugenianus, alter Menagii, Sprotianus & secundus Mentelii.

670. ORBIS. *Acies* Dorvil. sed in marg. *orbis.*

671. MA-

53 desunt L. Vos. R. Steph. al. 54 est proprie vultus, quem Graeci dicunt *πρόσωπον* Steph. al. est proprie *πρόσωπον* L. Vos. R. 55 desunt L. Vos. R. Steph. al. 56 fremebat Dan. Fabr. 57 desunt L. Vos. R. Steph. al. 58 desunt iisdem. 59 vox Vossian. 60 desunt R. Vos. L. Steph. al. 61 VORTEX Fabr. & ita in sequentibus. 62 deest R. Vos. L. Steph. al. 63 desunt iisdem.

675 Subdideratque rotas, pontisque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant; absiste morari:
Quo Deus, & quo dura vocat Fortuna, sequamur.
Stat conferre manum Aeneae, stat, quidquid acerbi est,
Morte pati: nec me indecorem, germana, videbis
680 Amplius. Hunc, oro, sine me furere ante furorem.
Dixit, & e curru saltum dedit ocius arvis:
Perque hostis, per tela ruit: moestamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum, de vertice praeceps

685 Cum

SERVII.

675. SUBDIDERATQUE ROTAS. Quo [64] posset trahi ad ea loca, quibus hostis instabat.

676. [65] [JAM JAM FATA. Sallustianum Jug. XIV. *Jam jam frater animo meo carissime.*

678. STAT CONFERRE MANUM AENEAE. Placet, ut II. 750. *Stat casus renovare omnes:* vel *stat*, certum est.] [66] QUIDQUID ACERBI EST, MORTE PATI. Aut, quidquid [67] in morte acerbum est, placet pati: hoc est, inferna supplicia: [68] vel, quae potest acerbus hostis inferre, sicut de Hectore legimus [69] Iliad. X. 108. Ἐμοὶ δὲ τότ' ἂν πολὺ κέρδιον εἴη.] Aut certe positivus sit pro comparativo: placet pati, si quid etiam morte acerbius invenitur.

780. FURERE ANTE FUROREM. Figura antiqua: ut, *Servitutem servit; Dolet dolorem.* [70] Est autem sensus: Sine me [71] bellicum furorem furere; scilicet, priusquam ad eum veniam, ut pugnam mente concipiam, & instructus furore [72] in bella prorumpam.

684. SAXUM DE VERTICE PRAECEPS CUM RUIT. Comparatio [73] ista futurum ostendit eventum. Simul notandum, [74] quod, sicut supra in praelio, ita nunc etiam in comparatione praefertur Aeneas: nam Turnum parti comparat montis; montibus exaequat Aeneam: [75] [& est comparatio de Homero [76] sumpta Iliad. N. 137.

Ἀντικρὺ μεμαὼς ὀλοοίτροχος ὣς ἀπὸ πέτρης,
Ὅν τε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάῤῥοος ὤσῃ
Ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἔχματα πέτρης,
Ὕψι δ' ἀναθρώσκων πέτεται, κτυπέει δέ θ' ὑπ' αὐτοῦ
Ὕλη. ὁ δ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον, ὄφρ' ἂν ἵκηται
Ἰσόπεδον, τότε δ' οὔτι κυλίνδεται, ἐσσύμενός περ.]

VARIORUM.

671. MAGNAM. *Ad magnam respicit* alter Hamburgicus. *prospexit* Venetus. *conspexit* Leidendensis. vulgata est apud Donat. ad Terent. Andr. II. v. supr. vers. 595.

672. VOLUTUS. *Volutis* Leidensis & Hugenianus. mox *petebat* pro diversa lectione prior Hamburgicus & Zulichemius. deest versus Regio.

674. COMPACTIS. *Compactam* alter Hamburgensis, Dorvill. *duxerat* Parrhas. & Montalbanius. vid. ad lib. V. 633. & VI. 630.

675. EXSTRUXERAT. *Instraverat* omnes fere codices. vitiose *intraverat* Dan. Heinsii editio. vulgatam firmat Serv. ad IX. 530. *instruxerat* Dorvil. & Ed. Mediol.

678. ACERBI EST. Ita codices fere omnes. sed aliter Serv. ad II. Aen. 750.

679. NEC ME. *Neque* Probus in Grammatica.
HEINS.

64 possit Dan. 65 desunt L. Vos. R. Steph. al. 66 ACERBUM iidem. 67 praepositio deest L. R. Steph. al. 68 quae vel potest Steph. vel quid potest acerbus Dan. superbus L. Vos. R. Steph. al. 69 desunt L. Vos. R. Steph. Dan. al. 70 & est sensus. 71 furere furorem bellicum, ut furorem scilicet, quo ad eum L. furorem ante furere, scilicet, quam ad Vos. scilicet antequam Steph. furere ante bel. f. priusquam Basil. furere deest R. 72 ad bella Dan. Fabr. 73 ipsa L. Vos. R. Dan. Fabr. al. 74 quia Dan. 75 desunt L. Vos. R. 76 sumta, sic dicens Basil.

685 Cum ruit, avolſum vento, ſeu turbidus imber
Proluit, aut annis ſolvit ſublabſa vetuſtas,
Fertur in abruptum magno mons inprobus actu,
Exſultatque ſolo; ſilvas, armenta, viroſque
Involvens ſecum. Disjecta per agmina Turnus
690 Sic urbis ruit ad muros; ubi plurima fuſo
Sanguine terra madet, ſtriduntque haſtilibus aurae:
Significatque manu, & magno ſimul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli; & vos tela inhibete, Latini:
Quaecumque eſt Fortuna, mea eſt: me verius unum
695 Pro vobis foedus luere, & decernere ferro.
Diſceſſere omnes medii, ſpatiumque dedere.

At

SERVII.

685. AVULSUM VENTO. Proprie: nam & Turnus ad bellum invitus adtrahitur.

686 [77] [ANNIS SOLVIT SUBLAPSA. Pro, multorum annorum ſublapſum ſaxum: & quidam *lapſa*, quaſi non paſſiva ſpecie, ſed activa dictum volunt.]

687. MONS IMPROBUS. Pars montis: & ἐμφατικῶς dictum eſt, ſicut ſupra [78] X. 128. *Haud partem exiguam montis.* MAGNO ACTU. Magno impulſu.

688. [79] [EXULTATQUE SOLO. Mire, ſaepe exilit, dum volvitur.] UBI PLURIMA FUSO SANGUINE TERRA MADET. Hypallage, ubi plurimo [80] ſanguine terra madet: [81] [ſic ſupra: *Sanguine in alto:* vel certe, ubi plurimum fuſo ſanguine madet terra.]

691. STRIDUNTQUE HASTILIBUS AURAE. [82] Homerus: [83] [Σμερδαλέα λογχη, id eſt, *ſtridor lanceae.*]

692. MAGNO ORE. Pro, voce magna.

693. TELA INHIBETE. Cohibete, ſuſpendite: & eſt tranſlatio a nautis.

694. ME VERIUS UNUM PRO VOBIS. *Verius*, juſtius: & ſenſus hic eſt: Juſtius eſt, me unum pro omnibus rupti foederis poenas exſolvere. [84] [Alii veteri more dictum accipiunt: *verum* enim, quod rectum & bonum eſſet, appellabant. Terentius [85] Andr. IV. 1. 5. *Id ne eſt verum modo? id eſt, peſſimum genus:* & item Eun. V. IV. 2. *Quod ſi aſtu rem tractavit, Dii veſtram fidem! quantam & quam veram laudem capiet Parmeno!* Salluſtius in primo: *Ea paucis, quibus peritia & verum ingenium eſt, abnuentibus.* Idem: [86] *Perpenna tam paucis proſpectis vera eſt aeſtimanda.* .

695. DECERNERE FERRO. Decertare; dimicare: aliter *decernere*, ſtatuere, ut, *decernere Senatum*, dicimus.]

VARIORUM.

HEINS. Et Regius & Parrhaſianus. *non indecorem* Dorvill.

680. HUNC. *Hoc* prior Hamburgenſis. *luere ante* Zulichemius a manu prima. ſed ἀρχαϊσμὸν hic agno-

77 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 78 *aut* Voſ. Steph. 79 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 80 in ſanguine in alto terra Steph. ſanguine id eſt alto L. in alto R. maduerat Voſ. Dan. 81 deſunt L. R. Steph. al. 82 non videtur Homeri. nam λόγχη non eſt Homerica vox. & Cerda ſupra ad lib. XII. 319. ſecure adſcribit Homero. & ita J. Barneſius inter fragmenta hujus Poetae ℣. 200. recenſet DORVILL. 83 deſunt Steph. ſed Graeca habent L. R. Voſ. ſine interpretatione. tota nota deeſt Baſil. 84 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. ad ℣. 701. 85 in Terentio legitur, *Id ne eſt verum? immo id eſt genus hominum peſſimum.* 86 *Perpenna tam paucis prospectus vera eſt aeſtimanda* Dan.

At pater Aeneas, audito nomine Turni,
Deſerit & muros, & ſummas deſerit arcis;
Praecipitatque moras omnis: opera omnia rumpit:
700 Laetitia exſultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipſe coruſcis
Quum fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali
Vertice ſe adtollens pater Apenninus ad auras.
Jam vero & Rutuli certatim, & Troës, & omnes
705 Convertere oculos Itali; quique alta tenebant
Moenia, quique imos pulſabant ariête muros:
Armaque depoſuere humeris. Stupet ipſe Latinus,

In-

SERVII.

701. QUANTUS ATHOS. Haec eſt vera lectio: nam, ſi legeris ATHOS, *thos*, brevis eſt; & verſus non ſtat. *Athon* autem dici, accuſativus indicat: nam *hunc Athona* facit, ſicut *Apollon*, *Apollona*. Quod autem Herodotus [87] *hunc Athon*, & *hunc Apollon* dicit, Atticae declinationis eſt. *Athon* autem, mons eſt adjacens Thraciae, circa Lemnum inſulam, [88] [in promontorio Macedoniae. AUT QUANTUS ERYX. Siciliae mons, ſupra Drepanum oppidum.] NIVALI VERTICE SE ATTOLLENS PATER APENNINUS. *Apenninus*, mons Italiae eſt, de hoc Lucanus [89] II. 397. *Nulloque a vertice tellus* [90] *Altius intumuit, propiorque acceſſit Olympo.*

704. TROES ET OMNES. Graece declinavit; unde brevis eſt ES. ſic ſupra XI. 620. *Troës agunt.*

707. ARMAQUE DEPOSUERE. [91] Vel ſpectaturi, vel defeſſi, [92] [vel juſſi: ne quis poſſit iterum foedus turbare.]

VARIORUM.

agnoſcit Donatus ad Terent. Eunuch. III. V. 39.

681. E CURRU. *A curru* prior Hamburgicus. *armis* ſecundus.

682. PER TELA. *Et tela* Bigotianus, Zulichemius & Sprotianus.

685. VENTO. *Ventis* ſecundus Moreti. mox *proruit* Bigotianus. *profluit* Zulichemius a manu prima, prior Hamburgicus & Venetus. pro *ſublapſa* deinde alter Hamburgenſis & Bigotianus *ſublata*, quibuscum facit Scholiaſtes Crucquianus Horat. III. Od. 30. & Ald. *ſubcaſſa* Parrhaſ.

687. ACTU. *Ictu* multi codices, & nonnulli a manu ſecunda. *magno tunc i. ictu* Ed. pr.

689. DISJECTA. *Dejecta* Oudartii & Zulichemius.

691. STRIDENTQUE. *Strident* vetuſtiores, cum Mediceo, ἀγχαῖ... quod tertiae conjugationis verbum etiam reſtituimus lib. IV. 689. ubi vide annotata. HEINS. *Strident haſtilibus* Sprotianus.

692. INCIPIT. Pricaeus ad Acta Apoſtolorum capite XXI. 40. legebat *increpat.*

694. VERIUS. *Juſtius* Sprotianus, ex gloſſa. in Montalbano adſcriptum, *id eſt convenientius.*

695. LUERE. V. Carroeus.

696. MEDII. *Mediis* Dorvill.

700. EXSULTANS. *Exſultat* Oudartii & Sprotianus. *horrendiſque* Parrhaſ. *inſonat* prior Hamburgicus a manu ſecunda.

701. ATHOS. *Athon* Servius, & multi apud me. ſed vetuſtiores *Athos*. in eo autem fallitur Servius, quod metri cauſſa Maroni dictum *Athon* contendit, cum *Athos* poſteriorem producat, quia Graecis Ἄθως. *Atho* pro *Athon* apud Theocritum. & Marcianus Heracleota apud Scalig. ad Chron. Euſeb. p. 82. HEINS. *Et quantus* Regius.

706. IMOS. *Altos* Oudartii. *abiete* ſecundus Mo-

87 hunc *Atho*, hunc *Apollo* L. quod in Ἄθων procedit. 88 deſunt L. Voſ. R. Steph. 89 *nullo quoque vertice* Baſil. 90 *latius* Dan. 91 vel ſpectaturi vel feſſi L. Voſ. R. Steph. & Baſil. ſed ibi defeſſi legitur. 92 deſunt iisdem.

Ingentis, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coïsse viros, & cernere ferro.
710 Atque illi, ut vacuo patuerunt aequore campi,
Procursu rapido, conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clipeis atque aere sonoro.
Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus

Con-

SERVII.

709. INTER SE COISSE VIROS, ET CERNERE FERRO. [93] [Vera & antiqua haec est lectio: nam Ennium secutus est, qui ait: *Olli cernebant* [94] *magnis de rebus agentes.* [95] [Et idem: *Ferro, non auro, vitam cernamus utrique.*] Posteritas coepit legere, *& decernere ferro.*] [96] [Secundum quam lectionem Synaloepha opus est, sed excluso os, ut sit, [97] [*Inter se coisse vir' & decernere ferro.*]

710. [98] VACUO PATUERUNT. Potest intelligi, ut patuerunt corporis magnitudine.

711. PROCURSU. Una pars orationis est.

713. DAT GEMITUM TELLUS. Pulsu pedum.]

VARIORUM.

Moreti. *qui alta*, & *qui imos* sine copula Dorvill.

708. DIVERSIS PARTIBUS ORBIS. Lego, *diversi*. HEINS.

709. ET DECERNERE FERRO. *Decernere* probat Priscianus. Seneca, & Servius, *cernere ferro* agnoscunt, quod ego magis judico Ennianum. FABRIC. Quamquam omnes codices *& decernere*, vel *decernere*, omittentes τὸ *&*, hoc loco agnoscunt, asseverante id Pierio etiam de suis, quomodo III. Georg. 21. *cursibus & crudo decernit Graecia caestu*, pluris tamen apud me est auctoritas Senecae, qui *cernere* a Marone relictum esse asseverat Epistola LVIII. Eandemque scripturam Priscianus quoque lib. I. agnoscit, & agnovit ante Priscianum Quinctilianus. neque aliter a secunda manu Mentelianus. Huc adde Silium Italicum, accuratum in primis Maronis nostri imitatorem, is libro XVI. v. 532.

Nec quos culpa tulit, quos crimina noxia vitae,
Sed virtus animusque ferox ad laudis amorem,
Hic crevere pares ferro.

ita quippe castigandum esse censeo. cum in duobus scriptis codicibus, quorum alter vetustrimus, invenerim, *Hi crevere pares.* vulgati *decrevere*. est autem Ennianum. Facessant igitur Pierius & Marius Corradus libris de lingua Latina, & Giphanius Indice Lucret. in *decernit*, & cum Prisciano ac scriptis codicibus idem in *S extrita*, qui τὸ *decernere* perperam adstructum eunt. Stat & pro nobis Servius hoc loco. Haec scripseram, cum vidi virum summum Ger. Vossium lib. I. Gramm. cap. 19. stare pro nobis. *cernere* etiam pro *decernere* Claudianus lib. I. de Laud. Stilic. 89.

Felix arbitrii princeps, qui congrua mundo
Judicat, & primus censet, quod cernimus omnes.

ita ista opinor esse capienda. idem lib. I. in Eutrop. 237.

Portentaque monstris
Aggeret, & secum petulans amentia certat.

ubi Zinzerlingus ex veteri codice *cernit*, pro *decernit*. sed in nostris omnibus nil variatur istic. Lucretius lib. V. 394.

Magnis de rebus inter se cernere certant.

Tibullus Panegyr. Messallae v. 143.

Seu libeat duplici, seu juncto cernere Marte,
Dexter uti laevum teneat, laevumque sinister.

ita scribo, vulgo *duplicem seu vinctum Martem*. sed & alia illic, adhuc mendosa. plura de hoc verbo Zinzerlingus Promulsidis Criticae cap. III. Gronovius ad Livium lib. XXXVII. cap. 13. & Nonius Marcellus in *cernere*. ita *cernere haereditatem* pro adire. hinc *cretio*, aditus haereditatis. Plin. lib. I. cap. 26. ex Ms. vide illic Pintianum praeterea *ingentis* Seneca idem & scripti potiores, non *ingentes*. HEINS. *Et cernere* jam legitur in Editione Juntina. v. Serv. ad II. Georg. 256. & II. Aen. 508. Stephani Schediasm. p. 60. & probavit Politian. XII. Epist. 8. & Pius ad Lucret. V. 394. vid. & Colum. ad Enn. pag. 52.

710. Ar-

93 desunt Voss. ad ℣. 712. 94 *olim cernebant magis de rebus agendis* Steph. de rebus agentibus R. 95 desunt L. R. Steph. Dan. al. 96 desunt L. R. 97 desunt Steph. 98 desunt L. Vos. R. Steph. al. ad ℣. 714.

Congeminant. Fors & virtus miſcentur in unum.
715 Ac velut, ingenti Sila, ſummove Taburno
Cum duo converſis inimica in proelia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi ceſſere magiſtri:
Stat pecus omne metu mutum, muſſantque juvencae,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta ſequantur:
720 Illi

SERVII.

714. FORS ET VIRTUS MISCENTUR IN UNUM. [99] [*Fors*, id eſt, caſus,] in Turno, *virtus* in Aenea: nam in bello etiam caſus plurimum valet. Cicero in Miloniana cap. XXI. *Adde caſus, adde incertos exitus, Martemque communem.*

715. AC VELUT INGENTI SYLA, SUMMOVE TABURNO. *Syla*, mons [1] eſt Lucaniae: *Taburnus* mons Campaniae. Salluſtius de fugitivis fragm. incert. *In ſylva Syla* [2] *fuerunt*: unde peſſime quidam *ſylva* legunt: quia proprium appellativo non poteſt [3] [jungi &] aequari: unde bene proprium [4] proprio junxit.

717. PAVIDI CESSERE MAGISTRI. Proprie *magiſtri*, ſunt militum; *paſtores*, pecorum; ſed reciprocae ſunt [5] iſtae tranſlationes: nam & *ductor militum*, *paſtor* vocatur, ut diximus ſupra ad ỿ. 587. & *magiſtros pecorum* dicimus: Cicero. v. Verr. 7. *Quem magiſtrum pecoris eſſe* [6] *dicebat.*

718. MUSSANTQUE JUVENCAE. Dubitant, ſicut ſup. ỿ. 657. *Muſſat rex ipſe Latinus.*

719. [7] [NEMORI IMPERITET. Hoc eſt, qui ſunt in nemore, ut eſt III. Georg. 472. *Sed tota aeſtiva repente.*]

VARIORUM.

710. AEQUORE. *Pulvere* Zulichemius a manu prima.

711. CONJECTIS. *Conjectiſque eminus armis* Mediceus. non *conjectis*. & *crebris enſibus ictis*. ſed id perperam. HEINS. *Collectis* Bigotianus. & mox *ſimul aere* alter Menagii.

713. CREBROS. *Crebris* Gudianus a manu prima. *congeminat* ſecundus Rottendorphius. ut tellus ſonitum ictuum reddat tremore quodam.

715. INGENTI SYLA. *Sila* legendum, non *ſilva*. *Sila* enim Brutiorum eſt nemus, ut Vibius Sequeſter; Lucaniae, ut Servius, hoc eſt, extremae Italiae, quae nomen adhuc retinet. Ejuſdem mentionem fecerunt Salluſtius in Hiſtoria, & Cicero in Bruto: *Cum in ſilva Sila caedes eſſet facta, notique homines interfecti.* quem locum primus ego ex manuſcripti codicis veſtigiis reſtitui. FABRIC. *Sila* codices plerique recte. quod nomen etiamnum obtinet ſilva in Brutiis. *ſilva Sila* Plin. lib. III. cap. 5. Reddendum & id Propertio lib. I. El. XX. *umbroſi flumina Silae*. ut puto Scaligerum monuiſſe. HEINS. Vid. ad III. Georg. 219. *Sylla* Dorvil. a manu ſecunda.

Ibid. TABURNO. *Taborno* Regius.

716. CONVERSIS. *Converſi* alter Menagii. *diverſis* primus. *converſis inter ſe praelia* Zulichemius a manu prima. *in* etiam deeſt alteri Menagiano.

718. STAT PECUS OMNE METU MUTUM. *Mutus metu* pro exanimi dixit etiam libro IX. 341. Ovidius Art. III. 702. *Subito muta dolore fuit*, quem locum ex eadem impreſſione Auguſtana emendavi. FABRIC.

519. QUIS PECORI IMPERITET. *Nemori imperitet* Mediceus, quod praetulerim, idque in vetuſtioribus ſuis exſtare Pierius quoque teſtatur. in ſylvis enim ut plurimum paſcebantur boves. hinc βοῦς ὑλόφαγος Heſiodo. vide Bocharti Hierozoicon lib. II. cap. 31. p. 299. in Ecloga VIII. 85.

Talis amor Daphnin, qualis cum feſſa juvencum
Per nemora atque altos quaerendo bucula lucos,
Propter aquae rivum viridi procumbit in ulva.

& in Georg. lib. III.

Carpit enim vires paullatim, uritque videndo
Fe-

99 deſunt iisdem. 1 eſt ſylvae Lucaniae R. Steph. eſt Lucaniae ſylva L. mons & ſilva Lucaniae Baſil. 2 fugerunt Voſ. Dan. 3 deſunt Voſ. L. Dan. Fab. al. jungi exaequari R. reliqui tantum exaequari. 4 deeſt L. Voſ. R. Steph. al. *pro proprio* Dan. 5 inter ſe iſtae L. Voſ. R. Steph. 6 *dicebant* L. Dan. Fabr. al. *decebat* Voſ. 7 deſunt L. Voſ. R. Steph. al.

720 Illi inter ſeſe multa vi vulnera miſcent,
Cornuaque obnixi infigunt, & ſanguine largo
Colla armoſque lavant: gemitu nemus omne remugit.
Haud aliter Tros Aeneas & Daunius heros
Concurrunt clipeis. Ingens fragor aethera complet.
725 Juppiter ipſe duas aequato examine lances
Suſtinet, & fata inponit diverſa duorum;
Quem damnet labor, & quo vergat pondere letum.

Emi-

SERVII.

725. JUPPITER IPSE DUAS AEQUATO EXAMINE LANCES. Aut poëtice dictum eſt, & ratione caret: nam Jupiter ignorare nihil poterat: aut certe illud quaeritur, quis ibi de Turno & Aenea mortis adferat cauſſam: nam dicunt philoſophi, mortem ad deum minime pertinere: nam bona tantum praeſtat, nec ad eum, quae mala ſunt, pertinent: [8] [nam ideo & aequas lances ſuſtinet: [9] [unde Cicero in Officiis ait: *Sed quia nocere Deos non putant; his exceptis, homines hominibus obeſſe plurimum arbitrantur*:] vel ideo a Jove hoc fit, ut Junoni aliiſque Deis neceſſitatis violentiam probet: an inquirit, utrum tempus ſit?] Tamen ſciendum, hunc locum a Virgilio ita eſſe tranſlatum, ut in Homero lectus eſt, Iliad. X. 209.

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
Τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο.
Ἕλκε δὲ μέσσα λαβών, ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ.
Ὤιχετο δ' εἰς ἀΐδαο, λίπεν δ' ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων.

EXAMINE. *Examen*, proprie eſt filum, quo trutina [10] regitur.

727. DAMNET LABOR. [11] [Id eſt, quem voto liberet labor praeliandi, parta ſcilicet victoria: quoniam unuſquiſque ob incolumitatem recuperatam votis exſolvitur, id eſt, liberatur explicitis ſacrificiis,] ut eſt v. Ecl. 80. *Damnabis tu quoque votis.* [12] [Nonnulli ſic tradunt: quem labor ſuus liberet, quem mors urgeat: nam in Jure cum dicitur, *Damnas eſto*, hoc eſt, damnatus es, ut des, hoc eſt, damno te, ut des, neque alias libereris: [13] [Quidam *labor* pro militia intelligunt.] VERGAT PONDERE LETHUM. [14] Bene *vergat*: nam morientes Inferos petunt.

VARIORUM.

Femina, nec nemorum patitur meminiſſe, nec herbae,
Dulcibus illa quidem illecebris, & ſaepe ſuperbos
Cornibus inter ſe ſubigit decernere amantes.
Paſcitur in magna ſilva formoſa juvenca.

& mox:

Victus abit, longeque ignotis exſulat oris,
Et ſtabula adſpectans ſilvis exceſſit avitis.

vides nemus & ſilvam *regna avita tauri* nuncupari. quibus nimirum imperitarit. Valerius Flaccus lib. II.

Qualis per paſcua victor
Ingreditur, tum colla tumens, tum celſior armos
Taurus, ubi aſſuetis pecoris ſtabula alta reviſit,
Et patrium nemus, & bello quos ultus amores.

Lucanus lib. II. 601.

Pulſus ut armentis primo certamine taurus
Silvarum ſecreta petit.

Varro lib. II. R. R. cap. 5. *paſcuntur armenta commodiſſime in nemoribus, ubi virgulta & frons multa. hieme cum hibernant ſecundum mare, aeſtu abiguntur in montes frondoſos.* Columella lib. VI. R. R. 23. de vaccis: *ad buccinae ſonum pecus ſi quod in ſilvis ſubſtiterit, ſepta repetere conſueſcat. ſed non eadem in tauros exercentur inperia, quia freti viribus per nemora vagantur.* Hinc vetus adagium apud Eraſmum, Chil. Cent. I. 43. ἴσα καὶ ταῦρος

ἀπ'

8 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. ad *tamen.* 9 deſunt Dan. 10 legatur L. legitur R. 11 liberet, ut *damnabis tu quoque votis* R. Voſ. L. Steph. al. & nihil praeterea. 12 deſunt iisdem. 13 deſunt Fabr. quidam labor pro malunt intelligunt * Dan. 14 apte poſuit *vergat* Dan. Fabr.

Emicat hic, inpune putans, & corpore toto
Alte ſublatum conſurgit Turnus in enſem,
730 Et ferit. Exclamant Troës trepidique Latini,
Adrectaeque amborum acies. At perfidus enſis
Frangitur, in medioque ardentem deſerit ictu:
Ni fuga ſubſidio ſubeat. Fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque aſpexit inermem.

735 Fa-

SERVII.

730. TREPIDI LATINI. Atqui [15] laeti eſſe debuerunt; ſed nimia Aeneae oſtenditur virtus: [16] namque naturale eſt, ut ſociis timori ſit inferioris audacia: unde nunc Latini ſunt territi, ex eo, quod ſuperiorem ferire auſus eſt Turnus.

731. [17] [ACIES. Aut exercitus, aut oculi.]

734. UT CAPULUM IGNOTUM, DEXTRAMQUE ASPEXIT INERMEM. Locus hic totus ad gloriam Aeneae pertinet: namque id agit, ne videatur Turnus armorum vilitate ſuperatus: unde ei redditur gladius, quo etiam [18] cum divinis armis ab Aenea poſſit extingui. [19] [ASPEXIT autem, quaſi mirabundus, quod fractus eſſet; cum putaret, ſe gladium ferre Vulcanium,] [20] eo ſcilicet tempore, quo tempore vulneratum vidit Aeneam: [21] [Sed ſupra de Turno 88. *Simul aptat habendo Enſemque clypeumque, Enſem, quem Dauno Ignipotens deus ipſe parenti Fecerat.* Modo ergo Metiſci uſus eſt ferro: & haec ratio eſt: quod, quamvis armatus ſuo gladio deſcendiſſet ad campum, tamen cauſa foederis depoſuiſſet arma: nam & de Aenea hoc dixit ſup. 311. *Dextram tendebat inermem:* qui utique ad foedus non inermis advenerat: nam dictum eſt ſup. 166. *Hinc pater Aeneas, Sidereo flagrans clypeo, & coeleſtibus armis.*] [22] Sane PATRIO MUCRONE, modo, paterno, ſignificat: nam Dauni fuerat gladius: ut hic dictum eſt ſup. 90. *Enſem quem Dauno ignipotens Deus ipſe parenti Fecerat.* Alias *patrium*, a patria eſt derivatum. [23] [*Mucrone* autem, pro gladio, a parte totum.

VARIORUM.

ἀν' ὕλην. HEINS. *Nemori* etiam tuetur Barth. ad Stat. II. Theb. 330. *imperitet & quem* Parrhaſ. Menagii duo, totidem Hamburgenſes & nonnulli alii. *ſequuntur* Sprotianus & duo alii. vid. ad Ovid. III. Faſt. 71.

720. VULNERA. *Praelia* Gudianus. *viſcera* prior Hamburgenſis. mox *enixi* Mentelii primus a manu prima. *infligunt* Bigotianus, quod placebat Heinſio.

721 OBNIXI. *Infigunt obnixi* Parrhaſ.

722. LAVANT. *Rigant* Oudartii a manu ſecunda.

723. DAUNIUS. *Lavinius* primus Moretanus.

725. JUPPITER IPSE. *Ille* Bigotianus. vide lib. VII. ỷ. 110. HEINS.

Ibid. EXAMINE. *Exagmine* Parrhaſ.

727. QUEM DAMNET. Caſtalio hic accipit, ut *damnavi voti.* Servius interpretatur liberet. unde liquet illum legiſſe, ut & Nonium in *damnare, aut quo vergat.* & ſic ſcripti complures, & Priſcianus lib. VIII. idque adſtruit ex ſuo codice Joſephus Caſtalio Obſervat. contra Criticos lib. III. cap. 9. HEINS. *Aut quo* Parrhaſ. de *vergere* vid. ad Lucret. II. 212.

728. PUTANS. *Micans* Zulichemius. *corpore tanto* Sprotianus. *emicat hac* Montalbanius. *hoc* Dorvil. a m. ſec.

731. AMBORUM. *Acies amborum. ac perfidus* Bigotianus. *ac* etiam Dorvill. ſecundus Rottendorphius & Ed. Mediol.

732. IN MEDIOQUE ARDENTEM. *In medio tardantem*

15 omiſit Steph. hanc vocem. 16 nam quod naturale Dan. 17 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 18 cum divis armis ab eo poſſit ext. Voſ. ab eo L. R. 19 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 20 PATIRO MUCRONE. eo ſcilicet Steph. quo tempore Voſ. ſcilicet non eo, quo vulneratum vidit Aeneam Baſil. deſunt haec L. 21 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. 22 quo fuerat ante uſus pater ejus Daunus, ut *Enſem quem* fecerat. ſane patrio modo paterno ſignificat. alias patr. &c. L. ſane patrio mucrone paterno ſignif. *Nam Dauni* &c. R. editi multum turbant in ordine verborum. 23 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. ad ỷ. 740.

735 Fama eſt, praecipitem, cum prima in proelia junctos
Conſcendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigae rapuiſſe Metiſci:
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit. Poſtquam arma Dei ad Volcania ventum,
740 Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Diſſiluit: fulva reſplendent fragmina arena.
Ergo amens diverſa fuga petit aequora Turnus:
Et nunc huc, inde huc incertos inplicat orbis.

Un-

SERVII.

737. DUM TREPIDAT. Dum turbatur, feſtinat, quod Graeci, *ἐν ἀγωνίᾳ ἐςί* ſcilicet, quando rupto foedere, ſubita ſpe furibundus ardet. FERRUM. Materiam pro [24] opere poſuit, ut ſolet, ut [25] v. 817. *Jungit equos curru genitor.*

739. ARMA DEI AD VULCANIA. Hypallage, pro Dei Vulcani arma.]

740. MORTALIS MUCRO. Mortali manu factus. [26] [GLACIES CEU FUTILIS. Hoc loco, fragilis.]

744. UNDIQUE ENIM DENSA TEUCRI INCLUSERE CORONA. Strategema eſt: nam, poſtquam Turnum fugere videre Trojani, clauſerunt loca, per quae evadere poterat: [27] [aut non dedita opera incluſere Trojani; ſed quod ita conſederant.

745. ATQUE HINC VASTA PALUS. Quae nunc non apparet.]

747. CURSUMQUE RECUSANT. Retardant, ſcilicet genua, quae impediebat vulnus inlatum ſagitta. Sane perite facit, ut gladio non utatur Aeneas; ſed haſta eminus dimicare contendat: quia impediente vulnere nec ſequi poterat, nec in ictum conſurgere: unde eſt inf. 789. *Hic gladio fidens; hic acer & arduus haſta.*

VARIORUM.

dantem Mediceus. HEINS. *In medioque ardentem d. ictu* Zulichemius. poſt hunc verſum ſequebatur initium imperfecti, *Quid supereſt?* in Bigotiano. *in medio ardentem* alter Hamburgicus.

733. EURO. *Aura* Sprotianus.

734. INERMEM. *Inertem* Leidenſis.

735. PRIMA. *Primum* Menagius alter & Hamburgicus alter & Gudianus.

736. PATRIO. Recte pro paterno notat poni Servius. ſic Valer. Flac. III. 12. *Patriae telum inſuperabile dextrae.* & ỿ. 302. *Patriae exitium crudele ſenectae.* vid. ad Ovid. III. ex Pont. v. 7. inter *paterna* & *patria bona* diſcrimen eſſe ſtatuit Menardus ad Cicer. I. Act. in Verr. cap. 3. de quo nunc diſquirere non vacat. apud Valer. Max. VII. VIII. 4. *Heredes, neque ſanguine patrio pares, neque proximi, ſed & alieni & humiles.* de quo loco vide interpretes varia tentantes. ſed *ſanguis patrius* ibi eſt a patria dictus, quia in Rhegino urbe non erant forte natalium pares, & opponit his *humiles*, ut *proximis* alienos. ſic *patrii enſes* Lucan. X. 529. ſunt Romani, non ut hic paterni. ut *patrius mos* apud Valer. II. VI. 14. & ita *more patrum* pro patriae dicit Ovid. I. Amor. XV. 3. pro more patriae, Romano. Sil. Ital. III. 390. *more patrum*, id eſt iſtius gentis, de qua agit. de quo alibi. ita & Lucretius lib. IV. 967.

Naturam quaerere rerum
Semper, & inventum patriis exponere chartis.

id eſt Latinis, Romanis. Pius hinc colligit Romae fuiſſe natum Lucretium.

738. IDQUE. *Jamque* ſecundus Moreti & Montalbanius. *Teucris* Leidenſis. *Phaleutia* Dorvill.

739. VENTUM. *Ventum eſt* nonnulli & Editio Juntina & aliae.

740. MORTALIS. *Fatalis* Venetus. *ceu fuſilis* Leidenſis. mox *deſiluit* Sprotianus.

741. RE-

[24] opere ſolet * ut Dan. [25] legendum, *jungit equos auro genitor*, ut vidimus ad ipſum locum. [26] deſunt L. Voſ. R. Steph. a. [27] deſunt iiſdem ad ỿ. 747.

Undique enim denſa Teucri incluſere corona:
745 Atque hinc vaſta palus, hinc ardua moenia cingunt.
Nec minus Aeneas, quamquam tardata ſagitta
Interdum genua inpediunt, curſumque recuſant,
Inſequitur, trepidique pedem pede fervidus urguet.
Incluſum veluti ſi quando flumine nactus
750 Cervum, aut puniceae ſeptum formidine pennae,
Venator curſu, canis & latratibus inſtat:
Ille autem, inſidiis & ripa territus alta,

Mil-

SERVII.

749. INCLUSUM FLUMINE. Comparatio Apollonii. [28] [Alterutro *incluſum*, aut flumine, aut formidine: aut duobus incluſum: infra enim ait: *Inſidiis & ripa territus alta*; ut *inſidias*, pro formidine; *ripa*, pro flumine poſuerit.

750. CERVUM AUT PUNICEAE. Utrum figurate, *cervum inſtat:* an potius, cervum nanctus alioquin inſtat?] SEPTUM FORMIDINE PENNAE. Lucanus IV. 438. *Claudit odoratae metuentes aëra pennae.*

751. VENATOR CANIS. Pro, venaticus.

752. INSIDIIS. [29] Pennarum ſcilicet: [30] [inſtrumentum quoddam, in fune, ad terrendas beſtias factum.]

VARIORUM.

741. RESPLENDENT FRAGMINA. *Reſplendet fragmen* Mediceus a manu ſecunda, aliique nonnulli codices. Fors ſcripſerit Maro, *reſplendent fragmen.* ut de fragmento non uno loquatur, & in multas partes Turni gladium diſſiluiſſe deſignet. ſic lib. VI. *Crepitabant bractea* ex fide veterum membranarum habuimus. HEINS. *Reſplendet lumina harena* Zulichemius. *reſplendent agmina* Venetus. *reſplendet fragmen* Ed. pr. *reſplendunt* Dorvil.

742. AEQUORA. *Aequore* Leidenſis.

743. INDE. *Deinde* Oudartii, Sprotianus, & prior Hamburgicus. *atque huc* alter Menagii. *nunc huc* Venetus. *nunc hunc inde illuc* Dorvil. a m. ſec.

745. CINGUNT. *Surgunt* Menagii prior.

746. TARDANTE. *Tardata* Mentelii prior & plures alii. *turbata* Montalbanius.

748. TREPIDIQUE. *Trepidumque* Sprotianus.

Ibid. PEDEM PEDE FERVIDUS URGUET. *Pedem pede fervidus inſtat* Aruſianus Meſſius. *Inſtat illis locis Virgilius* Aen. XII. *ſive inſtare jugis & grandia volvere ſaxa. Inſtat illi rei, pro imminet Virgil.* Aen. X. *ille inſtat aquae. Inſtat illam rem, pro feſtinat.* idem Aen. VIII. *Parte alia Marti currumque rotaſque volucres Inſtabant. Inſtat illa re illam rem.* idem Aen. XII. *Trepidique pedem pede fervidus inſtat.* Elegans ſane lectio, ſed quam temere non receperim pro vera, cum mox ſequatur denuo *latratibus inſtat*, & *ſaucius inſtat.* Novius in militibus Pometinenſibus apud Nonium Marcellum voce *Mercatus*, *Inſtant Mercaturam.* Cornelius Nepos in Eumenis vita, *inſtare hoſtes*, pro hoſtibus quoque dixit, ut Giphanius ex ſcriptis aliique jam monuerunt. apud Horat. Epod. XVI. *Barbarus heu cineres inſiſtet victor.* apud noſtrum Aeneid. V. 168. Menagianus codex *reſpicit inſtantem terga.* Feſtus Avienus deſcr. orbis,

Sinus iſtam Perſicus inſtat,
Maximus hanc Arabum ſcindit ſinus, & ſinus Aequor
Inſerit Hyrcanae.

Idem *interſtare* mox,

Aſt Aſiam incumbit vaſto mons aggere Taurus,
Interſtatque jugo medium.

Statius Theb. VI.

Saepe etiam injuſtis collatum viribus hoſtem

Ultro

28 deſunt iisdem. 29 Pinnarum L. Voſ. R. Dan. Pinnatum, ſc. inſtrumentum Vlitius ad Grat. ỳ. 76. 30 deſunt L. Voſ. R. Steph. al.

Mille fugit, refugitque vias: at vividus Umber
Haeret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
755 Increpuit malis, morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor: ripaeque lacusque
Responsant circa, & coelum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnis,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
760 Aeneas mortem contra, praesensque minatur
Exitium, si quisquam adeat: terretque trementis,
Excisurum urbem minitans, & saucius instat.
Quinque orbis explent cursu, totidemque retexunt
Huc illuc. Neque enim levia aut ludicra petuntur

765 Prae-

SERVII.

753. VIVIDUS UMBER. Acerrimus Tuscus: nam *Umbria*, pars Tusciae est. [31] [Sane *Umbros*, Gallorum veterum propaginem esse, Marcus Antonius refert: hos eosdem, quod tempore aquosae cladis imbribus superfuerant, *Umbros* cognominatos. FUGITQUE VIAS. Figurate campum; cum mare, navigat.] JAMJAMQUE TENENS. Ita ut [32] videtur intuentibus: & hi duo versus verbum ad verbum sunt translati de Apollonio [33] II. 278. [Sane summa brevitate rem elocutus est.

755. TUM VERO EXORITUR CLAMOR. Quidam quaerunt, an jam recessum sit his versibus a comparatione? sed non dubie videtur.]

758. INCREPAT. Objurgat, incusat, ut IV. Georg. 138. *Aestatem increpitans seram.*

759. EFFLAGITAT ENSEM. Cum clamore deposcit.

761. TERRETQUE TREMENTES. Quis enim saucium non timeret instantem, cum eum integer fugeret? [34] [Et bene terret eos, apud quos terror ejus habetur: & alibi inf. 875. *Ne me terrete timentem.*]

764. LUDICRA PRAEMIA. Vilia, digna ludo. [35] [Haec apud antiquos *ludibria* dicebantur; non, ut nunc, in mala significatione. [36] [Hi versus de Homero sunt translati Iliad. X. 159. Ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον, οὐδὲ βοείην Ἀρνύσθην, ἅτε ποσσὶν ἀέθλια γίγνεται ἀνδρῶν, Ἀλλὰ περὶ ψυχῆς θέον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο.] Dabatur autem victori pro praemio aut [37] pelvis, aut vinum, esca, hordeum: unde *hordeariae quadrigae* dicuntur.] SACER OLEASTER. Fere omnia Latina arborum nomina generis foeminini sunt, exceptis paucis, ut [38] *hic oleaster*, & *hoc siler*. Ipse II. Georg. 12. *Ut molle siler* [39] [*lentaeque genistae.*] Item *hoc buxum*: licet & *haec buxus* [40] dicatur: nam superfluam quidam volunt facere [41] discretionem, ut, *haec buxus* de arbore dicamus; *buxum* vero, de ligno [42] compositum: legimus enim [43] [in Virgilio] de tibiis IX. 619. *Buxusque vocat Berecynthia Matris Idaeae.* Item cum de arboribus [44] loqueretur dixit II. Georg. 449. *Et torno rasile buxum.*

747. VE-

31 desunt iisdem. 32 videatur Dan. 33 desunt iisdem ad ℣. 758. 34 desunt iisdem. 35 desunt L. Vos. R. ad *sacer.* 36 desunt Dan. ad *dabatur*, & hinc deerant Steph. Fabr. al. ad *sacer.* 37 pellius, aut vinus * esca hordeum Dan. pelis aut mnus * esca h. Comm Emm. 38 hic oleaster, siler. Virgilius L. oleaster, hoc siler, Virgilius R. Vos. Basil. ipse Virgilius Fabr. 39 desunt L. Vos. R. Steph. al. 40 de arbore dicamus. *buxum* vero de ligno dicamus composito L. & R. sed dicamus secundo loco caret, media uterque codex ignorat. 41 descriptionem Steph. 42 composito Voss. Steph. aliquid compositum Dan. 43 desunt Dan. enim deest Steph. 44 diceret, *Et* Dan.

765 Praemia: ſed Turni de vita & ſanguine certant.
Forte ſacer Fauno foliis oleaſter amaris,
Hîc ſteterat, nautis' olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti Divo, & votas ſuſpendere veſtis.
770 Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum
Suſtulerant, puro ut poſſent concurrere campo.
Hic haſta Aeneae ſtabat: huc inpetus illam
Detulerat fixam, & lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
775 Dardanides: teloque ſequi, quem prendere curſu

Non

SERVII.

767. VENERABILE LIGNUM. Antiquam arborem voluit exprimere: [45] [ſeu truncus fuerit jam, & aridus, ob vetuſtatem: & ideo *lignum*, humiliter dictum accipiunt; ornavit tamen, *venerabile* dicendo.]

768. UBI FIGERE DONA SOLEBANT. Proprie, [46] ut IX. 408. *Sacra ad faſtigia fixi* [47] [Et quaeritur, cur terreno Deo nautae dona ſuſpenderent? quia conſtat, omnes in periculis ſuis Deos patrios invocare, & ideo illis vota ſolvere, quorum familiarius numen opitulari ſibi credant.]

770. NULLO DISCRIMINE. Sine [48] aliquo religionis intuitu. [49] [Et deeſt *habito*, ut ſit, nullo diſcrimine habito. Intelligendum autem, eatenus ſtirpem excifum, quatenus ſupra terram fuit; ergo *ſtirpem*, pro arborem accipiendum: quia & *ſobolem*, *ſtirpem* appellant.]

773. FIXAM: ET LENTA RADICE TENEBAT. Plenum eſt: quam radix fixam tenebat. [50] [Et bene *tenebat*, quaſi propter piaculum remotae arboris hoc videtur paſſus Aeneas: & ideo dixit *tenebat*; quod adeo veriſimile eſt, ut Faunus Turnum audiat, & haſtam moretur.

775. PRENDERE CURSU. Quidam humiliter *prendere curſu* dictum accipiunt.]

VARIORUM.

Ultro audax animis inſtatque & obumbrat & alte Aſſiit.

HEINS.

749. SI QUANDO IN FLUMINE. Τὸ *in* libri vetuſtiores non agnoſcunt. HEINS.

750. PENNAE. *Pinnae* complures.

753. AT VIVIDUS. *At* Leidenſis, Mediceus & alii & Editio Juntina. *aut* Sprotianus. *umidus imber* alter Hamburgicus. *invidus Umber* Bigotianus.

754. TENET. *Tenens* prior Hamburgicus a manu ſecunda.

755. ELUSUS. *Illuſus* alter Menagii. *elapſus* Dorvil.

757. TONAT. *Intonat* Sprotianus, prior Hamburgicus & ſecundus Mentelii & duo Moretani & Parrhaſ. *fragore* plurimi. *circa coelum tonat* Excerpta noſtra.

760. AENEAS. *Aeneas contra praeſens mortemque minatur* Ed. pr.

761. EXITIUM. *Excidium* Venetus. *aderat* Dorvill.

762. INSTAT. *Inſtant* Mediceus manu prima. *exſciſſurum* Pariſ.

763. EXPLENT. *Implent* Menagii prior & Leidenſis. *complent* Parrhaſ.

764. HUC ILLUC *Huc atque huc* Oudartii.

766. FAUNO. *Fauni* Editio Juntina. & Petri Danielis, Cerdae & al. ſed aliter ſcripti. *foliuſque* prior Hamburgenſis.

767. LIGNUM. *Signum* Menagii prior, Parrhaſ.

mox

45 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 46 ut ait, *ſacra* Dan. 47 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 48 deeſt iisdem. 49 deſunt iisdem. 50 deſunt iisdem ad ℣. 778.

Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miserere, inquit: tuque optima ferrum
Terra tene; colui vestros si semper honores;
Quos contra Aeneadae bello fecere profanos.
780 Dixit, opemque Dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
Roboris Aeneas. Dum nititur acer, & instat,
Rursus in aurigae faciem mutata Metisci
785 Procurrit, fratrique ensem dea Daunia reddit.

Quod

SERVII.

778. FERRUM TERRA TENE. [51] [*Ferrum* pro telo;] *terra* autem, elementum, pro Dea posuit.

779. [52] [BELLO FECERE PROFANOS. *Profanum* proprie dicitur, quod ex religiosa re in hominum usum convertitur, ut hic plenissime ostenditur, dicens enim Turnus, *colui vestros si semper honores? Quos contra Aeneadae bello fecere profanos:* & sibi religiosam fuisse arborem; & a Trojanis in usum communem fuisse consumptam: nam ex sua persona supra Poëta ait: *Forte sacer Fauni foliis oleaster amaris Hic steterat, nautis olim:* & subjunxit: *Sed stirpem Teucri nullo discrimine*, &c. at postea dicendo *bello fecere profanos*, docuit, *profanum* esse, quod a religione in usum hominum transiit. Sacro profanum contrarium, ut festo profestum, fasto nefastum. Ergo non omne, quod sacrum non sit, profanum; sed quod sacrum fuerit, & desierit.]

780. NON CASSA IN VOTA. Non ad inania vota [53] poposcit auxilium.

781. LUCTANS LENTOQUE IN STIRPE MORATUS. *Luctatus*, & *moratus*, erat integrum, [54] [quod vitavit propter ὁμοιοτέλευτον. [*In stirpe* autem, hic radicem dixit.]

784. RURSUS IN AURIGAE FACIEM MUTATA METISCI. Κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus Juturnam in numen reversam, postquam Turnus [55] currum reliquit.

VARIORUM.

mox *ibi* prior Hamburgicus & Sprotianus.

769. VOTAS. Verum est *votas*, id est ex voto promissas, ut Donatus legit, cujus tamen expositio mihi non placet. FABRIC. *Notas* quartus Moreti, & Edd. primae. *voto* Leidensis & tertius Rottendorphius a manu secunda.

770. STIRPEM. vid. Stat. IV. Theb. 590.

772. HUC IMPETUS ILLAM DETULERAT FIXAM, ET LENTA IN RADICE TENEBAT. Servius legit, *fixam & lenta radice tenebat*, pro, quam radix fixam tenebat: id etiam ait plenum esse Donatus. *Huc impetus illam Detulerat mollem, & lenta radice tenebat.* judicium sit lectoris. FABRIC. *Et* atque *in* deest Regio. *huic* tertius Rottendorphius.

773. A RADICE. Vel *ab* Mediceus. HEINS. *In* deest plurimis Ed. prima. *ut lenta* Venetus. *fixum lenta radice* Bigotianus. *&* deest etiam Hugeniano, Leidensi & tertio Mentelio, Paris. & Regio.

777. TUQUE. *Tuaque* secundus Rottendorphius.

779. BELLO. *Ferro* duo Rottendorphii & Gudianus pro varia lectione, & Zulichemius.

781. NAMQUE. *Jamque* Hugenianus. de genere dubio *stirpis* vid. Serv. ad I. Aen. 626. & III. 94. *Acutissimum stirpem* dixit Plinius lib. VIII. 26. apud Columel. lib. X. 38. *aliena stirpe gravata arbor*,

51 desunt L. R. Steph. al. qui habent pro tellus, elementum &c. 52 desunt L. R. Vos. Steph. al. 53 poscit Dan. 54 desunt L. R. ad v. 784. sed Vos. Steph. al. habent ad in stirpe, unde deficiunt. 55 currus L. Vos. R. Dan. Basil.

Quod Venus audaci nymphae indignata licere,
Adceſſit, telumque alta ab radice revellit.
Olli ſublimes, armis, animiſque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus haſta,
790 Adſiſtunt contra certamina Martis anheli.
Junonem interea Rex omnipotentis Olympi
Adloquitur, fulva pugnas de nube tuentem:
Quae jam finis erit, conjux? quid denique reſtat?
Indigetem Aenean ſcis ipſa, & ſcire fateris,
795 Deberi coelo, fatiſque ad ſidera tol li

Quid

SERVII.

786. AUDACI NYMPHAE. Ut ſupra IX. 3. diximus, ubicumque inducit nitentem aliquem ſine effectu, *audacem* dicit. [56] [Praecipue autem hoc de Rutulis ſervavit dicens IX. 518. *Nec curant coeco contendere Marte Amplius audaces Rutuli*, &c. LICERE. Pro, quod liceret.]

788. ARMIS, ANIMISQUE REFECTI. Sicut armis, ita & animis: namque armorum inopia, animi [57] ante utriuſque torpebant.

789. [58] [HIC ACER ET ARDUUS HASTA. Poteſt & *hic haſta fidens* ſubaudiri.]

790. CERTAMINA MARTIS ANHELI. [59] Alii CERTAMINE legunt: ut ſit ſenſus: Adſiſtunt contra ſe in Martis anheli certamine.

792. FULVA DE NUBE. De aëre, de elemento ſuo.

793. QUAE JAM FINIS ERIT, [60] CONJUX? *Jam denique.* Verba iſta quaſi jam taedian‑is ſunt ad longam Junonis iracundiam: unde & paulo poſt: *Deſine jam tandem, precibuſque inflectere noſtris.*

794. INDIGETEM AENEAM SCIS IPSA, ET SCIRE FATERIS. Subaudis, *fore.* Et *indigetes* [61] *Dii*, duplici ratione dicuntur, vel ſecundum Lucretium, quod *nullius* [62] *rei indigeant*, qui ait [63] II. 649. *Ipſa ſuis pollens opibus nihil indiga noſtri:* [64] [vel quod nos *Deorum indigeamus*: unde quidam omnes Deos *indigetes* appellari volunt. Alii patrios Deos, *indigetes* dici debere tradunt: alii ab invocatione *indigetes* dictos volunt; quod *indigeto*, eſt precor, & invoco.] Vel certe *indigetes* ſunt *Dii* ex hominibus facti: & dicti *indigetes*, quaſi *in diis agentes.* [65] [Sane de Aenea fabula talis eſt; Cum, Turno occiſo, & accepta Lavinia, condita civitate, in Numicum fluvium, ut alii volunt, ſacrificans, ut alii, Mezentium, ut alii, Meſſapum fugiens, cecidiſſet; nec ejus eſſet cadaver inventum, Aſcanius, filius ejus, victo Mezentio, cum caeteris Trojanis credens & jactitans inter numina receptum, ſive patrem volens conſecrare, templum ei conſtituit, quod *Dei indigetis* appellari juſſit.

VARIORUM.

arbor, ubi Mſ. *alieno.* ubi Heinſius malebat *alienae ſtirpe gravata Matris.*

782. DISCLUDERE. *Diſcindere* Venetus. *diſcurrere* Gudianus pro varia lectione. ut & Mediceus a manu prima. *convellere* quartus Moreti & Dorvill. *potuit* etiam Leidenſis.

784. MUTATA. *Converſa* Zulichemius, Venetus, & duo Rottendorphii. *mentita* legere alios Cerda notat.

785. REDDIT. *Tradit* alter Hamburgicus.

787. AB. Deeſt Parrhaſ. *revulſit* Ald.

788. AR-

56 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 57 deeſt Dan. Fabr. 58 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 59 R. & L. nihil habent, niſi *certamine.* Dein praepoſitio *in* deeſt Steph. & al. 60 CONJUX? QUID DENIQUE. verba iſta &c. Dan. & Fabr. qui & RESTAT adjicit ut ſint verba Poetae ad quae Servius ita commentatur. 61 deeſt Dan. 62 rei egeant, L. Voſ. R. Dan. 63 ait, *nihil indiga cura* R. L. *nihil indigna cura* Voſ. *indiga curae* Steph. al. *Ipſa ſ. p. o. n. indiga curae* Fabr. 64 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 66 deſunt L. Voſ. R. Steph. al.

Quid ſtruis? aut qua ſpe gelidis in nubibus haeres?
Mortalin' decuit violari volnere divum;
Aut enſem (quid enim ſine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, & vim creſcere victis?
800 Deſine jam tandem, precibuſque inflectere noſtris:
Nec te tantus edat tacitam dolor: & mihi curae
Saepe tuo dulci triſtes ex ore recurſent.
Ventum ad ſupremum eſt. Terris agitare, vel undis
Tro-

SERVII.

797. MORTALIN', DECUIT VIOLARI VULNERE DIVUM? [67] [Mortali vulnere dixit;] non, lethali: ſed, [68] aut quo mortales laborant, aut a mortali inlato: [69] [aut *mortali vulnere*, id eſt, mortem faciente: ergo non quaſi Juturna mortalis ſit.] *Divum* autem ſubaudimus, *futurum*.

798. (QUID ENIM SINE TE JUTURNA VALERET?) Parentheſis: poterat enim excuſare Juno ſe, nihil feciſſe commemorans: unde eam auctorem fuiſſe Juppiter [70] dicit, propter illud ſup. 159. *Auctor ego audendi*.

800. DESINE JAM TANDEM. Singula pronuntianda ſunt. [71] [Dicendo autem *tandem*, odium perſeverantis oſtendit.]

801. NEC TE TANTUS EDAT TACITAM DOLOR. [72] Scilicet, deſine odiis urgere Trojanos. Sane *edo*, *edis*, [73] *edit*, integrum verbum eſt, ut *lego*, *legis*, *legit*: nam *edo*, *es*, [74] *eſt*, *eſſe*, anomalum conſtat.

803. [75] [VENTUM AD SUPREMUM EST. Per infinitum modum verbi dictum.]

VARIORUM.

788. ARMIS. *Animis armiſque* Parrhaſ. vid. ad II. Aen. 799.

790. INSISTUNT. *Adſiſtunt* Mediceus, Mentelianus caeterique. praeterea Menagianus & Sprotianus *adſiſtunt contra certamine*. HEINS. *In certamine* Hugenianus. *in certamina* primus Moreti. *adſiſtunt* Ed. pr.

792. PUGNAS. *Pugnam* Bigotianus. *tuentem* fere omnes. vid. ad Ovidii I. Met. 85.

793. QUAE. *Qui* Leidenſis. *quis* prior Hamburgicus. *erat* alter Menagii.

796. NUBIBUS. *Montibus* Oudartii & Zulichemius a manu prima.

797. MORTALIN'. *Mortali* Ed. Venet. male hic pro letali, mortem faciente, exponi vidimus ad Lucan. II. 179. Barthius tamen *mortale nefas*, pro mortifero prius interpretatur. ſed deinde ſequitur Lutatii interpretationem.

798. AUT. *Haud* Regius.

799. ET VIM. *Et* deeſt Bigotiano.

800. PRECIBUSQUE. Deeſt copula Dorviill.

801. NEC TE TANTUS EDAT TACITAM DOLOR. *Edit* ſcripſiſſe Maronem hoc loco Diomedes teſtatur, addito & Catonis loco ad filium de Oratore, *Lepus multum ſomni adfert, qui illum edit*. ab antiquo *edim*, pro edam. certe in Gudiano quoque perveteri illo & praeſtantiſſimo codice, a manu prima diſertim apparebat exaratum, *Nec te tantus edit tacitam dolor*. vide omnino Giphanium Indice Lucretiano *pervolit*. & Sciopp. lib. V. Suſp. Lect. Ep. XI. Monet de Diomede Voſſius lib. III. de Analogia 37. ſic illum legere Maronis locum. quomodo & illud Horatii pro *edat* poſitum volunt Grammatici veteres in Epodis Ode III.

Edit cicutis allium nocentius.

Idem Sat. ult. lib. II.

—— *Deinde ſecuti*
Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes
Mem-

67 deſunt iiedem. 68 ait mortali apto L. aut mortalis labant, aut in mortali inlato R. 69 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. 70 dixit Steph 71 deſunt L. R. Voſ. Steph. al. 72 ſcilicet ut velis ſidereis odiis urg. L. ſcilicet ſiere odiis urgere R. ſcilicet ſydereis odiis Steph. ſcilicet deſiderius urgere Dan. 73 *edidi* Steph. edet R. deeſt Voſ. 74 deeſt Dan. 75 deſunt L. Voſ. R. Steph. al.

Trojanos potuisti: infandum adcendere bellum,
805 Deformare domum, & luctu miscere hymenaeos.
Ulterius tentare veto. Sic Juppiter orsus,
Sic dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Juppiter, & Turnum, & terras invita reliqui.
810 Nec tu me aëria solam nunc sede videres

Di-

SERVII.

804. TROJANOS POTUISTI. Id est, jam non potes: ideo enim praeterito usus est tempore: [76] [& bene *potuisti:* quia ipse dixerat I. 40. *Atque ipsos potuit submergere ponto:* & iterum VII. 304. *Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit.*

805. DEFORMARE DOMUM. Deformem reddere, per luctum.]

807. SUBMISSO VULTU. Habitum futurae orationis ostendit.

808. QUIA NOTA MIHI TUA MAGNA VOLUNTAS, JUPPITER. [77] [Hoc ideo Juno, quia] Juppiter necessitatem objecerat fati, dicens: *Ventum ad supremum est.* Sed Juno, sciens fatum esse, quidquid dixerit Juppiter, dicit se cedere ejus voluntati: nam id agit, ut conciliet sibi ejus favorem ad petitionem futuram.

810. [78] [AERIA SEDE. Nubem dixit, quia supra 792. dixerat, *Fulva pugnas de nube tuentem:* nam & hoc accusaverat Juppiter. Ergo argumento verisimili utitur; quasi dicat, non faceres solum ut spectatrix essem, sed ipsa rem gererem.]

VARIORUM.

Membra gruis sparsi multo sale non sine farre
Et leporum avulsos, ut multo suavius, armos
Quam si cum lumbis quis edit.

pro *edat.* Cicero lib. IX. Epist. ad Paetum: *Cura, si me amas, ut valeas. ne ego te jacente tua bona comedim.* ita in optimis codicibus Petrus Victorius invenir, nec aliter agnoscit Nonius Marcellus. Plautus Aulularia: *Quid tu, malum, curas, utrum crudum an coctum edim.* Trinummo: *De medico male meretur, qui ei dat quod edit, aut quod bibat.* Menaechmis: *dum tu illi quod edit & quod potet praebeas.* hoc tamen Maronis loco scripta exemplaria, quotquot vidi, vulgatum *edat* agnoscunt. Plautus vero saepe *edim* & *comedim.* vel *edit.* ut Aulular. III. II. 16. IV. VI. 6. Captivis bis Act. III. Sc. I. Curcul. IV. IV. *comedim* & *congraecem* Bacchid. IV. IV. 91. *exedint* Pseud. III. II. *Edit* prologo Poenuli. *effodint* pro *effodiant* ex scriptis Camerarius restituit Captivis Act. III. V. 66. male obloquitur Meursius & rescribit *effodent*, ab *effodare.* atqui sic & *coquint* pro *coquant* habes Pseudolo Act. III. Sc. II. 30. Cato de R. R. ubi agit de brassica *infundito in catinnm, uti frigescat, eo interito quod volet cibi postea edit. sed si poterit solam brassicam esse, edit.* Varro lib. II. de R. R. cap. 7. de equis: *objiciendum farinam hordeaceam molitam cum furfuribus, & si quid aliud terra natum libenter edint.* sic lego non *edent.* Plinius lib. XX. cap. 8. de brassica: *Insomnia etiam vigiliasque tollere decoctam, si jejuni edant quam plurimam ex oleo & sale.* Cod. Chifflet. *edent.* lege *edint.* ibid. cap. 15. *Ferunt eos qui quotidie id edunt, paralysi non periclitari. edint* puto. lib. XXV. 5. de splenio: *narrant sues, qui radicem ejus edint, sine splene inveniri.* sic vetustissimus codex Chiffletianus, non *ederint*, ut vulgati. lib. XXX. cap. 8. *idem Hydri jecur bibi, vel cinerem scorpionum in pane sumi, vel si quis cum locusta edit.* pro *edat*, quod in nonnullis est scriptis, sed perperam. lib. XXII. cap. 25. *si quis ervum quotidie jejunus edit, lienem ejus absumi certissimi auctores affirmant.* sic Ms. Chiffletianus, non *edat.* HEINS. *Tacitus* Leidensis.

Ibid. ET MIHI. *Ne mihi* Dorvill.

802. DULCI. *Tristi* prior Hamburgensis pro varia lectione. sed firmat vulgatam locus Tibulli III. IV. 42.

Edidit haec dulci tristia verba modo.

ut constituit, hoc Virgilii loco adducto, Brouckhusius.

76 desunt iisdem ad ÿ. 807. 77 desunt iisdem. 78 desunt iisdem.

Digna indigna pati; ſed flammis cincta ſub ipſam
Starem, aciem, traheremque inimica in proelia Teucros.
Juturnam miſero, fateor, ſuccurrere fratri
Suaſi, & pro vita majora audere probavi;
815 Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum:
Adjuro Stygii caput inplacabile fontis:
Una ſuperſtitio ſuperis quae reddita Divis.
Et nunc cedo equidem, pugnaſque exoſa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
820 Pro Latio obteſtor, pro majeſtate tuorum:

Cum

SERVII.

811. DIGNA, INDIGNA PATI. Id eſt, omnia: & proverbialiter dictum eſt.

813. [79] [SUCCURRERE FRATRI. Bene *fratri;* ne, ſi diceret *Turno*, careret adfectu.]

814. PRO VITA. [80] [Ac ſi diceret:] [81] pro re nobis data, id eſt, a ſuperis: [82] [Et bene figuravit, *Audere probavi.*]

815. NON UT TELA TAMEN, NON UT CONTENDERET ARCUM. Hoc loco, quaſi Juturnam ſagittam jeciſſe ſignificat, Sed, ut ſupra diximus, poſſumus accipere: [83] quod alter in ejus gratiam in Aeneam tela contorſit: [84] [ipſi adſcribendum ergo, *Contenderet arcum.* Alii *oſtenderet*, id eſt, adjuvaret tendentem in Aeneam telum: non enim certus auctor vulneris fuerat.

816. ADJURO STYGII CAPUT IMPLACABILE FONTIS. Pro *juro:* nam Proſtheſis eſt. Quidam tamen volunt *juro* tunc dici debere, cum confirmamus aliquid, aut promittimus, ut, *Juro me facturum; adjuro* vero, cum negamus, ut, *adjuro me non* [85] [*poſſe; adjuro me non*] *feciſſe.* Terentius Hecyr. II. II. 26. *Adjurat, ſe non poſſe apud vos, Pamphilo abſente, perdurare.* Poteſt tamen & *ad*, valde ſignificare, [86] [ut ſit *adjuro*, valde juro. IMPLACABILE autem, perjurantibus implacabile: & bene reſpondit ad illud, quod Juppiter juraverat in decimo 113. ne quis Deorum Trojanis, vel Rutulis ferret auxilium.]

817. [87] [UNA SUPERSTITIO. Id eſt, ſola, vel ſumma, ut I. 15. *Unam Poſthabita coluiſſe Samo.* SUPERSTITIO autem,] religio, metus; eo, quod ſuperſtet capiti [88] [omnis religio.] [89] [Et eſt Homeri locus Iliad. O. 37. Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅστε μέγιστος Ὅρκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν] REDDITA. Hoc eſt, data: nam Proſtheſis eſt.

818. [90] [EXOSA RELINQUO. *Exoſus*, & *peroſus*, de eo tantum, qui odit, dicitur.]

819. NULLA FATI QUOD LEGE TENETUR. Bene *fati:* nam victoriae lex eſt, ut victi cedant in habitum nomenque victorum.

820. PRO MAJESTATE TUORUM. Reſpexit ad Saturnum, qui in Italia quandoque regnaverat: inde ait *tuorum:* nam & Latinus inde originem ducit, ut VII. 48. *Fauno Picus pater; iſque parentem Te, Saturne, refert; tu ſanguinis ultimus auctor.*

VARIORUM.

huſius. *recurſant* alter Hamburgicus, Zulichemius & duo alii. *recuſant* Montalbanius. *recuſent* Bigotianus. *recurrent* Regius.

803. AD SUPREMUM. *Eſt ad ſummum* Leidenſis. *eſt* deerat Veneto.

804. INFANDUM ACCENDERE BELLUM. Lucret. I. 476. *Clara accendiſſet saevi certamina belli.*

806. OR-

79 deſunt iiſdem. 80 deſunt Dan. 81 pro nobis data, id eſt ſuperis L. ideſt ſuperis Voſ. R. 82 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. 83 quia Dan. 84 deſunt R. Voſ. L. Steph. al. 85 deſunt L. Voſ R. Steph. 86 deſunt iiſdem & Baſ.L. 87 deſunt iiſdem. 88 deſunt Dan. Fabr. 89 deſunt L. R. Voſ. Dan. 90 deſunt L. Voſ. R. Steph. al.

Cum jam connubiis pacem felicibus (esto)
Conponent, cum jam leges & foedera jungent;
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari;
825 Aut vocem mutare viros, aut vertere vestis.
Sit Latium: sint Albani per saecula reges:
Sit Romana potens Itala virtute propago:
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerumque Repertor:
830 Et germana Jovis, Saturnique altera proles,

Ira-

SERVII.

821. ESTO, COMPONENT. Consentit; sed invita.

827. SIT ROMANA POTENS ITALA VIRTUTE PROPAGO. Hoc videtur dicere: Si fataliter imminet, ut a Trojanis origo Romana descendat, Trojani Italorum nomen accipiant; ut Romani de Italis, non de Trojanis videantur esse progeniti.

830. ET GERMANA JOVIS, SATURNIQUE ALTERA PROLES. Locus de obscuris, de quo quidam hoc sentiunt: Petis pene illicita; sed concedenda sunt: quoniam soror Jovis es, id est, Saturni filia. Quod si voluerimus admittere, erit sequens versus incongruus, ut: *Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?* Unde melius est, ut ita intelligamus: Soror Jovis es, id est, Saturni filia: unde non mirum est, tantam te iracundiam retinere sub pectore: nam scimus, unumquemque pro generis qualitate in iram moveri: nobiles enim, etsi ad praesens videntur ignoscere; tamen in posterum iram reservant: quod nunc Junoni videtur objicere: nam, cum se concedere diceret, petiit tamen, quod graviter posset obesse Trojanis. Sic enim Homerus inducit Calchanta dicentem de Agamemnone: *Regum irae ita se habent, ut, etiam si ad praesens indulgere videantur, stimulos iracundiae ad futurum reservent:* Iliad. A. 80.

91 [Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηϊ·
Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ.]

91 desunt L. Vos. R.

VARIORUM.

806. ORSUS. Pro finivit. Serv. ad I. Aen. 325. II. Aen. 2.

808. TUA, MAGNE, VOLUNTAS. *Tua magna voluntas* Donatus ad Terentii Eunuch. Act. II. IV. III. HEINS. Et ita Ed. Mediol. *tua celsa voluntas* Editio Juntina. *quod nota* Sprotianus. *nota mihi est sua* Parrhas.

809. RELIQUI. *Relinquo* Oudirtii, Venetus & alter Menagii, & a manu prima Zulichemius & Ald. *invisa* Menagii prior.

810. AERIA. *Aëriam* Dorvill.

Ibid. NUNC SEDE. *Sub nube* Parrhas. prior Hamburgicus pro varia lectione. *sub sede* alter Menagii. *me tu* alter Menagianus.

811. DIGNA INDIGNA PATI. Vide ad Livium lib. XXIV. XVI. 9.

Ibid. SUB IPSA. *Sub ipsam aciem* Mediceus. quod mihi visum elegantius. confirmat & Sprotianus. HEINS. Et alter Hamburgicus. *ipsam acie* secundus Rottendorphius, Dorvill. *sub ipsa st. aciem* Parrhas. *citaremque* alter Hamburg. *sub ipsa acie* Ald.

813. MISERO FATEOR. *Fateor misero* Macrobius lib. VI. Saturn. cap. 6. HEINS. Et ita Sprotianus, prior Hamburgicus & Leidensis. *fateor miseram* Dorvill.

816. IMPLACABILE. *Intractabile* Montalbanius. *insatiabile* Zulichemius. *implicabile* Leidensis.

817. UNA. *Vana* Parrhalianus. vid. Guell. & Catroeus.

818. Pu-

Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verum age, & inceptum frustra submitte furorem.
Do, quod vis; & me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium, moresque tenebunt.
835 Utque est, nomen erit: conmixti corpore tanto

Sub-

SERVII.

833. Do quod vis. Bene praesenti usus est tempore: nam promissio numinis pro facto est.

VARIORUM.

818. Pugnasque. *Pugnas* Dorvill.

819. Tenetur. *Tenentur* Mentelii prior a manu prima.

821. Felicibus. *Infelicibus* Vratislaviensis. mox *component* Parrhas. *leges ad foedera* secundus Rottendorphius.

823. Ne vetus. *Nec* Ed. pr.

824. Neu. *Ne* Parrhas. *nunc* Serv. ad I. 148.

825. Vestis. *Vestem* Mediceus. HEINS. Et ita secundus & tertius Rottendorphius.

828. Occideritque sinas. *Occiderit si das* Mediceus. HEINS. *Sinas cognomine* Bigotianus. *sinas sine nomine* Vratislaviensis. sed vulgata sana est, & ita Commentator Crucquianus Horatii lib. III. Od. 3. Justinus II. 4. *Brevi tempore cum omni Amazonum nomine intercidit.*

830. Et germana. O *germana* Vratislaviensis. & complures codices & Edd. pr. Mediol. Ald. & Juntina. & Servius Fuldens. ad lib. I. 23. *est* Mentelii & Hugenianus. *Saturniaque* idem Mentelius prior a manu prima.

831. Tantos. *Tantum v. s. p. fluctus* Mediceus. *volves* tertius Mentelianus. HEINS. *Volves* Leidensis. *volvit* Serv. ad IV. Aen. 377. *volvens* Ed. Venet. est imitatio Lucretii, qui lib. VI. 33. *Volvere curarum tristes in pectore fluctus.*

833. Et me. *Nam me* alter Hamburgicus. *dic quid vis* Leidensis. *do qua vis* Bigotianus. *do quid & me* Regius.

834. Moresque. *Moresque tenebunt usque: est nomen* Parisinus.

835. Commisti corpore tantum Subsident Teucri. Locus perplexus & intricatus. in principe Vaticano Pierii *commixti sanguine*, in alio *commixto corpore*, quomodo & ego in Montalbanio & Hamburgico priori inveni. in alio itidem ejusdem Pierii *commixti sanguine tanto*, in qua lectione genuinae scripturae vestigium appa-ret. codices nostri plerique manu exarati libris vulgatis subscribunt, nisi quod in priore Menagiano, haud quidem veteri illo, sed tamen laudabili in primis ac sincero, exaratum offendi *commixti corpore tanto*. idque tertius Mentelius confirmat. eleganter profecto, &, si quid video, vere. Adeo non est, cur exemplaria recentioris notae prae vetustis semper negligamus, cum ex antiquissimis nonnumquam emendatissimisque describantur. Apposite omnino Florus de eadem re lib. I. cap. I. *Erat in proximo lucus, hunc Asylum facit: & statim mira vis hominum, Latini Tuscique pastores quidam etiam transmarini Phryges, qui sub Aenea, Arcades qui sub Evandro duce confluxerant. ita ex variis quasi elementis congregavit corpus unum, populumque Romanum ipse fecit.* hoc est ex illo corpore populum Romanum fecit, qui locus viris eruditis non debebat esse suspectus. idem lib. III. cap. 18. de bello Sociali. *Quippe cum Populus Romanus Etruscos, Latinos, Sabinosque miscuerit, & unum ex omnibus sanguinem ducat, corpus fecit ex membris, & ex omnibus unus est. Corpus populi, exercitus, regni, imperii, civitatis* concinne dicuntur, pro universo populo, exercitu, imperio, civitate, quemadmodum & *membra* pro eorum partibus. sic *Christiani corporis collegium* in Carmine D. Paulini ad Cytherium. *corpus scriptoris* pro universo ejus opere. ita capiendum hic loci *corpore tanto*, pro omni gente Ausonia & Latina. Naso lib. II. Trist. ubi de imperio Romano agit:

Denique ut in tanto, quantum non exstitit umquam,
Corpore pars nulla est, quae labet, imperii.

habes ecce & illic *tanto corpore*. etiam apud Lucanum lib. VII. 406. nam locum ejus Poëtae insignem non possum, quin hac occasione emendem, qui corruptus in vulgatis editionibus passim circumfertur.

—— nulloque frequentem
Cive suo Romam, sed mundi faece repletam,
Cladis eo dedimus, ne tanto in corpore bellum

Jam

Subsident Teucri. Morem ritusque sacrorum
Adjiciam, faciamque omnis uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mixtum quod sanguine surget,
Supra homines, supra ire Deos pietate videbis:

840 Nec

SERVII.

836. SUBSIDENT. Remanebunt, [92] latebunt, Latinorum scilicet multitudine, ut v. 498. *Galeaque ima subsedit Acestes.* RITUSQUE SACRORUM ADJICIAM. Verum est: nam sacra Matris Deum Romani Phrygio more coluerunt: [93] [& patrias leges appellatas esse dixit, quae morem sacrorum ritusque continebant, quod licet in VII. dixerit, plenius tamen declarat: *Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt:* nihil est enim *sermo patrius Ausoniusque*, nisi avitus: quippe cum Ausonii antiqui Italiae populi fuisse referantur:] [94] nam *patrium*, quod ait, *morem ritusque sacrorum adjiciam*, ipso titulo legis Papyriae usus est, quam sciebat de ritu sacrorum publicatam, [95] [& quod junxit, *faciamque omnes uno ore Latinos:* sic enim dictae sunt *leges avitae & patriae:* & utramque legem sacrorum complexus est: nam *ritus*, est comprobata in administrandis sacrificiis consuetudo, quam civitas ex alieno adscivit sibi; cum receptum est, mos appellatur. Alii ita definiunt: *ritum* esse, quo sacrificium uti fiat statutum est: aut institutus religiosus, ceremoniis consecratus: isque privatus aut publicus est; publicus ut curiarum, compitorum...]

VARIORUM.

Jam possit civile geri.
ita in quatuor aut quinque pervetustis exemplaribus is locus exarari a me deprehensus est, non ut perperam nunc legitur, *tanto in tempore*, quod ferri vix potest, praesertim cum mox sequatur *tempora signavit.* idem Lucanus lib. x.

Latium sic scindere corpus
Dis placitum est.

apud Claudianum lib. II. in Rufin. exercitus ad Stilichonem,

Non dissociabile corpus
Conjunctumque sumus.

apud Maronem nostrum x. Aeneidos jam habuimus.

Toto certatum est corpore regni.

neque aliter capiendum illud Silii Italici lib. x. de Cannensi praelio,

Neque enim superesse juventam
Ac stare Ausoniae vacuum sine corpore nomen.

ubi juventutem militiae aptam corpus Italiae vocat. Auctor de Viris Illustribus in vita Menenii Agrippae: *Senatus & populus quasi unum corpus discordia pereunt, concordia valent.* Statius Achill. I.

Nunc primum Graecia vires
Contemplata suas, tum sparsa ac dissona moles
In corpus vultumque coit, & rege sub uno
Disposita est.

Solinus Polyhistoris cap. IX. *Qui Edoni olim populi, quaeque Mygdonia erat terra, aut Pierium solum, vel Emathium, nunc omne uniformi vocabulo Macedonica res est, & partitiones quae ante sejugabantur factae sunt corpus unum. regni & imperii corpus* apud Claudianum lib. I. in Eutrop.

Alio Phoebi de cardine surgunt
Crimina, ne toto conspiret corpore regnum.

idem alibi,

Te praeside fas est
Vexatum lateri corpus juvenescere regni.

idem Consulatu Mallii Theodori,

Non te parte sui, sed in omni corpore sumsit
Imperium.

Silius Italicus lib. IV.

Quantum vovisti, cum Dardana bella parenti
Jurares, fluet Ausonio tibi corpore tantum
Sanguinis.

idem lib. XII.

Corpore sic toto, ac membris Roma omnibus usa
Ex-

92 in Menag. pr. erat habit *habitabunt* Montalb. forte *latitabunt.* 93 desunt L. Vos. R. Steph. al. ad ℣. 841. ..... & patritae leges appellatum est dixit *, quae m. s. r. c. q. l. i. VII. d. p. t. declarat. .... i. q. t. nihil e. e. s. p. Ausoniasque n. a. &c. referantur Dan. desunt vero Fabr. ad quod ait &c. publicatam. & inde ad finem desunt. 94 nam patri. .... quod ait. Dan. 95 & q. j. f. omnis in ob. . . eri sic enim d. f. l. a & patritae & utramque &.. sacri ciis. . . . q. civitas &c. uti fiat. . . . tis aut institutus &c. compitorum. . . . Dan.

840 Nec gens ulla tuos aeque celebrabit honores.
Adnuit his Juno, & mentem laetata retorsit.
Interea excedit coelo, nubemque reliquit.
His actis, aliud Genitor secum ipse volutat:
Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.

845 Di-

SERVII.

841. MENTEM LAETATA RETORSIT. Iste quidem hoc dicit; sed constat, bello Punico secundo exoratam Junonem: tertio vero bello a Scipione sacris quibusdam etiam Romam esse translatam.

843. HIS ACTIS. Remoto a Turno auxilio.

844. DIMITTERE AB ARMIS. Per transitum historiae usus est verbis: nam, qui ab exercitu relaxantur, *ab armis* dicuntur *dimitti*. Sallustius [96] (incert. fragm. p.516. ubi vid.) de Appio, ubi eum [97] Cotta in contentione ab exercitu cogit [98] abscedere, dicit: *Se ejus opera non usurum, eumque ab armis dimittit.* [99] [Cicero ad Appium Pulchrum (III. Epist. Fam. 3.) *Sic intellexeram permultos a te milites tunc dimissos.*]

VARIORUM.

Exsangues rursus tollebat ad aethera vultus.
ubi *membra* etiam eleganter habes. quomodo & apud Manilium lib. IV.

Adde etiam vires Italas, Romamque suismet
Pugnantem membris.

sed de ea locutione alibi. iterum Florus lib. IV. cap. 3. *Ad Octavianum Caesarem Augustum summa rerum rediit, qui sapientia sua atque sollertia, perculsum undique & perturbatum ordinavit imperii corpus. Quod ita haud dubie numquam coire & consentire potuisset, nisi unius praesidis nutu, quasi anima & mente regeretur.* mox, *in Romanae dominationis, id est humani generis conversione, penitus intremuit, omnique genere discriminum, civilibus, terrestribus ac navalibus bellis omne imperii corpus agitatum est.* Corippus Africanus.

Romanum imperium corpus bene pono[?] unum
Compositum multis, quod fas est dicere, membris.

plura ad rem facitura apud eumdem paulo post subsequuntur. Guntherus Ligurini libro I. qui scriptor veteres elegantias non raro adscivit,

Concilium procerum toto de corpore regni
Convocat.

lib. VI.

Neve quis ad nostram, toto de corpore regni,
Audeat ulla sui deferre negotia, sedem.
Cum tamen insolitis sedes Romana procellis
Concutitur, capiti totius corporis anger
Concutitur.

In marmoribus antiquis passim per Italiam est observare, *corpus Fabrum ferrariorum, tignariorum, dendrophororum, tibicinum & fidicinum, naviculariorum, pistorum, equitum.* & similia. quomodo *corpus Senatus* Lucano lib. VII.

Videor fluvios spectare cruoris
Calcatosque simul reges, sparsumque Senatus
Corpus.

sic & *corpus Homeri* pro Homeri Poëmatis, Auson. Epist.

Quique sacri lacerum collegit corpus Homeri.

Ulpianus leg LII. de Legat. III. *Si Homeri corpus legatum sit, & non sit plenum, quantaecumque partes hodie invenientur, dabuntur.* sic Longino περὶ ὕψους, σωμάτιον Ἰλιάδος καὶ σωμάτιον Ὀδυσσείας. Hesych. Ἡ Ἰλιὰς Ὁμήρου σωμάτιον. Marius Victorinus lib. I. Rhetor. *Homerus in duobus corpusculis Iliados & Odysseae.* Justinus in Praefat. *breve veluti florum corpusculum feci. corpus Epistolarum Paulli* D. Paullino Carmine ad Cytherium: *Sed in suarum literarum corpore Paullus Magister adfuit.* Naso II. Trist. ad Augustum, de Aeneide Virgilii:

Nec legitur pars ulla magis de corpore toto,
Quam non legitimo foedere junctus Hymen.

III. Trist. eleg. ult.

Immo ita fac, quaeso, vatum studiose novorum
Quaque licet retine corpus in urbe meum.

ita optimae membranae, non *nomen meum*, quod est in vulgatis libris. *corpus meum*, scripta mea. Ipsum argumentum ejus elegiae satis superque veritatem scripturae, quam proferimus, adstruit, quo docet scripta sua omnia ab amico isto studiose con-

96 de opio R. de oppido Vos. 97 tota in concione Steph. al. cocta R. cotta in contentione L. 98 discedere Steph. al. 99 desunt L. Vos. R. Steph. Dan. Fabr. al. & pekio unde Malvic. hoc sumlerat.

845 Dicuntur geminae pestes, cognomine Dirae,
Quas & Tartaream Nox intempesta Megaeram
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hae Jovis ad solium, saevique in limine regis

850 Ad-

SERVII.

845. PESTES, COGNOMINE DIRAE. Proprie *Pestes* vocantur; *Dirae* vero, *cognomine*. Et dictae *Dirae*, quod non nisi ante iratum Jovem videntur, ut inf. 849. *Saevique in limine regis Apparent Dirae.*

846. TARTAREAM MEGAERAM. Bene TARTAREAM addidit, ut ostendat esse & *terrenam* & *aëream Megaeram*: nam, ut etiam in tertio 209. & IV. 609. diximus, volunt periti, quandam potestatem triplicem esse, & in terris, & apud Superos, sicut est Furiarum apud Inferos. Ideo autem dicit, has ex Nocte progenitas, ut ostendat, & latenter oriri, & intolerabilem esse iram Deorum. [1] [NOX INTEMPESTA. Perpetuum noctis epitheton. Alio modo dicimus *intempestam*, partem noctis significantes.]

847. UNO, EODEMQUE TULIT PARTU. Dispositio haec Poëtae, quae dicit has & similes esse Furiis, & cum his esse procreatas, hoc agit, ut ostendat, illam prudentium [2] opinione esse tam apud Superos, quam in terris, sicut apud Inferos [3] Furias.

849. [4] [SAEVI REGIS. Epitheton est accommodatum ei, cum saevit: neque enim est *Juppiter* semper *saevus*.]

VARIORUM.

conquiri colligique. Pari prorsus quoque modo Senecae illa Epist. XLVI. ut quidem in membranis exaratum occurrit, interpretabatur Salmasius. agit autem de libro: *Brevis mihi visus est, cum esset nec mei, nec tui corporis, sed qui primo adspectu aut T. Livii, aut Epicuri posset videri. mei corporis*, meorum scriptorum. perperam Lipsius *mei temporis*. aliter tamen locum intelligendum esse monuit illic Gronovius. Neque aliter Graeci, ut ex Longino jam demonstrabam. Glossae veteres, *σωμάτιον*, *membrana*. sic *membrana* pro codice membranaceo apud Martialem. Cicero ad Atticum, ubi agit de Orationibus suis: *Hoc totum σῶμα curabo uti habeas. corpus orationis* apud Petronium, & Symmachum lib. IV. Epist. 29. *corpus Historiarum* Frontin. Praefat. Strateg. Plinius lib. II. Epistol. 9 *Enotuerunt quidam tui versus, & invito te claustra sua refregerunt: hos nisi retrahis in corpus, quandoque, ut errones, aliquem, cujus dicantur, invenient.* sic locus ille ex membranis legendus. *corpus nummorum* Alexandro Severo Leg. I. Cod. Just. de Noxal. Actionibus: *Si exstat corpus nummorum, quos ablatos ex patris tui haereditate allegas.* apud scriptores antiquos de limitibus agrorum non uno loco *corpus agri* opponitur agri partibus. *corpus census* Juvenali Sat. XVI.

Nam quae sunt parta labore
Militiae placuit non esse in corpore census.

mundi corpus apud Alcimum Avitum lib. V. Poëmatum, ubi Deus de Hebraeis:

Plebs mea, quam toto mundi de corpore sumtam
Elegi, & propria solam mihi sorte dicavi.

Vegetius lib. II. de Re Mil. cap. 21. *in legionibus decem cohortes ita sunt ordinatae, ut omnium unum corpus, una videatur esse conjunctio.* Apud Plutarchum in Pelopida p. 288. Iphicratis vide Apophthegma, quo exercitum corpori humano comparat. sic *tertium corpus Reipubl. Romanae* Equites dicuntur Plinio lib. XXXIII. cap. 3. elegantissime Polybio τὰ ἔθνη σωματοποιῆσαι dicuntur, quando diversi populi in unum corpus commiscentur, ut Maroniano loquendi modo utar. *corporari* dixit Apulejus de Mundo: *Quibus illud simile satisfaciet, cum in urbe ex diversis corporata rerum inaequalium multitudo concordat.* Hinc & *συσσωματοποιεῖν concorporo*. locum Polybii, qui Virgiliani loci restitutionem egregie illustrat, observavit vir summus Gul. Budaeus commentario Linguae Graecae. Idem ex praefatione Pandectarum profert δι᾽ ὧν πάσας ἡμῖν τὰς τῶν νόμων πραγματείας σωματοποιησάμενος ἐν τευχίοις ἓξ συγκεφαλαιωσάμενον. quomodo *corpus Juris* volumen istud etiamnum dicitur. Nonnulla hujus notae jam congesserat ad Historiam Augustam & ad Solinum Sal-

1 desunt L. Vos. R. Steph. al. 2 opinionem L. Vos. R. 3 deest L. R. 4 desunt L. R. Vos. R. Steph. al.

850 Adparent, acuuntque metum mortalibus aegris,
Si quando letum horrificum morbosque Deûm rex
Molitur; meritas aut bello territat urbis.
Harum unam celerem demisit ab aethere summo
Juppiter, inque omen Juturnae occurrere jussit.
855 Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non secus, ac nervo per nubem inpulsa sagitta;

Ar-

SERVII.

850. APPARENT. [5] Videntur, praesto sunt ad obsequium: unde etiam *apparitores* constat esse nominatos.

851. LETHUM HORRIFICUM. Volunt Jovem non esse mortis auctorem; sed posse mortis genere, vel prodesse, vel obesse mortalibus.

854. INQUE OMEN JUTURNAE OCCURRERE JUSSIT. Ut Juturnae omen fraternae mortis efficeret.

856. NON SECUS, AC NERVO PER NUBEM IMPULSA SAGITTA. Sic illa descendit, ut solet sagitta [6] descendere. Hinc Statius traxit, ut diceret de disco jacto VI. 682. *Similisque cadenti Crescit in adversos.* *Impulsa* autem; proprie, sicut supra 320. *Incertum, qua pulsa manu.*

VARIORUM.

Salmasius, qui in Mathematicis Julii Firmici ex vetustis membranis lib. IV. cap. 14. reponit, *quae omnia licet in hoc corpore sparsim dicta sint*, cum *in hoc opere* codices vulgati exhibeant. & in Praefatione Solini, *corpusculum sententia mea digestum, ut nosceres, misi.* pro quo itidem *opusculum* circumferebatur. Suetonius de claris Grammaticis vita Aurelii Opilii: *Composuit variae eruditionis aliquot volumina, ex quibus novem unius corporis, ex numero Musarum, & appellatione.* Atque haec uberius fortasse, quam necesse erat, ut usum tralatitium assereremus τῶ *corpus. magno corpore misceri* lib. VI. Aen. habes, quomodo hic *tanto corpore.*

Lucentemque globum lunae, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totosque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

& II. Georg.

—— Omnes
Magnus alit magno commixtus corpore foetus.

Denique *tanto corpore*, licet alia significatione, Silius lib. VI. de serpente per Regulum interfecto,

Mea tanto in corpore monstri
Hasta secunda fuit.

HEINS. Catroeus *corpore* de coitu accipit. Servius ad I. Aen. 249. *commixti corpore tantum. commixto corp.* Parrhas. *tantum* Dorvill.

836. SACRORUM. *Sacrorumque* Bigotianus.

838 SURGET. *Surgit* Hugenianus. *ultra homines* alter Hamburgicus a manu prima. *jubebis* Leidensis. *mixtum cum sang.* Parrhas.

842. RELIQUIT. *Relinquit* Mediceus. HEINS. Et ita Zulichemius & plerique alii & Paris. Edd. pr. & Mediol.

843. SECUM IPSE. *Secumque volutat* Dorvill.

844. FRATRIS. *Fratri* Hugenianus. *demittere* Sprotianus, alter Hamburgicus, Leidensis & Hugenianus.

847. UNO. *Unum* Leid. *reduxit* Hugenianus.

849. SAEVIQUE. *Saevoque* Leidensis & Paris. *ad limina* alter Menagii & Oudartii & Parrhas.

Ibid. IN LIMINE. *Ad limina* Parrhas. *hae Jovi* Ed. Mediol. al. *haec.*

852. MERITAS. *Meritasque* Paris. *ac bello* Gudianus.

853. DEMISIT. Ita fere omnes. *summo demisit Olympo* prior Hamburgicus. *dimittit* primus Moreti.

856. Ac

[5] deest Basil. [6] conscendere L. R. Vos. quod rectum puto, & convenire Statii loco, in quo hodie legitur, *crescit in adversum.* & Servius laudavit ad VIII. 91. & Barthius ad alia verba voluit *ascendere* vel *escendere* reponi. BURM.

Armatam saevi Parthus quam felle veneni,
Parthus, sive Cydon, telum inmedicabile torsit;
Stridens, & celeris incognita transilit umbras.
860 Talis se sata Nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas atque agmina Turni;
Alitis in parvae subitam conlecta figuram,

Quae

SERVII.

857. FELLE VENENI. Amaritudine veneni, succo noxio: aut certe periphrasticws dixit venenum: [7] [Parthi enim sagittas veneno oblinunt. Lucanus VIII. 303. *Spicula nec solo spargunt fidentia ferro Stridula; sed multo saturantur tela veneno.*

858. TELUM IMMEDICABILE. *Immedicabile* est, cujus vulneri mederi non possit.

859. CELERES. Hypallage est, pro celeriter; & ita celeriter, ut transiliat priusquam exeat.] TRANSILIT UMBRAS, Hyperbole est: namque [8] umbra semper tela comitatur. Hinc ait: *Transilit umbras sagitta.* Male enim quidam *auras* legunt.

860. TALIS SE. Taliter collecta: ex nimia scilicet Furiae magnitudine.

VARIORUM.

856. AC NERVO. *A nervo* Excerpta nostra. *a verno* Montalbanius. *armatus* Sprotianus a m. sec. *f. quam Parthus* Parthas.

858. PARTHUS. *Arcu*, vel *Partho* Waddel. Animad. Critic. p. 39.

Ibid. SIVE. *Seu Cydon* Oudartii. *medicabile* idem.

860. TALIS. *Talem* H. Steph. Diss. de Critic. p. 81.

861. ACIES VIDET ILIACAS. Cum jam ex aethere ac nubibus eas Furiam vidisse fiat verisimile, parum abest, quin subscribam primo Moretano, qui *Postquam acies venit Iliacas*, sine praepositione. quomodo initio libri primi *Italiam, Lavinia venit litora.* consulantur, quae adnotamus lib. II. Aeneid. 771. sic lib. IV. *Speluncam Dido dux & Trojanus eandem deveniunt.* lib. VI. *Devenere locos laetos & amoena vireta.* HEINS.

862. IN PARVAE. *Pravae* Waddel. Anim. Critic. p. 40.

Ibid. SUBITO COLLECTA FIGURAM. *Subitam figuram* Mentelius, quod & in Pierianis vetustioribus exstabat. Mediceus *subitam conversa figuram.* sed cave τὸ *collecta* mutaris, est enim verbum appositum & proprium huic loco. supra hoc libro,

Substitit Aeneas, & se collegit in arma.

lib. X.

Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.

Silius lib. X. 138.

Consumit clypeo tela, & collectus in arma
Sustinet ingentes crepitantibus ictibus hastas.

Dictys Cretensis lib. III. *Patroclus amplius audendum ratus, collegit se in arma.* sic & alibi eo verbo utitur Maro pro *contrahere*. in Georgicis,

Neque tanto
Squameus in spiras tractu se colligit anguis.

Festus Avienus descr. Orb. *Sic spiras creber sinuat draco, seque vel orbe Colligit inclinans.* apud Paullinum v. Natali Felicis,

Inque globum tenuem nubes collecta.

pro contracta. Dionysius Exiguus Vita B. Pachomii: *Consueverat autem stans in oratione manus expandere, quas per aliquot horarum spatia minime colligebat.* Propertius lib. III. Eleg. 9.

Parcis & in tenues humilem te colligis umbras,
Velorum & plenos subtrahis ipse sinus.

Lactantius de Phoenice,

Creverat immensum subito cum corpore certo,
Sese ovi teretis colligit in speciem.

Statius Epicedio Pileti,

Et castigatae collecta modestia frontis.

lib.

7 desunt L. Vos. R. Steph. ad transilit ℣. 859. sed Basil. a ℣. 858. deficit in Ms. post venenum legitur, ut BINNPAKEIN, vel BINNEAKEIN in Voss. quae corrupta sunt, ut semper Graeca. 8 umbras s. t. comitantur Steph. Dan. umbrae s. t. comitantur Fabr. al.

Quae quondam in bustis, aut culminibus desertis
Nocte sedens, serum canit inportuna per umbras:
865 Hanc versa in faciem, Turni se pestis ob ora
Fertque refertque sonans, clipeumque everberat alis.

Illi

SERVII.

863. CULMINIBUS DESERTIS. Noctuam dicit; non bubonem: nam ait: *Alitis in parvae:* bubo autem major est.

864. SERUM CANIT. Triste, luctiferum, ut v. 524. *Seraque terrifici cecinerunt omina vates.* Sallustius: *Serum bellum in angustiis futurum.*

866. CLYPEUM EVERBERAT ALIS. Signa sunt ista plangentium.

VARIORUM.

lib. v. Theb. de serpente,

Viridi niger accubat bestis
Collectus gyro.

Theb. VI. 680.

Collecto sanguine discum
Ipse super sese rotat.

VIII. Theb. de Luna,

Seseque vagantem
Colligit, & moto leviter fugat astra flagello.

lib. XI.

—— sed ferri frigore primo
Territus in clypeum turbatos colligit artus.

Silius lib. VII.

Cernis ut armata circumfundare corona,
Et vallet clauso collectus miles in orbe.

ita scribendi sunt hi versus. lib. x.

Cum Poenus propere collecto corpore, quamquam
Cernuus inflexo sonipes effuderat armo.

Ausonius in Gratiarum actione: *sed neque ille concinnius eloquetur, qui se Laconica brevitate colligit.* Silius lib. v.

Cui territa pennas
Colligit, accipitrem cernens in nube columba.

apud Lucan. lib. III.

Tum vulnere multo
Effugientem animam lassos collegit in artus.

& Valerius Flaccus non semel hoc verbo ita utitur. Theocritus Hercule λεοντοφόνῳ,

Ὥς ἐπ' ἐμοὶ λὶς αἰνὸς ἀπόπροθεν ἀθρόος ἆλτο.

Sic in me leo saevus collectus prosiliit.

nempe in formam arcus, quod praecessit. sic omnino vertendum. Plinius lib. x. cap. 17. de noctuis: *Majore circumdatae multitudine, resupinae pedibus repugnant, collectaeque in arctum, rostro & unguibus totae teguntur.* lib. XIV. 1. *Stat provinciarum aliquarum per se vitis sine ullo pedamento, artus suos in se colligens, & brevitate crassitudinem pascens.* Avienus fab. XXXVII.

Protinus ille gravem gemitu collectus in iram.

quod *colligere iram* Lucan. lib. I. 207. & II. 93. & Silius lib. IX. 478. apud quem videndum quid sibi velit *colligere hostem* lib. x. 3

Adsilit in ferrum, & per vulnera colligit hostem.

sic *colligere gradum*, vel *gressum* apud eumdem bis terve, cui contrarium *addere gradum*, de quo I. Georg. Claudianus Bell. Gildon. 467.

Fulvusque tonantis
Armiger ad liquidam cunctis spectantibus aethram
Collectam pedibus curvis innexuit hydram.

ita scripti nonnulli, non *correptum*. Calpur. Flac. Decl. II. *Illic effusiora corpora, illic collectiora nascuntur.* Apulej. Apolog. *Atqui ego contra, qualiacumque tibi haec videntur, multa etiam nimia arbitror, & cupio me ad pauca coërcere, tanto brevior futurus, quanto collectior.* Nemesian. Cyneg. de cane,

Quae sensim sicca rursus se colligit alvo.

Colligere in nodum Claudianus de Piis fratribus,

Ast illi duplices in nodum colligit ulnas.

Ovid. Met. III. *capillos Colligit in nodum, quamvis erat ipsa solutis.* Claudianus lib I. de Raptu, *quem Parthica velat Tigris, & auratos in nodum colligit ungues.* Statius Theb. IX.

Ipse bis Oebalio saturatam murice pallam
Lucentesque auro tunicas (hoc neverat unum
Mater opus) tenui collectus in ilia vinclo.

& Achill. I.

Errantesque sinus hedera collegit.

Virgilius I. Aeneid.

Nuda genu, nodoque sinus collecta fluentes.

Valerius Flaccus lib. I.

At tibi collectas solvit jam fibula vestes.

HEINS. *Subitam figuram* fere omnes. *in pravae* Parrhas.

863. QUONDAM IN BUSTIS. *Quondam bustis & culminibus* apud Marium Plotium de metris legitur. HEINS. *Aut cumulantibus aris* Bigotianus. *aut culminibusque* Venetus.

864. UMBRAS. *Umbram* Menagii prior.

865. VER-

Illi membra novus ſolvit formidine torpor:
Adrectaeque horrore comae, & vox faucibus haeſit.
At, procul ut Dirae ſtridorem adgnovit & alas,
870 Infelix crinis ſcindit Juturna ſolutos,
Unguibus ora ſoror foedans, & pectora pugnis;

Quid

SERVII.

869. STRIDOREM. Vocis ſcilicet ſonum: nam utrumque tangit augurium, & oſcinum & praepetum: quod graviter poſſet obeſſe Trojanis. Sic Homerus inducit Calchanta Iliad. B. 315. [9] Μήτηρ δ' ἀμφεποτᾶτο ὀδυρομένη φίλα τέκνα, Τὴν δ' ἐλελιξάμενος πτέρυγος λάβεν ἀμφιαχυῖαν.]

870. [10] [CRINES SCINDIT SOLUTOS. Aut ſolvit & ſcindit: aut *ſolutos*, non propter fratris exitium ſed q . . . *

VARIORUM.

865. VERSA. *Verſam in faciem* Mediceus a manu ſecunda. ſed perperam. HEINS. *Verſam* etiam Leidenſis.

Ibid. AD ORA. *In ora* Mediceus, non male. ſed genuinum eſſe cenſeo Maronis, quod in principe Vaticano Pierii exſtat, *ob ora.* idque praeſtantiſſimus Moreti codex primae notae confirmat. Notum illud veteris Poëtae apud Ciceronem in Epiſtolis: *Quem adſpectabant, cujus ob os Graji ora obvertebant ſua.* Idem Tullius de univerſitate cap. XIV. *ob os effuſus ignis.* ubi *offuſus* vel *ſuffuſus* malim, de quo verbo ad Valerium Flaccum egimus. Plautus Milite Glorioſo,

Experior ob os caliginem prius mihi obtigiſſe.

Silius Italicus lib. XVII. 477. de fulmine,

Ipſaque ob ora
Lux atrox micat, &c.

ita videtur corrigendum. nam in duobus ſcriptis codicibus *ab ora*, non *oborta.* Prudentius Paſſione Romani,

Adſtanti ob ora ſic Tyrannus incipit.

idem contra Symmachum,

Fumus ob ora
Suffuſus rutilum frontis diadema retundit.

ita & *ob oculos* Plauto, Terentio, Ciceroni, & aliis caſtae Latinitatis ſcriptoribus frequenti eſt in uſu. Apulejus veterum elegantiarum apprime ſtudioſus lib. II. Metam. *Propheta herbulam quampiam ter ob os corporis, ter pectori imponit.* lib. V. *Beſtiis occurrentibus ob os introëuntium.* lib. VI. *Ob os puellae praevolans aquila.* lib. XI. *Confeſtim reſtitit ſacerdos, & ob os coronam mihi exhibuit.* Avienus Phaenomenis de Auriga,

Pronus procul in geminorum
Prona jacet, fuſoque ſuper ſe corpore tendit
Plurimus, atque Helices caput inclinatur ob ora.

ſic ſcribe. vulgati *ab ore.* unde male vir magnus, *adque Helices caput inclinatur ab ore.* nam apud Aratum eſt,

Αὐτὸν μὲν μιν ἅπαντα μέγαν Διδύμων ἐπὶ λαιὰ
Κεκλιμένον δήεις. Ἑλίκης δέ οἱ ἄκρα κάρηνα
Ἀντία δινεῖται.

Naſo lib. VIII. Met. *nam quo deſerta revertar*
In patriam? ſuperata jacet. ſed finge manere.
Proditione mea clauſa eſt mihi. patris ob ora?
Quae tibi donavi.

ita is locus in compluribus pervetuſtis exemplaribus ſcribitur, quod curas meas in Naſonem priores fugerat. vulgati codices *ad ora* illic quoque exhibent. Feſtus, *Ob os ſignificat ad os.* idem pluribus evincit eam vocem priſcae Latinitatis ſcriptoribus fuiſſe in deliciis. Ne dubitari poſſit de reſtitutione loci hujus Maroniani, Arulianum Meſſium audiamus: *Ob ora* Virgil. Aen. XII. *Turni ſe peſtis ob ora fertque refertque.* Ovidius in Ibin, de Furiis,

Verbera torta dabunt ſonitum, nexaeque colubris
Conſcia fumabunt ſemper ad ora faces.

Lege *ob ora.* & ſic Seneca Herc. Fur. caſtigandus, *at illi trabes luxere ob ora.* ſic ſcribendum. Plautus Moſt. III. I. *jube objici argentum huic ob os impurae belluae.* Apulej. Apolog. *quae tibi ob os objiciuntur tabulae.* HEINS. *Ob ora* etiam Leidenſis. & ita citat Serv. ad I. Aen. 233.

866. SONANS. *Volans* prior Hamburgicus.

Ibid. EVERBERAT. *Reverberat* Parrhaſ. Ed. pr.

867. ILLI. *Olli* Bigotianus. HEINS. *Novos* Mediceus, Mentelius prior a manu prima. *ſolvat* alter Menagii. vel *ſubito* prior Hamburgicus.

868. HOR-

9 deſunt L. Voſ. R. Steph. 10 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. ſolvit & ſcindit Fabr. & nihil praeterea.

Quid nunc te tua, Turne, poteſt germana juvare?
Aut quid jam durae ſuperat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' poſſum me opponere monſtro?
875 Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem,
Obſcoenae volucres: alarum verbera noſco,
Letalemque ſonum. Nec fallunt juſſa ſuperba
Magnanimi Jovis. Haec pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit aeternam? cur mortis ademta eſt
880 Conditio? poſſem tantos finire dolores
Nunc certe, & miſero fratri comes ire per umbras.
Inmortalis ego? aut quidquam mihi dulce meorum
Te ſine, frater, erit? O quae ſatis alta dehiſcat

Ter-

SERVII.

872. QUID NUNC. Decenter inducit loqui coepiſſe.]

873. [11] DURAE. Immiti, quae poſſet fratrem cernere tot laboribus ſubditum. SUPERAT. Supereſt.

874. MONSTRO. Augurio ex Jovis voluntate venienti. OBSCOENAE VOLUCRES. Invidioſe dixit: nam una eſt.

879. QUO VITAM DEDIT AETERNAM. Quia occurrebat: Sed praeſtitit immortalitatem, dicit [12] hanc aeternam eſſe cauſſam doloris.

882. [13] [IMMORTALIS. Per indignationem dictum eſt: *Immortalis ego*, quam maxime ſcilicet. c . . . . *]

VARIORUM.

868. HORRORE. *Errore* prior Hamburgenſis. *haeret* idem a manu ſecunda.

870. SCINDIT. *Solvit* Dorvil.

873. QUID JAM MISERAE. Contra fidem omnium, quae ego vidi, exemplarium, apparet ex Servii enarratione legendum eſſe *dirae* non *miſerae*. tu tamen videris an de altero *omine* intelligendum ſit. ſi ad Furiam referendum, poſſet & legi *durae*, quod mihi magis arridet. MUSON. Vetuſtum *durae ſuperat mihi*, cum quo conſentit Servii interpretatio. FABRIC. *Durae ſuperat mihi* vetuſtiores noſtri & Pieriani. optime. *durae mihi*, quae opem tibi non feram, aut quae ſpectare poſſim te pereuntem. non intellexit vim vocis ejus Pierius. ſic apud Statium lib. XII. Theb. Argia ad Polynicem maritum occiſum,

Et nunc me duram (ſi quis tibi ſenſus) ad umbras
Me tardam quereris, Stygiis fidiſſime Divis.

duram & tardam, quae tibi juſta necdum perſolverim. HEINS. *Durae* fere omnes ſcripti.

874. MORER. *Moror* ſecundus Rottendorphius. *tali non poſſum me opponere* Leidenſis, Bigotianus & Hugenianus. *me* deeſt Leidenſi alii. *tali me poſſum* Zulichemius.

875. JAM JAM. *Nam jam* Leidenſis. *trementem* Oudartii.

876. ALARUM. Lapſus eſt memoria Scholiaſtes Horatii Crucquianus, qui lib. I. Od. 2. citat *dirarum verbera*. HEINS.

877. FALLUNT. *Fallant* Zulichemius a manu prima. *magnanima* Gudianus. *hoc pro* Venetus & ſecundus Moreti.

878. HAEC. *Hoc* Parrhaſ.

879. QUO VITAM. *Quid vitam* alter Hamburgicus. *cui mortis* Oudartii a manu ſecunda.

880. POSSEM. *Poſſim* Mediceus. HEINS. *Ut poſſem*

11 Dan. duas ad hanc vocem edidit notas, & hic MISERAE SUPERAT. durae, immiti ſupereſt. 12 hanc aeternitatem Fabr. 13 deſunt L. Voſſ. R. Steph. al. ſed Fabr. habet, per indignationem dictum eſt.

Terra mihi, manifque Deam demittat ad imos?
885 Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, & fe fluvio Dea condidit alto.
Aeneas inftat contra, telumque corufcat
Ingens arboreum, & faevo fic pectore fatur:
Quae nunc deinde mora eft? aut quid jam, Turne, retractas?
890 Non curfu, faevis certandum eft comminus armis.
Verte omnis tete in facies; & contrahe, quidquid
Sive animis, five arte vales: opta ardua pennis
Aftra fequi, claufumque cava te condere terra.
Ille caput quaffans, Non me tua fervida terrent
895 Dicta, ferox. DI me terrent, & Juppiter hoftis.

Nec

SERVII.

885. GLAUCO AMICTU. Quafi Nympha, propter undarum fimilitudinem.

888. INGENS ARBOREUM. [14] [Quidam pro ligneo accipiunt; ut hoc loco] non fint duo epitheta; fed, Aeneas [15] ingens, telum corufcat arboreum.

890. [16] [SAEVIS CERTANDUM COMINUS ARMIS. Sed hoc ideo dicit: quia vulnere tardus magis comminus pugnare defiderat.

891. TETE IN FACIES. Te ipfum: & proverbialiter dictum.] CONTRAHE. Collige; eft autem hoftilis iracundia.

892. [17] [ANIMIS. Id eft, viribus: aut enim animo, aut corpore, aut precibus & voce poffumus, quidquid poffumus: & hoc ideo: quia feptus erat undique, & non habebat effugium.]

894. CAPUT QUASSANS. Concutiens, ut VII. 292. *Tunc quaffans caput.*

895. ET JUPPITER HOSTIS. Ordo eft: ferox hoftis.

VARIORUM.

poffem Leidenfis & Zulichemius. *labores* prior Hamburgicus & Excerpta noftra, cum fecundo Moreti.

881. PER UMBRAS. *Sub umbras* prior Hamburgicus, duo Rottendorphii, Venetus, & Gudianus pro varia lectione.

882. IMMORTALIS EGO? AUT QUIDQUAM. In multis codicibus *Jam mortalis ego. haud quicquam.* fed vide, quae pro vulgata fcriptura diximus lib. XI. 393. quam & Macrobius eft fecutus lib. IV. Saturn. cap. 4. *Haud quicquam* Prifcianus tamen agnofcit lib. XIV. HEINS. *Jam mortalis* Dorvill. Regius. *jam mortalis ego: haud* Ed. Venet. & Med. nifi quod *haud mihi quidquam.*

883. SATIS IMA. *Satis alta* cum praeftantioribus omnino fcribendum. nam *imi manes* proxime fubfequuntur. *tellure fub alta* alibi. HEINS. *Quae fatis* Leidenfis. *quam* Gudianus a manu prima. *quo* Leidenfis alius. *fatis una* Venetus.

884. DEMITTAT. *Dimittat* duo Moretani, Mentelius prior, Menagius & Rottendorphius fecundus, Venetus, Leidenfis, Bigotianus, Zulichemius, & Dorvill.

885. CONTEXIT. *Detexit* Zulichemius. an *praetexit?* mox *& fluvio fe condit in alto* Leidenfis & Regius.

888. INGENS. *Gemens* Mediceus.

889. QUID. *Qui* Leidenfis. *relaxas* Bigotianus.

891. ET CONTRAHE. Copula deeft Dorvil.

892. ANI-

14 defunt L. Voff. R. Steph. al. Quidam p. l. accipiunt, ut ho. . . . non Dan. 15 Nympha Steph. vitiofe. 16 defunt L. Vof. R. Steph. al. 17 defunt iisdem.

Nec plura effatus, ſaxum circumſpicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat,
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
900 Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hoſtem:
Altior inſurgens, & curſu concitus heros.
Sed neque currentem ſe, nec cognoſcit euntem,
Tollentemve manu, ſaxumque inmane moventem.
905 Genua labant: gelidus concrevit frigore ſanguis.
Tum lapis ipſe viri, vacuum per inane volutus,
Nec ſpatium evaſit totum, nec pertulit ictum.

Ac

SERVII.

896. SAXUM CIRCUMSPICIT. Homeri totus hic locus eſt Iliad. H. 264.

Ἀλλ' ἀναχασσάμενος λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ
Κείμενον ἐν πεδίῳ μέλανα τρηχύντε, μέγαντε.

Et Iliad. M. 445.

Ἕκτωρ δ' ἁρπάξας λᾶαν φέρεν, ὅς ῥα πυλάων
Ἑστήκει πρόσθεν.

897. CAMPO QUOD FORTE JACEBAT, LIMES AGRO POSITUS. Secundum artem [18] propiori reſpondet. Sic Salluſtius Catil. LV. *Eſt in carcere, quod Tullianum appellatur.*

902. MANU RAPTUM TREPIDA. Aut feſtina: aut re vera *trepida:* quia ſequitur: *Sed neque currentem, nec ſe cognoſcit euntem.* TORQUEBAT. Bene imperfecto uſus eſt tempore: quia non eſt perfectum, quod voluit, ut: *Nec ſpatium evaſit totum, nec pertulit ictum.*

906. [19] [VIRI. Mire *viri* addidit, quaſi propter rationem ejus, qui languide jecerat, & ipſe lapis ſine effectu fuerit: ut ſi dixiſſet, talis eſt vir, qualem deſcripſi.]

907. NEC SPATIUM EVASIT. Hic diſtinguendum eſt, ut ſit: *Totum nec pertulit ictum:* id eſt, evacuatus eſt impetus ipſius ſpatio longiore.

VARIORUM.

892. ANIMIS. *Armis* Venetus. *animis aut arte* Ed. pr. *pinnis* Editio Juntina. *pugnis* alter Hamburgenſis. *apta ardua* Gudianus a manu ſecunda. mox *te credere* Oudartii. *clauſumve* Menagii prior.

894. CAPUT QUASSANS. Vid. Eryth. Ind. & Barth. ad Stat. v. Theb. 642.

896. EFFATUS. *Effatur* Dorvil.

897. SAXUM. Deeſt hic verſus Parrhaſ.

Ibid. QUI FORTE JACEBAT. *Quod* Mediceus a ſecunda manu & Mentelianus, & caeteri plerique ex vetuſtioribus, aſſentiente etiam Servio, quod mihi quoque eſt viſum concinnius. quamquam dici potuit, ut Salluſtianum illud, *eſt locus in carcere, quod Tullianum appellant.* ubi *quod* ad *Tullianum* refertur. deinde pro *vix illud* idem Mediceus *vix illum.* HEINS. *Poſitum* Parrhaſ.

898. AGRO. *Agri* nonnulli, & Ed. pr. *agros* Leidenſis. Barth. ad Statii II. Theb. 700. ex membranis *agris* profert, nec convenire caſtigationi Virgilianae *campo* & *agro* in eadem re. & hoc probat Brouckh. ad Tibul. I. III. 44. *diſcerneret arvi* Hugenianus. *decerneret* duo Moretani.

899. SUBIRENT. *Levarent* Leidenſes. *vix illum* Mediceus & Venetus.

903. NEQUE CURRENTEM. *Nec* Dorvil.

904. TOL-

18 proprio L. Voſ. R. proprie Dan. propiori nuſquam reperi, ſed tamen veram eſſe puto lectionem. 19 deſunt L. Voſ. R. Steph. al. mire vero addidit Dan. Fabr.

Ac velut in somnis, oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere cursus
910 Velle videmur, & in mediis conatibus aegri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires, nec vox aut verba sequuntur:
Sic Turno, quacumque viam virtute petivit,
Successum Dea dira negat. Tum pectore sensus
915 Vertuntur varii. Rutulos adspectat & urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit.
Nec quo se eripiat, nec qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt, aurigamve sororem.

Cun-

SERVII.

908. [20] AC VELUT IN SOMNIS. Homeri comparatio Iliad. X. 199.

> Ὡς δ᾽ ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν·
> Οὔτ᾽ ἄρ᾽ ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ᾽ ὁ διώκειν.
> Ὣς ὁ τὸν οὐ δύνατο μάρψαι ποσὶν οὐδ᾽ ὃς ἀλύξαι.

917. NEC QUO SE ERIPIAT. Totum enim Trojani clauserant.

VARIORUM.

904. TOLLENTEMVE MANU, SAXUMQUE. Mediceus liber,

> *Tollentemque manus saxumve immane moventem.*

HEINS. *Tollentemque manum* secundus Moretanus. quod tuetur Barth. ad Stat. II. Theb 670. *Tollentemque* etiam Zulichemius & complures alii. *saxumve* Dorvill.

905. CONCREVIT. *Concurrit* alter Hamburgicus a manu prima.

906. LAPIS IPSE VIRI. Barth. ad Stat. VI. Theb. 938. distinguebat,

> *Tum lapis ipse, viri vacuum, per inane volutus, &c.*

& nulli intellecta verba ait, & explicat *inane vacuum viri*, cui vires eae non erant, ut per inane vacuum illud lapidem projiceret ad destinatum locum. in Mss. esse *viri vacuus*, addit.

Ibid. VIRI. An *viae?* viae spatium non evasit. vacuum *inane* dixit etiam Lucret. I. 510. de suo *inani* agens.

907. NEC PERTULIT. *Neque* Mediceus & Menagianus. HEINS. Et Parrhas. *evasit*, *totum n. p. ictum* Gudian. Menag. & Rottendorph. secundi.

908. VELUT. *Veluti* Dorvil. & nonnulli editi. *oculos cum* alter Menagii. post hunc versum in Leidensi & Regio sequebatur initium versus, *Et jam jamque?* vacuo spatio relicto.

911. NOTAE. *Nocte* Leidensis & Excerpta nostra. *motae* alter Menagii. *corpora* Gudianus. *volet* Mediceus.

913. QUACUMQUE. *Quamcumque* Leidensis, Paris. deinde *cum pectore* secundus Rottendorphius & Leidensis. *pectora* Bigotianus.

914. DIRA. *Dicta* Zulichemius. mox *conspexit* idem.

916. TELUMQUE. *Teloque* a manu secunda prior Hamburgensis. *tremescit* Mentelii, Menagii priores, Parrhas. & plures alii. *letumque instare* Rufinianus de Schem. Lex. p. 35. *cunctanturque* alter Menagii.

917. QUO SE. *Qua* Gudianus a manu secunda. *se rapiat* Venetus a manu prima.

918. AURIGAMQUE. *Aurigamve* Mediceus. HEINS.

[20] VELUTI Voss. R. Steph. al.

Cunctanti telum Aeneas fatale corufcat,
920 Sortitus fortunam oculis; & corpore toto
Eminus intorquet. Murali concita numquam
Tormento fic faxa fremunt, nec fulmine tanti
Diffultant crepitus. Volat atri turbinis inftar
Exitium dirum hafta ferens, orafque recludit
925 Loricae, & clipei extremos feptemplicis orbis:
Per medium ftridens tranfit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Confurgunt gemitu Rutuli, totufque remugit
Mons circum, & vocem late nemora alta remittunt.
930 Ille humilis fupplexque oculos dextramque precantem

Pro-

SERVII.

920. SORTITUS FORTUNAM OCULIS. Hunc locum ad feriendum oculis elegit Aeneas, quem fortuna deftinaverat vulneri.

922. FULMINE TANTI. Pro tonitru, fine quo fulmen nunquam mittitur.

923. ATRI TURBINIS INSTAR. Multis utitur comparationibus ad exprimendum nimium impetum: & INSTAR, ut fupra II. 15. diximus, per fe plenum eft; nec recipit praepofitionem; licet Serenus [11] *ad inftar* dixerit; quod in idoneis auctoribus non invenitur.

926. ICTUS. Percuffus: nunc participium eft, ac fi diceret: *Cecidit elifus.*

VARIORUM.

HEINS. Et Bigotianus & Menagii alter & fecundus Rottendorphius. *curvum* Oudartii. *curfus* duo alii.

920. CORPORE. *Pectore* alter Menagius & Leidenfis.

921. NUNQUAM. *Nufquam* Bigotianus. HEINS. *Saxa fonant* prior Hamburgicus pro varia lectione.

923. CREPITUS. *Strepitus* Mentelii prior, duo Rottendorphii, Venetus, & alter Hamburgicus, Parrhaf. & Dorvil. *trepidus* Regius.

924. DIRUM. *Durum* Bigotianus, Menagii & Hamburgenfis priores. fed & *Excidium dirum* tertius Mentelius. HEINS. *Dira* primus Moreti & fecundus. *excidium* Parrhaf. Sil. XVII. 188. *O dirum exitium mortalibus!* ubi etiam *durum* alii. ut hic Dorvil.

Ibid. RECLUDIT. *Reclufit* Zulichemius. *recludens* illuftriffimum Thuanum malle notavit Heinfius.

925. CLIPEI EXTREMOS &c. *Clypei extremo f. orbe* Heinfius legebat. vid. H. Steph. Schediaf. p. 57.

926. PER MEDIUM. *Et medium* multi. Parif. & Parrhaf. *ftringens.*

Ibid. ICTUS. *Ictu* Hugenianus. vid. Barth. ad Stat. XI. Theb. 555.

929. REMITTUNT. *Dederunt* Vratiflavienfis. *mons circa* primus Moreti & Parrhaf. *late vocem* Dorvil.

930. SUPPLEXQUE OCULOS. *Supplex oculos* Bigo-

[11] *Si inftar* fit nomen & ejus accufativus in ufu fit, ut *habere inftar* alicujus rei Cicero & alii dixerunt; vid. ad Ovid. XVI. Ep. 366. Vorft. ad Valer. Max. II. VIII. 5. quare non liceret dicere *ad inftar*, ut dicimus *ad fimilitudinem*, *ad fimulacrum*? vid. Cl. Duker. ad Flor. IV. II. 88. & quae diximus ad Suet. Caefar. LXXXIV. qui & in Claud. XXI. *ad imaginem bellicam edidit expugnationem oppidi.* ufitatius tamen fateor *inftar* per appofitionem ponere, ut patet ex Sueton. Neron. XXXI. *ftagnum maris inftar, circumfeptum aedificiis ad urbium fpeciem.* ufus ergo arte in hac voce potior fit. BURM.

Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit:
Utere sorte tua. Miseri te si qua parentis
Tangere cura potest; oro, (fuit & tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectae:
935 Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis. Vicisti, & victum tendere palmas
Ausonii videre. Tua est Lavinia conjunx:
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Aeneas, volvens oculos, dextramque repressit.
940 Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Coeperat; infelix humero cum adparuit alto

Bal-

SERVII.

931. EQUIDEM MERUI. [22] Secundum artem rhetoricam [23]: nam quotiens personae in invidia sunt, aliae [24] [per insinuationem, ut Cicero ait, hominem pro homine,] his adponuntur: unde ita ait: Ego quidem occidi mereor; [25] sed tu debes ignoscere, parentis intuitu. NEC DEPRECOR. Non refuto, non recuso.

932. UTERE SORTE TUA. Interfice hostem tuum.

933. FUIT ET TIBI TALIS ANCHISES. Hic distinguendum, ut duo dicat: & habuisti patrem: & pater es.

935. ET ME REDDE MEIS. Ordo est: Redde me meis: sed, ne ex aperto rem viro forti pudendam peteret, interpositione usus est, dicens: *Seu corpus spoliatum lumine mavis.*

936. VICTUM TENDERE PALMAS AUSONII VIDERE. Ad gloriam Aeneae pertinet, quod se Turnus cunctis praesentibus victum fatetur.

937. TUA EST LAVINIA CONJUX. Quae fuerat causa certaminis.

938. ULTERIUS NE TENDE ODIIS. Noli velle crudelitatem tuam ultra fata protendere; sed redde corpus sepulchro. ACER IN ARMIS. Non tantum ad praesens refertur; sed [26] quia semper in armis acer esse consuevit.

940. CUNCTANTEM FLECTERE SERMO COEPERAT. Omnis intentio ad Aeneae pertinet gloriam: nam & ex eo, quod hosti cogitat parcere, pius ostenditur: & ex eo, quod eum interemit, pietatis gestat insigne: nam Euandri intuitu Pallantis ulciscitur mortem.

941. INFOELIX BALTEUS. Nulli domino foelix: & sic est dictum, *infoelix balteus*, sicut, III. 328. *Lacedaemoniosque hymenaeos*. Et sciendum, balteum habuisse Turnum ad insultationem & jactantiam; non ad utilitatem. unde est: *Atque humeris inimicum insigne gerebat.*

VARIORUM.

gotianus, alter Menagii & Excerpta nostra. *praetendens* prior Mentelii.

931. DEPRECOR, INQUIT. *Deprecor unquam* Lutatius ad Stat. VIII. Theb. 116. mox *si te* prior Menagii.

935. ET ME, SEU CORPUS. *Sive meum corpus* legitur apud Valerium Probum lib. I Art. Gramm. HEINS

936. ET VICTUM. *Evictum* secundus Rottendorphius.

938. NE. *Nec* Leidensis.

941. APPARUIT ALTO. *Apparuit ingens* omnium li-

22 agit Rhetoricum. nam quoties ipsae in invidia sunt, aliae pro his opponuntur L. & Vos. qui *ait*. ut & R. qui etiam *adponuntur*. omittunt *agit* Steph. Dan. Fabr. al. proponuntur Basil. & Ant. Edd. illa vero quae Masvicius addidit, nusquam vidi. 23 agit R. 24 deest L. R. Vos. 25 tu bene ignoscere parentibus R. 26 qui iidem.

Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.
945 Ille, oculis poſtquam ſaevi monumenta doloris
Exuviaſque hauſit, furiis accenſus, & ira
Terribilis: Tune hinc ſpoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc volnere, Pallas
Inmolat, & poenam ſcelerato ex ſanguine ſumit.
950 Hoc dicens, ferrum adverſo ſub pectore condit
Fervidus. Aſt illi ſolvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

SERVII.

945. MONUMENTA DOLORIS. Proprie: nam & *monumentum* ab eo, quod mentem moneat, dictum eſt.

946. HAUSIT. Vidit, ut IV. 661. *Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus.*

949. PALLAS IMMOLAT. Ad ſuae mortis [27] & abrupti foederis ultionem, te tanquam hoſtiam immolat Pallas.

951. FRIGORE. Morte, ut VI. 219. *Corpuſque lavant frigentis, & ungunt.*

952. VITAQUE CUM GEMITU FUGIT INDIGNATA SUB UMBRAS. *Indignata:* vel quia [28] poſt preces veniam non meruerat: vel quia Laviniam fore ſciebat Aeneae: vel quia, ut ſupra de Camilla diximus, diſcedebat a juvene: nam volunt Philoſophi, invitam animam diſcedere a corpore, cum quo adhuc habitare naturae legibus poterat. Sic Homerus Iliad. Ε. 856.

ψυχὴ δ' ἐκ μελέων πταμένη ἄϊδός δε βεβήκει
Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδροτῆτα καὶ ἥβην.

SERVII HONORATI, GRAMMATICI DOCTISSIMI COMMENTA IN VIRGILIUM FELICITER EXPLICIUNT.

VARIORUM.

librorum veterum lectio eſt: quam mutaverunt, qui bina uni nomini epitheta adjungi vitioſum exiſtimant. idque in decem verſibus Poëtam feciſſe annotavit alicubi Servius, nos in Bucolicis unum, unum in Georgicis, octo in Aeneide obſervavimus. FABRIC. H. Steph. Diſſ. de Critic. p. 222. *Apparuit ingens* citatur a Cariſio lib. I. idque Giphanius Indice Lucretiano approbavit, neſcio an ex ſcriptis. vide illum in *Epitheta geminata*. HEINS. *Alte* Oudartii. *ultro* Parrhaſ.

942. FULSERUNT. *Fluxerunt* Bigotianus.

946. ACCENSUS. *Incenſus* Dorvill.

947. HINC. *Hic* & *eripiere* Parrhaſ. *in ſpoliis* alter Menagii.

948. TE. Deeſt Leidenſi. mox *poenas* quartus Moretanus & Dorvill. *ex* deerat alteri Hamburgico. *de ſanguine* Oudartii pro varia lectione.

950. ADVERSO SUB. *Adverſus pectore* Leidenſis. *adverſum ſub* Bigotianus. pro *condit*, quartus Moretanus *torſit*.

952. GEMITU. Illuſtrat hunc *gemitum* Robert. Titius lib. VII. Controv. Lect. 19. & de illo ſono & rauco murmure, quod ex occluſa arteria vocali editur, explicat.

27 & ad rupti L. 28 mox preces v. n. meruerant R. Steph.

FINIS AENEIDOS.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS
CULEX,
AD OCTAVIUM.

Lusimus, Octavi, gracili modulante Thalia:
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.
Lusimus: haec propter Culicis sint carmina dicta.
Omnis ut historiae per ludum consonet ordo
5 Notitiae, ducam voces: licet invidus adsit,
Quisquis erit culpare jocos, Musamque paratus:
Pondere vel Culicis levior, famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra: dabunt cum securos mihi tempora fructus:
10 Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
Latonae, magnique decus Jovis, aurea proles
Phoebus erit nostri princeps, & carminis auctor,
Et recinente lyra fautor: sive educat illum
Alma Chimaereo Xanthus perfusa liquore,
15 Seu nemus Asteriae, seu qua Parnassia rupes
Hinc atque hinc patula praepandit cornua fronte,
Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.
Quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naïdes, & celebrate Deum plaudente chorea.
20 Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis
Aëreos nemorum tractus, silvasque virentes.
Te cultrice vagus saltus feror inter & astra.

At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
25 Octavi venerande, meis allabere coeptis,
Sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus:
Nec Centaureos Lapithas compellit in ensis:
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces:
30 Non perfossus Athos, nec magno vincula Ponto
Jacta, meo quaerent jam sera volumine famam:
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Graecia cum timuit venientis undique Persas:
Mollia sed tenui pede currere carmina versu
35 Viribus apta suis Phoebo duce ludere gaudet.
Et tu, sancte puer, venerabilis, & tibi certet
Gloria perpetuum lucis mansura per aevum:
Et tibi sede pia maneat locus, & tibi sospes
Debita felicis memoretur vita per annos,
40 Grata bonis lucens. Sed nos ad coepta feramur.
Igneus aethereas jam Sol penetrarat in arcis,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus & roseis tenebras Aurora fugarat:
Propulit e stabulis ad pabula laeta capellas
45 Pastor, & excelsi montis juga summa petivit:
Lurida qua patulos velabant gramina collis.
Jam silvis, dumisque vagae, jam vallibus abdunt
Corpora: jamque omni celeres e parte vagantes
Scrupea desertae perrepunt ad cava rupis.
50 Tondentur tenero viridantia gramina morsu,
Pendula projectis carpuntur & arbuta ramis,
Densaque virgultis avide labrusca petuntur.
Haec suspensa rapit carpente cacumina morsu

Vel

Vel salicis lentae, vel quae nova nascitur alnus:
55 Haec teneras fruticum sentes rimatur: at illa
Imminet in rivi praestantis imaginis undam.
O bona pastoris, si quis non pauperis usum
Mente prius docta fastidiat, & probet illis
Omnia luxuriae pretiis incognita curis,
60 Quae lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Assyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data vellera: si nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum:
Picturaeque decus, lapidum nec fulgor in ulla
65 Cognitus utilitate manet: nec pocula gratum
Alconis referent, Boëtique toreuma: nec Indi
Conchea bacca maris pretio est: at pectore puro
Saepe super tenero prosternit gramine corpus:
Florida cum tellus gemmantis picta per herbas
70 Vere notat dulci distincta coloribus arva:
Atque illum calamo laetum recinente palustri,
Otiaque invidia degentem, ac fraude remota,
Pollentemque sibi viridi cum palmite lucens
Vitea pampineo subter coma velat amictu.
75 Illi sunt gratae rorantes lacte capellae,
Et nemus, & foecunda Pales, & vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat esse beatior aevo,
Quam qui mente procul pura, sensuque probando
80 Non avidas agnovit opes, non tristia bella,
Nec funesta timet validae certamina classis?
Non, spoliis dum sancta Deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem transcendat habendi,

Ad-

Adversum saevis ultro caput hostibus offert.
85 Illi falce Deus colitur, non arte politus:
Ille colit lucos: illi Panchaica thura,
Floribus agrestes herbae variantibus adsunt:
Illi dulcis adest requies, & pura voluptas,
Libera simplicibus curis: huc imminet, omnis
90 Dirigit huc sensus: haec cura est subdita cordi,
Quolibet ut requie victu contentus abundet,
Jucundoque locet languentia corpora somno.
O pecudes, o Panes, & o gratissima Tempe
Fontis Hamadryadum: quarum non divite cultu
95 Aemulus Ascraeo pastor sibi quisque poëtae
Securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, & dum non arte canora
Compacta solidum modulatur arundine carmen:
100 Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque aethereo ponit discrimina mundo,
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
Et jam conpellente vagae pastore capellae
Ima susurrantis repetebant ad vada lymphae,
105 Quae subter viridem residebant caerula muscum.
Jam medias operum partis evectus erat Sol,
Cum densas pastor pecudes cogebat in umbras:
Ut procul adspexit luco residere virenti,
Delia Diva, tuo: quo quondam victa furore
110 Venit Nyctileum fugiens Cadmaeis Agave
Infandas scelerata manus e caede cruenta:
Quae gelidis bacchata jugis requievit in antro,
Posterius poenam gnati se morte futuram.

Hic

Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,
115 Et Satyri Dryadesque choros egere puellae,
Naïadum coetu. Tantum non Orpheus Hebrum
Restantem tenuit ripis, silvasque canendo,
Quantum te, Peneu, remorantem dia chorea,
Multa tibi laeto fundentes gaudia vultu:
120 Ipsa loci natura domum resonante susurro
Quîs dabat, & dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aëreae platanus: inter quas impia Lotos,
Impia, quae socios Ithaci moerentis abegit,
vitio verterent, perinde ac si omnia confudissem: neque a lectionibus emendatis discreta vitia subtraxissem. Nihil enim non observaveram, quod, ut aetatum pene omnium diversa fuit loquendi ratio, vel sensum, vel scriptionem aliam ab ea, quae in vulgatis habetur exemplaribus, prae se ferret. Hinc ego coactus sum, ut existimationem meam, quae ita erat in damno, ab injuria vindicarem, eorum, quae plurima paulo sequius a consuetudine absque ullius auctoritatis munimento exarata fuerant, rationem aliquam, aut ex veterum scriptionum usu, aut ex pluribus eodem exemplo codicibus antiquioribus, aut ex recepti cujuspiam scriptoris auctoritate, Interpretumve aut Grammaticorum diligentiorum praeceptione subjicere: quando hos ita videbam affectos, ut vitia quaedam turpiter recepta aliquanto turpius fovere perseverarent: neque ego tam multa toto opere labefactata, in meae praesertim nationis cive, Venetique ingenii columine ferre possem: utpote qui non tantum subditicios versus & aliena vocabula, verum pleraque etiam, quae in honore passim haberentur, adulterina, dubio procul earum tinearum indicio deprehendissem. Quo circa non temere forsitan in spem eam erectus sum, fore hinc cautum in posterum: ne, quae hactenus coinquinamenta in omnes jam paginas irrepsere, proserpant ulterius: neve, quae tam multae passim inhaeserunt labes, ubi ita fuerit veterum codicum examinata lectio, pertinacius inolescant.

Has itaque Castigationes cum, omnibus his caussis impulsus, aliquanto uberiores reddidissem, optimorumque auctorum praesidio firmassem, curaeque precium fore non temere forsitan existimarem, si omnium utilitati publicarentur, tutissimum factu visum, eas nomini tuo, Pater optime, consecrare: ut alicujus tam probi quam sapientis Principis praesidio circumseptae id omnium maxime caverent, ne Virgilius ita omnium libidini in posterum exponeretur. Quod quidem, ut mihi polliceri auderem, spes illa affulserat, quod multis abhinc annis Mediceo sanguini proprium, & quodammodo peculiare fuit, bonarum Literarum suscipere patrocinium. Nam, sive hoc fato, sive divina quadam providentia fiat: observatum est Familias quasdam aliis alias moribus praeditas, alia atque alia sibi negotia veluti haereditaria vindicasse. Non secus enim ac diversae arboribus patriae: sola India nigrum fert hebenum, solis est turea virga Sabaeis: experimento compertum est huic vel illi hominum generi peculiare nescio quid natura inolevisse: ut quicunque inde propagentur, ad idem munus, in quo parentes vel majores alii nomen & gloriam sibi compararint, maxime omnium idonei plerumque reperiantur. Veluti Scipionum familiae expeditiones in Africam propriae fuerunt: Curionum genti peculiare studium Eloquentiae: gentilia Metellis cognomina ex Victoriis: domestica Gracchorum sanguini,

Ro-

Romani sermonis proprietas: hereditarium Deciis, pro Patria se hostibus devovere. Pari vero conditione Medicea Familia, cum plerisque aliis virtutibus, laudibus & honoribus insignita, tum suo quodam domestico, ac peculiari more semper habita est celeberrima, cui longa jam annorum serie proprium, gentile, ac hereditarium fuerit, fovere literas, ingenia erigere, disciplinarum omnium Professores optime promereri. Tacebo nunc generosum illud magnificentissime aedificandi studium: quo tu, quo majores tui domi forisque quam longe lateque diffusum est Christianum nomen, tot templa passim, tot loca pia, tot bibliothecas, privatas aedes tot, villasne dicam an castella tot, largissimis effusissimisque sumptibus excitavistis: quae si unum in locum contrahi possent, amplissimarum opulentissimarumque urbium, quae toto sint terrarum orbe maximae, magnitudines dubio procul exsuperarent.

Hujus vero, quod vestro generi praecipuum fuisse studium asseveramus, testes illae omni Doctrinarum genere politissimae Academiae Florentinae, in quibus abolitus olim bonarum Literarum splendor nitorem pristinum coeperit reparare: bonaque Disciplinarum pars, quae temporum injuria perierat, visa sit revivifcere. Testes Albetti, Aretini, Landini, Pici, Scalae, Ficini, Politiani, Beroaldi, Ambrosii, Zenobii, Candidi, Argyropyli, Chalcondili, Lascares, Musuri; & qui hos inter locum non indecenter habeat, Urbanus mihi patruus, totque alii Musarum Proceres Litterarum gloria florentissimi: ut innumeros alios transeam, qui nunc vivunt, fulgore satis illustres suo, qui vestri omnes generis favoribus & auspiciis ad eam nominis celebritatem evecti sunt. Testes tot omnium Disciplinarum volumina, partim ab interitu vindicata, partim e Graeco in Latinum sermonem translata, partim nostri temporis felicitate novo argumento elucubrata, Mediceo omnia nomini, gloriae ac aeternitati nuncupata.

Sic Cosmus, sic Petrus, sic Laurentius, sic LEO DECIMUS PONT. OPT. MAX. promeriti sunt: omnes propensissimo in extollendis ingeniis studio, nisi semper inter se contendere, quis eorum uberiores Litteratorum proventus acquisivisset. Sic tu majorum tuorum, ac sanctissimi probatissimique fratris tui vestigia secutus, quamvis tantarum rerum incumbant pondera, dum publicis privatisque consiliis, qua ratione sit Reipublicae Christianae prospiciendum, cum sapientissimo fratre perpendis, & diligenter examinas: quaeque longum esset enumerare, ingenti laude & honorifica omnium commendatione pertractas: non ita tamen a magnis illis negotiis avocari, urgerive pateris, ut non interim, & ad literas, & ad ingenia respicias: quae tuo patrocinio protegas, & omni studio demerearis. Quocirca, quum te talem esse certo scirem, optime Virgilio etiam ipsi consultum existimavi, si quae in

In ejus emaculatione occupatae sunt lucubrationes meae, omnemque aciem eo direxere, ut eum ab injuria vindicarent, tuis auspiciis, tuoque patrocinio fretae, in manus hominum emitterentur. Tibi enim uni, qualescunque sint, debentur: quae apud te natae, te jure vernaculo Dominum agnoscunt: Neque tu earum curam aspernari debes, qui sis natura benignissimus. Quod si argumentum ipsum non satis dignum videatur, quod tanto Principi dedicari debeat: memineris id circa Virgilium versari, a quo totius Romanae facundiae nitor, ars, judicium, & stili denique majestas omnis, ad posteros saeculorum omnium applausu feliciter emanarit; proindeque nihil in ejus scriptis tam leve, tamque exile, aut tenue reperiri, quod examinatum non omnium possit Litteratorum aures citra fastidium remorari. Vale.

JO. PIERII VALERIANI
CIVIS ROMANI
CASTIGATIONES
IN
VIRGILII BUCOLICA.

ANtea quam rem ipsam aggrediamur, nomina, quibus insigniores quosdam codices citamus, praedocere visum est. Ea sunt, codex Romanus, ille quidem dubio procul antiquissimus: eum vero ideo Romanum appellamus, quod ejus characteres Romanis propiores sunt, iis quippe, quos in antiquis marmorum, aut ex aere tabularum inscriptionibus, & in nummis, saeculis illis elegantioribus notatos ubique legimus. Custoditur is in interioribus Vaticanae bibliothecae penetralibus magna diligentia: digitalibus pene litteris perscriptus. Alter, qui minoribus est litteris & ipse admodum vetus, a paginarum facie Oblongus nuncupabitur. Est & Longobardicus, quem non omnino pigeat evolvisse. Sunt & usui omnium expositi eadem in bibliotheca codices alii non contemnendi. Est & Mediceus inter emendatos. Aliquot etiam aliunde perquisivimus: neque enim uni cuipiam exemplari tantum tribuendum fuit, ut siquid in aliis elucesceret boni, eos rejiceremus. Quamvis vero omnes, si diligentius inspicias, perversionibus, erroribusque ad unum scateant, ex plurium tamen collatione consensuque vera, aut certe veris similiora deprehendimus. Verum age jam, quid ipsi codices tradant, videamus.

2. SILVESTREM TENUI MUSAM MEDITARIS AVENA. Multi quidem, atque hi litteratissimi viri, Quintiliani secuti auctoritatem, *Agrestem* loco hoc legendum censuere. Sed miror tanti Rhetoris vigente fama, nullum ex antiquis cod. iis inquam, quos videre potuimus, inveniri, in quo aliter quam *Silvestrem* legas: idque per I latinum. Videtur vero epitheton hujusmodi, *Musae* adcommodatum esse ex Lucretii Synepeia dicentis in quarto, *Fistula silvestrem ne cesset fundere Musam.* Neque tamen nescimus alibi dictum a Virg. *Agrestem tenui meditabor harundine Musam.* Qui forte versus a Quintiliano citatus fuerit: de cujus una tantum dictione, quippe nomine *Agrestem*, eo loco disputat: quamvis inde *Musam meditaris avena*, ex versu, qui magis in promptu erat, subjectum fuisse videatur. Ut vero lectio ea, quae loco hoc *Agrestem* est, minime rejicienda sit, Bapt. Egnatii judicio facile cesserim, quantum ille ingenio, quantum eruditione, quantum censura valeat, non ignarus. Accedit huc Tityri responsum ab hujusmodi lectione non alienum, qui ad idem, quod audierat, velut adludens dicat, *Ludere quae vellem calamo permisit agresti.*

6. OCIA FECIT. In Romano, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis *otia* per *t*, hoc praesertim loco scriptum est: quamvis non negarim in Romano alibi nomen id per *c* haberi, eo quippe loco, *Ignobilis oci.* Sed enim in veterum inscriptionibus per *t* scriptum invenias: ut in eo Termino, quem superioribus annis ad D. Petri Basilicam vidimus advectum ex area, quam ab Neroniano incendio Domitianus dedicaverat. Ibi enim inter caetera & hoc legimus:

ET HAC LEGE DEDICATA EST NE CUI LICEAT INTRA HOS TERMINOS AEDIFICIUM EXSTRUERE MANERE NEGOTIARI.

Et quae sequuntur. Est & illud, ut multa interim dissimulem, apud Pallonios Romae,

L. LEPIDIUS LIB. HERMES
NEGOTIATOR AERARIUS:

Et alibi, *Negotianti pullario*, & *inquilini negotiantes*, & hujusmodi pleraque ex antiquorum posita monumentis. Quod si *negotiari* per *t* scribitur, *otium*

otium quoque proportione eadem incolumi, scribendum esse crediderim. Sed & in aliis quoque codicibus antiquis diversorum auctorum, *otium* & *otiosus*, per *s* scriptum animadverti: ut in Terentiano codice antiquissimo & maxime castigato: Quem Phil. Beroaldus junior, bibliothecarius vir eruditissimus ex Vaticanae bibliothecae penetralibus depromptum mihi legendum dedit. Ibi enim scriptum est *Dissolvi me, otiosut operam ut darem tibi:* quod elegantia haudquaquam pari in vulgatis codicibus, *Dissolvi me ocius*, habetur. Haec quamvis aliquis levia esse dicat, gravissimis tamen viris negotium plerunque facessere consuerunt.

7. NAMQUE ERIT ILLE MIHI SEMPER DEUS. Ut taceam quod in antiquis codicibus *namque* per *m* ante *q* scribitur: juniores *semperdeus* unico vocabulo scribere coeperunt: quae in antiquis codicibus distincta sunt: in nonnullis puncto etiam inter *semper* & *Deus* interjecto. Neque tamen eorum improbo judicium, quibus felix illa apud Graecos compositio, quae [illegible] est, tantopere adridea:.

12. USQUE ADEO TURBATUR AGRIS. In perveteri quidem codice quodam *turbatur* legere est. sed in Romano antiquissimo, & in Oblongo Vaticanis, neque in Mediceo *turbamur* non invenuste legitur. Servius alterum illud mavult: ut impersonale pertineat ad omnes generaliter, inquit ille. Citat vero locum hunc Fab. Quintilianus, *Totis usque adeo turbatur agris*, inter eas formas, quae propriae cujusdam rationis sunt, ut, *Itur in antiquam silvam:* quaeque initium non habent, ut, *Fletur*, apud Terentium, & similia. Quare hinc Servio adquiescendum esse videtur.

13. PROTINUS AEGER AGO. Plurima quidem exemplaria *protinus* per *i*, in pene ultima legunt: sed in Oblongo codice Vaticano, & in Mediceo, *protenus* habetur per *e*, quod Servius exponit *porro tenus:* quamvis aliter No. Marcellus interpretatur. Sed inter *protenus* per *e* & *protinus* per *i* differentiam ponit Caper, qui *protenus* per *e* locale adverbium esse vult: *protinus* vero per *i* inservire tempori jubet.

14. HIC INTER DENSAS CORYLOS. In Romano codice *corulos* per *u* passim scriptum est, perveteri ea consuetudine, qua Romani peregrinas litteras non admittebant. Sane vero *Corylum*, & *Nympham* accepisse nos a Graecis, quae per *y* scriberemus, ait Priscianus. Sed id etiam aliquantulum me movit, quod in codicibus nonnullis *colyros* litteris transmutatis, sed eodem modo passim in eodem codice animadverti. In aliquot, ut Oblongo, *colyros* aliena manu repositum, priore abrasa lectione, forte quod inde *colurnus* fiat. Fuisse vero prius *corulos* etiam in Oblongo, ostendit locus adhuc intactus: *Neve inter vites corulum sere.* Quantum vero pertinet ad *Colurnum*, barbarismum esse Sosipater Carisius litterarum transmutatione dicit, quum sit *Corulus* arbor: ita enim apud eum scribitur.

15. AH! SILICE IN NUDA. Romanus codex, & Mediceus particulam interjectionis *a* absque adspiratione ponunt, ex Probi sententia. Quod vero passim in vulgatis codicibus legere est *silice in nuda*, apud Nonium *in media* legi, sed puto inemendate.

18. SAEPE SINISTRA CAVA PRAEDIXIT AB ILICE CORNIX. Versus hic in veteribus, quos sequimur, codicibus non habetur. In aliquot altera manu suppositicius est, ut in Oblongo, & in Longobardico: in quo etiam *dicebat* pro *praedixit* habetur, quae lectio est etiam alterius Virgiliani codicis manu scripti, cujus mihi copiam fecit Nicolaus Delphius.

22. DEPELLERE FOETUS. In Oblongo quidem codice *foetus* cum *oe* diphthongo scribitur: in reliquis *fetus* absque diphthongo. Sed enim Numismata *foetus* per *oe* scribendum monent, dum quae inde vocabula deducuntur, *foecundus*, *foecunditas*, & similia per *oe* scripta nobis ostendunt. Ut in Faustinae Aug. *foecund. Augustae.* & ita in reliquis. Phrasis vero haec Varroniana est, apud quem legas in libro de Re Rustica, *Quum depulsi sunt agni a matribus, adhibenda diligentia est, ne desiderio senescant.*

23. SIC MATRIBUS HOEDOS. In antiquis plerisque codicibus *haedos* per *ae* diphthongum habetur: sed usus *oe* recepit. Quod vero paulo post ait Tityrus, *Sic parvis componere magna solebam*, praeceptum est M. Tullii Ciceronis De optimo genere dicendi, sic asserentis: *Parva enim magnis saepe rectissime conferuntur.* Quod dictum volui, ut intelligas quod ait Servius, Genus hoc argumentationis & apud Aristotelem, & apud M. Tullium Ciceronem inveniri.

31. GALATEA RELIQUIT. In codicicibus plerisque veteribus *Galathea* per *th* scriptum est: quod imperite ἀπὸ τῆ θεᾶς, deduci nomen arbitrarentur. Graece vero Γαλάτεια, cujus *ει* pene ultimam diphthongum in *e* longum transire apud Latinos, ex Terentiano & aliis satis constat, ut Μήδεια *Medea*, Αἰνείας *AEneas.*

38 IN ARBORE POMA. In Romano codice *mala*, non *poma*, legitur: altera vero manu *poma* adscriptum est. & in altero satis antiquo abrasa est tota dictio: & *poma* scriptum altera manu. Utrum malueris admittere tantundem est. *Poma* tamen numerosius videtur: atque ob vocalium varietatem, & ob litterae sonoritatem gratius.

43. QUOTANNIS. Multi *quotannis* una dictione scribendum contendunt. In antiquis tamen omnibus exemplaribus, quotquot versare contigit,

quot annis distincte scribitur: idque plurimum in marmoribus, & tabulis aeneis, ut alibi ostensum.

45. HIC MIHI RESPONSUM PRIMUS DEDIT. In codice Longobardico *primum* habetur. Sed *primus dedit responsum*, magis Servio videtur facere satis.

54. VICINO AB LIMITE SEPES. Romanus codex Vaticanus, & alter Oblongus *saepes* per *ae* diphthongum scribunt. ita *saeptum*, uti superius, *Ex:ret victima saeptis.* & *saepio*, ut *saepsit se tectis.* Quae ita recte scribi, ostendit adverbium *saepe* ejusdem originationis.

58. RAUCAE TUA CURA PALUMBES. Male *Rauci* virili genere codices nonnulli habent, quamvis Plautus *Palumbem* virili genere dixerit in Bacchidibus, *Duae unum expetitis Palumbem.* Et Pomponium citat Nonius, qui *unum Palumbem* itidem masc. gen. protulerit. placuisse tamen Virgilio foeminino uti, non it inficias.

69. PAUPERIS ET TUGURI. Sitne *tuguri* per unum *i*, an *tugurii* per synizesin scribendum: deque hujusmodi nominum scribendorum ratione, diu multumque apud omnes omnibus est aetatibus disputatum. Plurimum vero scriptores veteres dum compendiariam scribendi rationem quaererent, ubicunque *ii* geminatum invenissent, unicum scribere voluere, apice tamen ejus supra reliquas litteras exporrecto, ut *dIs manibus.* & *memor beneficI.* Quod vero in hujusmodi scriptionis genere duae nonnunquam inesse litterae intelligantur, inde patet, quod invenias plerunque consonantes etiam ipsas, si supra aliarum litterarum ordinem producantur, *i* vocalem insertam ostendere, ut *AureLa* pro *Aurelia.* Cujusmodi adhuc inscriptio Polae visitur in hunc modum:

D. M.
AVRE LAE
LEVCIPPE
CONIVGI
L. ANNIVS. P. E.
VITALI. SVAE.

Ita etiem in *t* littera, sive *i* praecederet, sive subsequeretur, animadverti vocalem ipsam inseri solitam hoc pacto ✠ Id enim signum tam *ti* quam etiam *it* significat. Cujus rei, etsi alibi etiam exempla inveniuntur, id unum ponam, quod ab Urbano Valeriano Patruo meo harum antiquitatum indagatore diligentissimo exscriptum accepi: id quod Polae etiamnum inspicitur:

D. M.
AVRELIA
CRESCEN
✠NA CONIV
GIVE
PRODITO
CON. QVO. VI
XIT. ANNIS
XI. DE. SVO.
POSV✠. B. M.

In quo monumento non pigeat, tam & si καὶ πάρεργον est, tria adnotatu digna designare. *Crescen✠na* pro *Crescentina.* Verso vero modo, *posu✠* pro *posuit.* Et *con* praepositionem per *o* & *n* ut nunc vulgo pronuntiant. Sed enim quantum ad *i* litteram spectat, eam scribendi rationem, ut una pro geminis ponatur, non admittit Caper. Et per detractionem corruptam esse Ter. Scaurus clamitat: qui litteram *i* non tantum in Genitivo nominum hujusmodi geminari, ut *Antonii Tremellii*; verum etiam vocativos nullam pati detractionem, ut *o Antonii, o Tremellii* singulari numero dicendum, atque scribendum esse censet. Hujus sententiae subscribit Val. Probus in Arte, dum quaeri ait, qua de caussa *o Mercurii* per duo *ii* scribatur: quam ita reddi tradit: *Quoniam quaecunque nomina Ablativo casu numeri singularis o littera terminantur, & Nominativo casu num. sing. us syllaba post i litteram definiuntur: haec Vocativo casu numeri singularis cum nominativo casu ejusdem numeri singularis pari numero syllabarum scribantur: & ideo o Mercurii per duas ii litteras scribi pronuntiatur.* Invenies tamen diversum quid in Institutis ejusdem, iis exemplaribus, quae vulgata sunt: praesertim in nominibus propriis. Vel. Longus: *Quantum pertinet ad Genitivum, ii geminum omnino quaerit, o, qua littera Dativus finit, in i mutata: Julio Julii, Pallio Pallii.* Quae vero de Vocativo altercatio est, aetatis nostrae Litterati omnes in Caritiii sententiam concessere, quam ita pronuntiatam constat: *Illud memineris quod omnia nomina masculina, quae ante us syllabam i habent, in Genitivo singulari eandem i litteram geminatam recipiunt; In Vocativo vero, ne similis sit Genitivo singulari, unam i recipiunt.* Ne cui vero leve videatur de hujusmodi scriptionum ratione disputare: sciendum clarissimos saepe viros super tam levibus argumentis non incuriose declamare solitos: Ut illud, quod huic simile considerationi Probus ait, amasse M. Tullium primam personam a verbo pereo, *perii* duplicato *ii* pronuntiare, quoniam verba modi indicativi specie perfecta ex prima persona numeri plur. *mus* syllabam amittant: & ita eandem personam numeri sing. ostendant, ut puta: *Periimus perii.* At Terentium *peri* unico *i* pronuntiare maluisse, quod a secunda ejusdem temporis, *sti* detracta syllaba primam fieri putaverit. Sed enim, uti alibi latius diximus, totum hoc scriptionis genus in figuras Synaereses aut Synizeses rejiciendum: ac *tuguri*, & paulo inferius *peculi* scribendum. Aliorum autem Grammaticorum dictata super hac eadem re in primo Aeneidos eo loco, *Hic tamen ille urbem Patavi*, recitavimus: ne omnia huc congerentes fastidio essemus.

72. EN QUO DISCORDIA CIVES PERDUXIT MISEROS. In perveteri exposito codice Vaticano, & in Longobardico *perduxit* omnino legitur, ut vulgata habent exemplaria. Sed in Romano, in Mediceo, & quibusdam aliis *produxit* habetur: id quod alii viderint. *civis* vero per *i* more Velliano, ut

ut etiam in nummis pluribus est, meliores habent codices.

73. EN QUIS CONSEVIMUS AGROS. Veteres quidem plerique omnes codices ita habent ut vulgo legitur, Romano excepto, in quo scriptum est, *his nos consevimus agris*. Quasi dicere velit, quod nescio qua natale solum dulcedine mentes afficiat. Sed enim longe acerbior querela mihi videtur, magisque movere pathos, quum lamentatur Hostes, & eos quidem impios & Barbaros, bona quae ipsi sibi comparaverint, habituros: labores suos perditos, messemque ipsam, tam cultam, tam laetam, de manibus sibi violenter abreptam. Quare Meliboeus, qui dixerat, *Impius haec tam culta novalia miles habebit*, *Barbarus has segetes?* ad infelicitatem suam miserabilius deplorandam, remque ipsam atrocius exacerbandam, caussam objectat Civium discordiam, quasi dicere velit, ipsosmet sibi pedicas complicasse. Malum enim, quod sibi quis accersit, adscribitur imprudentiae: quod vero aliunde accidit, vel fortunae, vel Fatorum inclementiae: ubi consolationis locus a necessitate, cui neque Deos repugnare posse Poëtae veteres tradidere.

75. ITE MEAE QUONDAM FELIX PECUS. Romanus codex notae majoris, Oblongus, Longobardicus, & aliquot alii manu scripti, versum hoc dictionum ordine legunt, *Ite meae, felix quondam pecus*. Quod nescio quid suavius habet.

77. DUMOSA DE RUPE PROCUL PENDERE VIDEBO. Hic etiam numerus mutatus in codicibus aliquot manu scriptis, in quibus legitur, *dumosa pendere procul de rupe videbo*. Et ita legitur apud Arusianum in Elocutionum libello. In Mediceo codice uno mutato vocabulo, *frondosa pendere procul de rupe* scriptum est. Quod quidem ego sumptum crediderim ex Pomp. Festi paraphrasi, ita *dumosa* interpretantis: quum *spinosa* Servius velit.

80. HIC TAMEN HAC MECUM POTERIS REQUIESCERE NOCTE. In Romano codice, & in Mediceo *poteras* exacta specie scriptum est, quod valde placet. In Longobardico, in Mediceo, & plerisque aliis, *Hac mecum poteris requiescere nocte*, ablativo casu habetur, ut pleraque etiam vulgata habent exemplaria. Sed *hanc noctem* agnoscit Arusianus Messus in eodem Elocutionum libello, qui falso sub alterius nomine circumfertur, cujus legitimam inscriptionem inveni in Jani Parrhasii Bibliotheca. Arusianus itaque probaturus elocutionis formam, quod requiesco *illud tempus* dicimus eleganter, carmen hoc ex Virgilio citat, ubi *hanc mecum poteris requiescere noctem* habeatur, accusativo casu: alia vero significatione ab eodem dictum esse alibi, *Et mutata suos requierunt flumina cursus*. Quod vero Tityrus habere se *castaneas molles* dicit, exponitque Servius, *maturas*: magis placet, quod Nonius Marcellus ait, *Molles*, *novas*, *vel recentiores*.

ECLOGA SECUNDA.

FORMOSUM PASTOR CORYDON ARDEBAT ALEXIN. In Romano codice *formonsum* est, litera *n* inter *o* & *s* inserta. Fuisseque porro Veterum morem eam litteram vocalibus natura longis adscribere, plerisque veterum inscriptionibus apparet. Sed enim non mediocriter peccare ait eos Terentius Scaurus, qui *formoso*, *n* litteram assumunt: quae non magis huic nomini necessaria sit, quam *glorioso*, quod a *gloria* venit. Indignatur etiam Caper hujusmodi nominibus eam litteram adjungi: quum tamen hujusmodi nomina non in codicibus tantum antiquis, verum etiam in plerisque Veterum monumentis cum *n* littera scripta deprehendantur. Ita *Atlans*, *Gigans*, *Pallans*. In codice Romano sane passim *formonsum pastor Corydon*, & *o formonse puer*, & *formonsissimus annus*, cum *n* habentur. In oppido vero Fabrica, pro foribus aediculae sancti Joannis, non inelegans legitur Epitaphium: quod mihi, dum talia investigarem, ostendit Ant. Valla Teanensis, vir & bene litteratus, & harum antiquitatum diligentissimus explorator. Id est hujusmodi:

HIC AQUILAE CINERES MISERABILIS URNA SEPULTOS
CONTEGIT ET FATIS EXPROPERATA NIMIS.
OCCIDIT INFELIX CEPTO MODO FLORE JUVENTAE
QUEM FINIIT ANNUS SEPTIMUS ET DECIMUS.
FORMONSUS FRUGI DOCTUS PIUS A PATRE MAESTO
ACCEPIT TUMULOS QUOS DARE DEBUERAT.

Quod quidem ea ego de caussa factum existimo, quia mos Veteribus fuerit istiusmodi vocalibus natura longis τῆς μακρᾶς – signum superaddere: qua nota lectores quantae illae essent admonerentur: eamque postmodum imperitioribus saeculis compendiariae scripturae apicem esse crediderunt. Coe-

ptaque primo pro *n* proferri, mox & adscribi: atque ita ex *Formosus*, *Formonsus*, ex *Thesaurus Thensaurus*, ita ex *Atlas Atlans*, & similia in usum prodiere. Vel in iis, quae in *osus* exeunt, circumflexus accentus adnotabatur, proque apice scriptionis eodem errore acceptus accentus: aliter qui potuerit ea barbaries inolescere non video. Nam, & *torrente* pro *torrete*: *Crescent illae crescentis amores*, pro *crescetis*: *Obtunsum*, pro *obtusum*: & sexcenta hujusmodi passim invenimus. Contra vero pleraque absque *n* scripta deprehendi in Veterum monumentis, quae nunc universa consuetudo per *n* scribit atque pronunciat. Quis enim est, qui non *infans clemensque* dicat? Romae tamen in Divae Mariae cognomento Majoris Basilica, vetusto lapide scriptum est:

RAPTA SINU MATRIS JACET HIC MISERABILIS INFAS.

In eo inquam monumento *infas* absque littera *n* notatum est. Et Ameriae habetur antiquo lapide, in pariete domus cujusdam in colle sitae: C. CAESIUS CLEMES. In quibus nominibus scribendis Graecos potius quam Latinos mihi secuti videntur, apud quos *Clemens* nomen proprium Κλήμης scribitur. Ne vero stupori hoc aut imperitiae cujusquam aetatis detur, scimus Veteres quoque illos, qui seculis eruditissimis floruere, in hujusmodi plerisque fuisse diversos. Fl. enim Solipater Virgilium ait *mensam* cum *n* littera prima syllaba saepe protulisse, cui dictioni Varro sit *n* demere solitus: quod inde *mesam* dictam putaret, quod media poneretur: quique alias in vocabulis, quantum in se fuit, Graecis invidit, hujus tamen originationem esse ab eis non inficiatur. Et nunc qui Latine scribunt, Virgilium sequuntur: qui vernaculo utuntur sermone, Varronis repetunt idioma. Ejusdem generis fuit olim, *Pago pagis*, quod nunc per *n Pango*, & scribitur, & enuntiatur. Nam in XII. Tabulis verbum id absque *n* notatum tradit Quintilianus, ut *Cano Canis*: cujus figurationis adhuc, *Pepigi*, retineamus, *Bissenos pepigere dies*. Ac ita quidem aetates pene singulae gavisae sunt, modo hoc, modo illud variare, quae singula persequi inexhausti laboris opus esset. Sed ut nos ad suscepti operis argumentum revertamur, his interim omissis, illud minime dissimulabimus scriptum esse in Ro. codice diverso a vulgatis numero, *Formonsum Corydon pastor ardebat Alexim*. Idque forte ea caussa mutatum ab aliis, quod posteriora saecula communis loci facultatem caesuris videntur invidisse, veritique sunt, neque syllabam, quae alioqui satis per se valida & canora est, neque locum, quo sita erat, carmini sustinendo sufficere.

2. DELITIAS DOMINI. Usu inolevit, ut *delitias* per *t* secunda a fine syllaba scribatur fere passim. In his tamen codicibus antiquis, *delicias* per *c* scriptum plurimum observavi: & ita recte scribi ostendit, quod ex eadem est originatione, nomen, *delicatus*.

4. ASSIDUE VENIEBANT. In codicibus aliquot manu scriptis *adsidue*. In aliquot etiam *atsidue*, *t* loco *d* substituta. Sed *assidue* per *ss* geminatum scribi debere ostensum alibi est.

7. MORI ME DENIQUE COGIS. Est quidem *cogis* praesenti tempore, in Oblongo Vaticano, in Longobardico, & aliquot aliis codicibus antiquis. In Romano scriptum est *coges* terminatione Futuri: quod peculiari quodam scriptionis more *i* vocalem tertiam in *e* secundam plurimum eo libro convertentis, factum crederem: nisi sententia eadem futuro tempore haberetur apud Theocritum: a quo dictum Virgilius mutuatur: ἀπάγξασθαί με ποιησεῖς.

8. ALLIA SERPILLUM. Scribendum *alia* unico *l*, cum antiquis codicibus doctorum etiam hominum sententia decernit. Sunt, qui nomini huic adspirandum esse putent, propterea quod ab *Halo halas* deducatur. Ne vero *Halium* tetro tantum odore molestum esse putemus, ejus quoque syllaba pene ultima negotium facessit antiquis Grammaticis, quum ea jam aetate vulgatum esset per *e aleum* scribere, quod adhuc in vetustis aliquot codicibus habetur: ita & *doleum*, & *palleum*. Quocirca Sosipater eos reprehendit, qui pene ultimam hujusmodi in his nominibus per *e* notarent, quum apud Virgilium (ait ille) *alia* per *i* legatur. Neque illud praetereundum fuit, quod in Romano codice pro *serpillum* scriptum est *serpullum* per *u* media syllaba, ut vulgo nunc Romae loquuntur. Idque ea ratione factum, quod *y* ex Graeca voce in eam litteram abierit. Nam ἕρπυλλος apud Graecos non minus per *υ* scribitur quam ἑρπυσμὸς & ἑρπυστὴς: omnia ab ἕρπω (id enim nos aspiratione in *s* mutata *Serpo* fecimus) derivata.

15. ATQUE SUPERBA PATI FASTIDIA. Illud quoque sine risu proferri non posse plerique judicabunt, si *superva* per *v* digammon in Ro. codice scriptum esse dixero: cujus rationis tot Romae & alibi reperiuntur inscriptiones. In Caelio monte: SACERDOTI VENEMERENTI FECIT. Ita passim, *vonitatis* pro *bonitatis*, *amavili* pro *amabili*, *incomparavili* pro *incomparabili*. Cujusmodi sono & enuntiatione ejus litterae & Campania omnis & Brutiorum populi, totaque Italiae pars, quae Graeciam versus vergit, adhuc utuntur. Quin etiam clarissimi litteratura viri, tam scribendo, quam loquendo, in familiari domesticoque sermone *supervo* pro *superbo* dicunt, & hujusmodi reliqua. Ac ne unius tantum codicis, aut corruptae aetatis nostrae abusum hunc esse credamus, scimus praeclarum

rum olim virum Adamantium, quo depravatam saeculi sui pronuntiationem emendaret, de *b* muta, & *v* digammo, & vocali, plurima disputasse: ex quibus aliquid locis suis recitare minime gravati sumus. Ac quantum ad praesens negotium facit, tradit is, Nomina, quae in *vus* exeunt bissyllaba, per *v* digammon scribi, ut *novus*, *faevus*, *curvus*, *balvus*, *torvus*. Ex quibus *albus* tantum discretionis gratia per *b* mutam scribi praecipit: quippe, ut differat a nomine *alvus*, quod per *u* digammon scribitur. Hic vero agit de nominibus tantum adjectivis. Polysyllaba vero per *b* scribi jubet. Ut *superbus*, *acerbus*. Ex quorum tamen numero, *protervus* excipiatur. Nimirum viderat Adamantius, & *superva* & alia hujusmodi ex usu pronuntiationis, quae temporibus illis maxime vigebat, scriptitari: Graecitate jam ab Imperii translatione in universam Italiam illapsa: Nam inde pronuntiationem ejusmodi processisse negarit nemo, qui vel prima Graecarum litterarum elementa perceperit. Quanquam non satis affirmare ausim, nosne magis, an illi, Romanos veteres imitemur. Sed enim haec alii viderint.

16. NONNE MENALCAM. Antiqui omnes codices, quos viderim, Longobardico excepto, *Menalcan* per *n* scriptum habent: quae suavior est pronuntiatio.

18. VACCINIA NIGRA LEGUNTUR. Et hoc aetate nostra receptum video, ut *vacinia* unico *c* scribatur: quum tamen in antiquis omnibus his exemplaribus duplici scriptum inveniatur *vaccinia*, idque passim. Praeterea Adamantius, sive, ut alibi legitur, Matyrius Adamantii filius (nam omnino ea, quae de *b* & *v* in compendium collegit, ab Adamantio Patre se accepisse fatetur) ubi quaerit utrum *Vaccinium* an *Baccinium*, *Vacca*, *Bos*, an *Bacca* sit scribendum; quippe per *v* digammon, an per *b* mutam; primas harum dictionum litteras eo statuit ordine, quae post *vac* alteram habeant consonantem: nam de *va* una subsequente consonante superius tractaverat. Quare tam hujus auctoritate, quam veterum codicum testimonio, *vaccinia* duplicato *cc* scribendum contenderim: & ita inferius corrigendum, *Mollia luteola pingit vaccinia Caltha*.

19. DESPECTUS TIBI SUM: NEC QUIS SIM QUAERIS. In Mediceo, & antiquis aliquot aliis codicibus legere est *nec qui sim*. Quod si diligentius perpendas, forte non displicebit. Nam distinctionem inter *quis* & *qui*, traditam a Grammaticis, minime servari ab auctoribus alibi ostendimus.

20. QUAM LACTIS ABUNDANS. Oblongus codex Vaticanus, Longobardicus, Mediceus, & aliquot alii, verbum *habundo* cum adspiratione scribunt; non quod ab *habeo* descendat, sed ut vox fiat incitatior. Ea enim de caussa plerisque dictionibus Veteres adspirabant, ut patet in *Heluone*. Quanquam litteratissimi Viri scriptis prodidere praeter rationem adspirationem praeponi huic verbo, quod ex *ab* praepositione, & *undo undas* fiat.

26. NON EGO DAPHNIM. In multis *Daphnin* per *n* finali littera scriptum invenias, quod ita esse debere ostendit versus ille, *Daphnin ad astra feremus*. Nam si per *m* esset, collisioni locus foret.

27. SI NUNQUAM FALLIT IMAGO. In Romano codice, in Mediceo, in Longobardico, in Oblongo Vaticano, & plerisque aliis *fallat* scriptum, Subjunctivi modi declinatu.

32. PAN PRIMUS CALAMOS CERA CONJUNGERE PLURES INSTITUIT: PAN CURAT OVES. In Romano codice *primum* legitur adverbialiter. Sed *primus* omnino melius, ut in aliis habetur. Est & illud *pluris*, & *ovis* per *i*, Velliano more.

34. NEC TE POENITEAT CALAMO TRIVISSE LABELLUM. In Romano codice & aliquot aliis manuscriptis, *paeniteat* per *ae* diphthongum primam habetur. Sed *o* ei formae insitum est ex etymo: quum *poenitentia* dicta sit, quod *poene teneat*. Sane vero praeteritum a *tero teris*, *teruisse* esse debuit, ait Vel. Longus: maluisse tamen Virgilium *trivisse* dicere.

41. SPARSIS ETIAM NUNC PELLIBUS ALBO. Antiquissimus ille codex majoris notae membrum unum ita distinguit, *sparsis etiam nunc pellibus*. Inde ultimam ex versu dictionem cum subsequenti jungit hoc pacto, *ambo bina die siccat ovis ubera:* quam forte lectionem elegantia ingenia non aspernabuntur.

42. QUOS TIBI SERVO. In Rom. codice *quod* habetur: ut non tantum capreolos, verum etiam & fistulam uno eodemque munere complectatur.

53. ADDAM CEREA PRUNA, ET HONOS ERIT HUIC QUOQUE POMO. Licet hinc eorum obscuram diligentiam deprehendere, qui quum passim in veteribus exemplaribus legerent *addam cerea pruna*, *honos erit:* absque particula conjunctiva, eam, ne versus infirmus esset, inseruerunt. Qui, si non animadvertebant, eam inesse vim adspirationi, ut praecedentem vocalem sustinere possit, certe pleraque toto opere eodem modo, sine ulla collisione posita, & Homeri, & aliorum Poëtarum, tam Graecorum, quam Latinorum, exemplo cognoscerent. Sane *et* particula in nullo ex his antiquis exemplaribus invenitur. Idque manifestum in Romano codice, & in Longobardico, & in Mediceo: in reliquis aliena manu & atramento intrusa. Atque ut hos eo timore absolvam, sit exemplum, vocales non semper abjici per alterius collisionem: *Credimus, an qui amant*. Quod si non has figuras admittamus, adspirationis dubio

dubio procul exemplum eo verſu eſt: *Ille latus niveum molli fultus hyacintho.* Sed objiciet forte aliquis Nigidii Figuli commentaria: in quibus ille *h* non eſſe litteram tradiderit, ſed adſpirationis notam, obſervatum a Victorino. Cui qui reſpondent, Graecos ajunt numeros ſuos per litterarum figuras adnotare, ac veluti per α unum, per β duo, per γ tria, & ſic de reliquis: ita per Η quae apud eos figura eſt adſpirationis, ἑκατὸν, hoc eſt, centum deſcribunt, eam nimirum litterarum honore decorantes. Latini vero octavum illi locum in litterarum ordine non temere adſcripſere, & in inſcriptionibus, in quibus, ſingulis tantum litteris uti ſolent, *h* utuntur ſaepiſſime, perinde ac etiam litteris aliis: quippe ſi *hic*, *haec*, *hoc*, pronomina ſignificanda ſint, ſive *haeredes*, ſive *hora*, vel quid hujuſmodi, ut: *h. m. h. n. s. Hoc monumentum haeredes non ſequetur:* ſive, quod alibi eſt, *ſequitur.* Et *s. h. l.* quod *ſecundum hanc legem* interpretantur; & *h. h.* quod ſignificat, *hac hora.* Quae, ſi littera non eſſet, neque in numeris centenarii vocem, ut in eo nomine prima: neque in his aliis quidquam ſignificaret praeter ſpiritum: voces vero ipſae per vocales in unaquaque dictione primas notarentur. Habet praeterea *h* ſonum proprium, quem licet Catullus videatur eluiſſe, noſtris tamen temporibus (nam quo pacto Priſci pronuntiaverint audiſſe non poſſumus) quotquot litterati ſunt, *mihi*, & *nihil*, *h* tantum inter duo illa *ii* interjicientes ſcribunt. Eas tamen dictiones propemodum pronuntiant, ac ſi praeter *h*, *c* etiam inſertum eſſet: quod quidem ipſius *h* litterae vim & ſonum proprium oſtendit. Quare Vel. Longus ait, *h* & ante vocalem, & poſt vocalem neſcio quid proprium ſonare: haec tamen, ut pleraque alia corrupta ſunt apud Velium. Quid vero illud, quod litterae tot in *h* abeunt, & ipſum *h* modo in hanc, modo in illam litteram commutatur? Id enim praecipue litterarum eſſe conſtat, ut haec illi ſuccedat, aliae dentur in aliarum locum: pro Idiomatum quippe, Nationum, Gentium, atque etiam aetatum conditione, conſuetudineve; vel quia multae inter eas cognationes intercedant. Hinc alii per *q periquilum:* per *c* alii *periculum* ſcripſere. Sic *aquipenſer* & *pequnnia* in *ancipenſerem* & *pecuniam* abiere. Eadem in *c* & *g* litteris affinitas. Unde *cortynia* & *gortynia* indifferenter ſcriptum invenias. Et quae per *c*, *cajeta*, *cneus*, *cujus*, *curculio* notantur: per *g* tamen enuntiantur. Sic *m* tranſit in *b*, cum ex *ſcamno ſcabellum* facimus. Sic *p*, ſic *d* etiam in *b* verſae, cum ex *duello*, *bellum*, ex *Pyrrho*, *Burrus*, effectum eſt. Quid memorem *t* & *d* tam arctae cognationis litteras? Nam, ut reliqua diſſimulem, quae per *t* prius *Aleſſanter* & *Caſſantra* ſcribi ſolita, jam per *d Alexander* & *Caſſandra*, quo mollius enuntientur, notari videmus. Ipſum vero *d* quot in locutionibus in *l* verti patitur? quum *lingua* ex *dingua*, a *dico*: quum *ſella* ex *ſeda*, a *ſedeo* exprimuntur. Quoties eadem in *r* litterae locum data? nonne *Lemures*, qui a *Remo Remures*, nonne *meridies* ex *medidie* factum? *r* autem ex *s* bona veterum nominum parte fecimus: ut *Aurelius* ex *Auſelius*, *ara*, *plurimus*, *majores*, *feriae*, *Lares*, quae prius per *s*, *aſa*, *pluſimus*, *majoſes*, *feſiae*, *Laſes*, & tot hujuſmodi tam primo & medio, quam ultimo vocum loco ſcriptitari ſolita. Sic & *h* multarum & ipſa litterarum vicaria reperitur, in hanc & illam ipſa quoque litteras tranſmutatur. Ut quum ex *veho*, *vexi*: ex *traho*, *traxi* facimus: nunc in *u*, ut *heſper*, *veſper*: nunc in *f*, ut *hanula faunula*, *formiae*, pro *hormae*, quod circa eas crebrae tutaeque ſtationes eſſent, ut apud Verrium. Contra vero *f* in *h* mutatum, ut in nominibus, quae a Sabinis accepta Romani in Civitatem adſcivere: cujuſmodi ſunt *traſo*, *veſo*, *fircus*, *forteum*, *foſtis*, *foſtia*, & alia pleraque, quae Romani quum in Civitatem adſciſcerent, alia quadam littera veluti toga ſua, vel praetexta donata, inſigniri voluere. Quid vero ludicrum illud veluti certamen quoddam, quo *f* in *h* tranſilit, ut quum *hruges* priora quaedam ſaecula pronunciarunt, quae poſteri per *f fruges* ſcribere maluerunt? In aliis aliquot *h*, in *b*, ut quae *Helena* prius fuit, apud Romanos *Beleua* diceretur. An, niſi littera eſſet, tantum illi juris, ut modo in hanc, modo in illam litteram abiret, concederetur? An conſonantes aliae vice verſa dignatae eſſent in eam tranſcribi, niſi quid ſaperet litterarium? Longum vero eſſet enumerare quot hujuſmodi ſint mutationes: quae mihi ex litteris in litteras ita fieri videntur, uti quum quis ex Plebe ad Equeſtrem, ex Equeſtri ordine ad Senatorium, provehitur: ac vice verſa, vel Cenſoris alicujus notatione, vel ſuo nunnunquam ex commodo, ex Senatu ad Plebem tranſit. Vir enim idem quoquoverſum rapiatur conditiones mutat, non naturam. Sic *h*, ſic *v*, & *i*, & aliquot aliae nonnunquam litterae, nunc uno, nunc alio ordine recenſentur. Quin tamen litterae ſint, non aliter quiſquam vicerit, quam qui eum, cui purpurae uſu interdictum, aut ademptus in cenſu equus fuerit, non hominem amplius eſſe contendat. Sunt enim qui ea ratione *h* non eſſe litteram conantur oſtendere, quia neque in vocalium, neque in ſemivocalium, neque in mutarum ordine locum habeat: quod quidem, ut in eadem perſtemus ſimilitudine, tantundem mihi eſt, ac ſi diceremus Soſiam aut Davum ideo non eſſe homines, quia Romae neque inter Senatores, neque inter Equitum centurias, neque ulla in Tribu recenſeantur. Verum adeone abſurdum erit unam inveniri litteram, quae inter vocales & conſonan-

tes

tes medium quendam locum habeat, aut alterius cujuspiam sit condicionis: veluti apud Graecos *s*, quam licet per se sonate, suisque viribus pollere, neque alterius cujuspiam litterae auxilio, ut enunciaretur, indigere non negabant: nequaquam tamen inter Vocales enumeravere. Cum vero Consonantes in Semivocales & Mutas dividerent, tripliciterque Mutas partirentur, Semivocales dupliciter: Sigma ab aliarum veluti consortio segregatam, ἄσημον appellarunt: cui neque signum, neque notam ullam inuri posse viderent, quod ea suae cujusdam potestatis esset. Quae vero invidia sit apud Latinos unam esse litteram, quae suae & ipsa quodammodo potestatis medium inter Vocales & Consonantes locum obtineat, nonnunquam etiam, si adlibuerit, nec littera esse velit: quum aliae quoque litterae nulla vi, nullo sono evanescere, aliae aliter scribi, aliter sonare deprehendantur. His itaque confutatis, sunt qui a finitione, *h*, non esse litteram argumententur: quia scilicet *h* sit humani spiritus, flatusve collecti sonus intelligibilis. Sed enim vel quaecunque figura hac finitione describetur, perinde littera non erit, vel siqua nota, cui ea competat finitio, littera erit: *h*, quoque litteram esse consentaneum erit Nam si animatum quid sit, & rationis particeps, & morti obnoxium, id dubio procul erit homo: Socrates igitur homo. Atqui litterae *c*, *f*, *r*, & *s*, iisdem circumscribuntur terminis, ut earum unaquaeque sit humani spiritus flatusve collecti sonus intelligibilis. Differunt tamen ex eo, quod accidit huic vel illi, ut Aethiopi, nigrum esse: Scythae, album: Socrati, simum: Platoni latos humeros habere. Ita Adspirationi (de nota enim loquor, non de re, quae nonnullis ansam cavillandi dedit) id accidit ut densius, & exilius emittantur: *f*, ut vastiore quodam sono proferatur: *r*, ut asperius & per vim quodammodo elidi videatur: *s*, ut incitatius & sono magis promptuario, nulloque pronuntietur impedimento. Fatebuntur vero aliqui vel hanc, vel illam ex hujusmodi notis, ut pura *s*, non esse litteram, sed sibilum tantum. Nam *s*, raro Capri testimonio apud Etruscos exprimitur: & ex Latinis locutionibus nonnunquam evanescit. *f* non omnium gentium esse literam facile comprobabunt. Quibus quidem si vel *s* vel *f* non esse litteras ideo concesserimus, quod rarus fuerit earum apud hos vel illos usus: age etiam *q* ex litterarum ordinibus submoveamus: non enim ea apud Graecos invenitur. *k* etiam exigamus: id enim vel Fab. Quintiliano teste, a Romanis olim repudiatum est. Digammon vero Aeolicum ex veterum, quae tot extant, monumentis eradamus: eam enim litteram non omnes gentes admisere, ac perinde Latinis eam usurpare non licuit. Quin etiam *o* vocalem ejiciamus: Nam eam quidam Italiae Populi non habuere. Quod si digammon ipsum inter litteras recensetur: si *k* per innumeras aetates pro littera habita, quod tot saeculorum continuatione in Majorum nostrorum inscriptionibus oculata fide conspicimus. Ita *s*, apud gentes, nationesque omnes, litterae sonum, figuram, & vim, sive potestatem dicere maluerimus, obtinet: ita & *h* jam recepta, quae tanta est *s* litterae cognatione copulata, ut plerisque in locutionibus & *s*, in *h*, & *h*, in *s*, invicem commutentur: videturque propemodum humanus sermo tantundem existimasse utrum quid per *s* an per *h* scriberetur. Unde Latini, *sal*, *satis*, *sex*, *septem*, *se* pronomen, & sexcenta hujusmodi per *s* scribenda censuere, quae nationes aliae scripserint per adspirationis notam, ἅλς, ἅλις, ἕξ, ἑπτὰ, ἓ. Id, puto, minime facturi, si *h* non esse litteram, sed flatilis cujusdam spiritus notam tantum esse censuissent. Idque potius credendum judicasse eos & *s*, & *h*, ejusdem propemodum esse praerogativae. Quodque *s* litterae accidit, ut nonnunquam elidatur in versu faciendo, nonnunquam syllabis adminiculo sit, ita & adspirationi, ut nonnunquam otiosa sit, nonnunquam vires, ut hoc loco, suas ostentet: scio in iis quae postremo loco exempla retulimus, erunt qui majores nostros figura deceptos dicent: quod quae nota vocalibus nunc superadditur adspirationis loco eadem sit figura, qua σίγμα nunc vulgo scriptitamus, quippe ad Latinae litterae *c* secundae consonantis effigiem. Sed enim prius fuere nomina haec per *s* notata apud Latinos, quam corrupta illius litterae forma, quae facta est posteriore saeculo, divulgaretur. Sed eorum non ego errores incessam, qui scriptis tradiderunt figuram *h* prius fuisse, mox dissectam in dasiam & psilen, quae in veterum libris & monumentis hoc modo figurentur ⊢. ⊣. Quum potius Latini ex duabus illis notis in unam contractis, copulatisque suam conflarint litteram: qua eam figura jure Latii donatam insignem esse voluerint. Meritoque Valerius Probus, magnae auctoritatis Grammaticus, in Arte, *h* litteram inter novem mutas enumerat: quam praeter peculiarem figuram & nomen, quod his litteris expressit *ha*, sonum etiam retinere potestatis suae certum asserit: ut puta, *honos*: nunquidnam *Onos*, aut caetera talia? & ideo qui aliter sentiant, non recte existimasse, notandos ait. Neque tamen negat interdum *h* pro adspirationis nota poni posse, praesertim cum juncta cum aliis mutis, vocali concurrerit, ut puta *Pulcher*, in cujusmodi rationis nominibus, *h* non aliter evanescit, ac *v* vocalis in Locutionibus, *lingua*, *torqueo*, & similibus: aut *s* in eo loco, *Ponite spes sibi quisque suas*: & aliis ejusmodi. Nam qui magis liceat *i* & *u* modo esse vocalibus, modo in consonantes

abire, modo loco cedere, deserere ordines, subducere se, atque aufugere: si aliis quibusdam litteris auctoritatem suam longo auctorum usu concessam invideremus? Sed quoniam in re nihili, ut de littera hac vulgo dici solet, animi gratia, quasi marinas conchulas colligentes evagati sumus, unum illud dicam, eos, qui omni conatu id maxime sunt contendere visi, ut jus litterae, notae huic adimerent; tamen, quum manifesta negare non possent, eam sapere aliquid quod sit litterae, nihil quicquam inficiari. Ac, ut ad carminum, & loci, qui prae manibus est, rationem deveniamus, consentiunt Grammatici, Virgilium litterae vim & potestatem, naturamque in *h* esse, tunc ostendere voluisse, quum scripsit, *Stant & Juniperi, & Castaneae hirsutae*. Quare quum neque praeter exempla, neque praeter rationem sit legere *pruna honos*, tot venerandae antiquitatis codicibus adstipulantibus, *et* particulam, ab aliis intrusam, audacter ego sustulerim. Accedit huc rhythmica quaedam consideratio, quod sententia finitur in *pruna:* Trimetrumque absolvit non indecore: & antea quam membrum alterum resumamus, latum satis temporis intervallum interponitur: ut si etiam hemistichium illud a simplici vocali incipiat, commodum respirandi locum habere possit.

56. Rusticus es, Corydon, nec munera curat Alexis. *Es* quidem secunda persona passim legitur, praeterquam in Romano codice, ubi *est* habetur persona tertia. Ut duo dicat, quae maxime obsint, nec quicquam proficiat, *Alexim* esse rusticum, nec munera curare. Et apud Ovidium, in hujusmodi significatum, Helena loquitur in Epistolis:

Nec dubito quin haec, quum sit tam justa, vocetur
Rustica, judicio nostra querela tuo.
Rustica sim sane, dum non oblita pudoris.

Neque tamen displicet, ut Corydon jam resipiscens, semet ipsum rusticitatis arguat: quod pro stultitia, & rerum imperitia ponitur.

57. Nec si muneribus certes, concedet Iolas. In Romano codice *certet* legitur, quod non placet Illud non improbarim, quod mihi videtur eleganter dictum, *concedat*, in eodem codice.

58. Eheu quid volui. In singulis pene codicibus varie scriptam invenias interjectionem hanc *eheu*, de qua loco alio plura. Hic mihi non displicet, quod in Romano codice integra interjectio duplicata est, *heu heu*. Ut apud Theocritum non semel αἶ αἶ. Quamvis Valerius Probus *heu* & *eheu* utramque simplicem agnoscit.

59. Perditus et liquidis. Quod Latina locutio *perditus*, in Romano codice *perditos* per *os* scriptum habeatur, ea de caussa factum: quod, ut apud Velium Longum est, Antiqui *o* & *u* confusas litteras habuere. Idque ex eo apparet, quod *consol* per *o* ultima syllaba quondam scribi solitum: quum tamen, ut ipse ait, per *u* legeretur. Variumque scripturae modum plerisque in nominibus hujusmodi fuisse dicit: & *fontes*, & *funtes*, & *frondes*, & *frundes* modo per *o* modo per *u* apud hos & illos scriptum. Praeterea Victorinus, cujus fragmenta quaedam de Orthographia mihi dono data sunt a Jano Parrhasio, observasse ait se antiquis libris, & in Legibus xii. Tabularum: quae, ut ejus verba ponam, tametsi frequenti transcriptione aliquid mutarunt, tamen retinent antiquitatem: *o* positum pro *u*. Ut *popolos* Romanus. Ubi enim nunc *populus*, ibi *popolos*. Ubi *piaculum*, ibi *piacolom*. Ubi *funus*, ibi *fonus*. Et ita pleraque alia. Quare *perditos* numero singulari, Nominativo casu, ut non uti nunc ausus fuerim, ita in antiquissimo codice scriptum nequaquam improbaverim. Sed quoniam de hac re saepe dicendum, quum frequentissima sit in antiquis codicibus id genus scriptura: pauca haec nunc attigisse sufficiat.

61. Pallas quas condidit arces ipsa colat. In Romano codice, *quae condidis* legitur, nempe ad homoeoteleuton evitandum, *Pallas quas*. Habet praeterea nescio quid poëticae venustatis dicendi modus, *Pallas colat arces, quae condidit:* sive velis, *quas res:* sive, *ipsa, quae condidit:* intelligere. Non tamen abradenda est vulgata lectio, *Quas condidit arces*. Est praeterea in Romano codice *colans*, una plus littera temere adjecticia.

67. Et sol crescentes decedens duplicat umbras. In antiquis aliquot codicibus *discedens* legi: sed *decedens*, lectio castior. Est & *crescentis* in Romano codice, quae scriptura ibi plurimum reperitur. Quid vero *duplicat*, *pp* geminato in codicibus nonnullis manu scriptis? nempe isti veriti sunt, mutam & liquidam non satis esse ad syllabam producendam, nisi ad ejusmodi parenthesin confugerent.

69. Ah Corydon, Corydon. Dictum jam ex Probi Grammatici sententia, *a* sine adspiratione, affectum significare: & eo modo scriptum in antiquis codicibus plurimum haberi. Sumpta vero figura est ex Theocrito, ὦ Κύκλωψ, Κύκλωψ, πᾷ τὰς φρένας ἐκπεπότασαι. Hinc in Mediceo codice scriptum est per *o* adverbium. *O Corydon, Corydon*, quod Theocritianae dictioni proximius est. Sed enim quum Fab. Quintilianus dicat: geminationem hoc loco esse miserandi caussa factam; mihi minime dubium relinquitur, eum lectionem, quae vulgata est: *A Corydon*, agnovisse.

73. Invenies alium, si te hic fastidit, Alexis.

ALEXIS. In hoc versu tria sunt, quae Romanus codex aliter legit: quam vulgata habeant exemplaria. Primo quidem *invenies*, cum nota syllabam esse longam denotante: quod multi legunt *inveniens* participii voce. Alterum, quod nonnullis negotium facessit, est verbum *fastidat* per syncopam, pro *fastidiat*, quod jam antiquatum est. Elocutionem vero ejusmodi figurae No. Marcellus apud Ennium observavit. Tertium est *Alexin* quarto casu, quod ideo probandum videtur, quia recipitur a Servio. In Longobardico abrasa est littera, quae post *i* succedebat. In Oblongo *i* & *s* ultimae litterae alieno sunt atramento, & manu. In Romano vero *Alexim* per *m* Latino declinatu scriptum est.

ECLOGA TERTIA.

INFELIX O SEMPER OVIS PECUS. In Romano codice *oves* scriptum est: & ita prius erat in Longobardico: postea *e* abrasum fuit, quod adhuc discernitur, & appositum *i* alio atramento. Habet porro nescio quid venustius oratio haec, *o oves*, per appositionem, *infelix pecus*. Quod si, *ovis*, pro *ovium*, cuipiam magis placuerit, suo unusquisque arbitratu faciat.

5. HIC ALIENUS OVIS CUSTOS BIS MULGET IN HORAS. Quod eadem dictione *oves* in Longobardico legitur, accusativum esse casum *ovis* vel *oveis* indicat: Non enim dicendum, *Custos ovis*, sed *bis mulget oves*.

6. ET SUCCUS PECORI, ET LAC SUBDUCITUR AGNIS. Passim inolevit, ut *succus* duplici *cc* scribatur. In antiquis tamen his codicibus omnibus, & iis ipsis, qui litteras geminare etiam sine delectu gaudent, *sucus* unico *c* scribitur: quod & ipsa analogia exposcere videtur, nisi quis non a *sugo*, sed a *suctu succum* deduci velit, & propterea geminari *cc* contendat. Notat vero versum hunc Val. Probus, in quo nulla fiat synaloephe, quum plerumque vocales inter se concurrant, neque tamen ulla elidatur.

7. OBJICIENDA MEMENTO. In antiquis omnibus codicibus, *obicienda* unico *i* in secunda syllaba legitur: & ita reliqua omnia quae a *jacio* componuntur: nempe quia putabant duas esse vocales, neque commode pronuntiari posse, si ambae ponerentur: neque adverterunt mentem, dum uni consulunt incommodo, majori se affici detrimento, syllaba prima corruente, nisi alterius *i*, quae consonantis loco sit, quasi pedamento suffulciatur. Sed de hac scribendi ratione, plura alibi dicta. Est etiam comma advertendum, quod in antiquis plerisque codicibus post *parcius* notatum est, ut uno inde membro legatur, *Ista viris tamen objicienda memento*.

8. TRANSVERSA TUENTIBUS HIRCIS. Oblongus codex omnino legit *birquis*, quod a nonnullis receptum ait Servius. Romanus vero & alter pervetus cum Mediceo *hircis*. Et ita erat in Longobardico, quanvis alio atramento sit nescio quid insertum. Sed enim hoc a Theocrito sumptum videtur, sententia tamen honestius translata, quum dicat ille, dum res turpis ageretur, capellas elanguescere quodammodo coepisse, hircumque eas inisse. Qui vero de oculorum *hirquis* hoc dictum volunt, iidem etiam Theocrito innituntur, qui dixerit Caprarium, viso hirco capellas inscendente, oculis intabescere: ait enim τάκεϑ᾽ ὀφθαλμώς. Sed enim prior sententia magis placet, quia scimus antiquos dixisse *birquos* per *q* & *u*, quos nos *hircos* dicimus. Eamque scripturae rationem remanere adhuc in derivatione nominis, quod hinc tractum est, ut *birquitallos* eos vocamus, qui jam coeperint adultioris aetatis esse, propterea que axillas olere incipiant hircorum more: de quo Catullus,

> *Laedit te quaedam mala fabula, qua tibi fertur*
> *Valle sub alarum trux habitare Caper.*
> *Hunc metuunt omnes, neque mirum, nam mala valde*
> *Bestia, nec quicum bella puella cubet.*

Quare sive *hircis* sive *birquis* legas, pro uno eodemque sensu, prout apud Theocritum, eo praesertim Idyllio, quod sibi Virgilius in hoc fingendo videtur proposuisse, accipi poterit. Illud vero novimus, *& qui te* figura est brevitatis per detractionem, non tamen ἀποσιώπησις, ut ait Quintilianus. Nam in aposiopesi quid taceatur incertum est, aut longiore sermone explicandum: hic unum tantum verbum, & manifestum quidem desideratur.

12. CUM DAPHNIDIS ARCUM. Val. Probus legit *Daphnidos* Graeca declinatione.

16. QUID DOMINI FACIENT. Romanus, & alter pervetus codex *faciant* habent. In Oblongo, & in Mediceo *a* littera superinducta. In Longobardico abrasa dictio est. Quod vero subsequitur, *Non ego te vidi*, est aliqua in respondendo figura, ut Quintilianus ait, quum aliud interroganti, ad aliud, quia sic utilius videatur, occurritur, tum augendi criminis gratia, ut testis rogatus, an ab Reo vapulasset, respondit, innocens: tum declinandi, ut quaero an occideris hominem, respon-

detur, latronem. Et in Buc. dicenti, *Non ego te vidi:* respondetur, *An mihi cantando victus.*

25. Aut unquam tibi fistula cera juncta fuit. In Romano codice & in aliquot aliis legere est *vincta fuit*. Placet tamen *juncta* multo magis: ut, *Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit*. In Mediceo autem codice sententia per *haud* adverbium negandi est: ut interrogatio sit per reticentiam, *Cantando tu illum?* Inde adversario adnuente subjungat, *Haud unquam tibi fistula cera juncta fuit*, Inde per alteram interrogationem; *Non tu in triviis*, argumentetur, minime fieri potuisse, ut cantando vinceret.

36. Insanire libet quoniam tibi. Hoc totum omnes fere per interpositionem legunt, & ad Damoetam referri volunt, qui sub sponsione certare velit cum praestantiore. In Longobardico tria tantum verba parenthesi includuntur (*insanire libet quoniam*.) Inde est alterum membrum dimetrum anapaesticum hypercatalecticum, *tibi pocula ponam*. In Mediceo una comma clauduntur verba duo tantum, *Insanire libet*, eadem sententia. Quare Menalcas, si lectionem hanc admittamus, *insanire* de se dixit, qui depositurus sit contra vitulum id, quod adversarius ipse multo majus esse fateatur. Unde Damoetae locus est argumenti a comparatione, quod ejusdem artificis, & ejusdem pene operis & precii habeat pocula, nihil ea tamen ad vitulam. Reliquum est, Menalcam non nisi ex aestimatione sua precium poculis facere potuisse.

38. Quibus torno facili. *Facili* quidem in veteribus omnibus exemplaribus, uno excepto Romano, scriptum est. In eo enim *fragilis* habetur, corrupte satis: nam viti epitheton hujusmodi non convenit, quare *facili torno* legas.

39. Diffusos hedera ve. pal. co. Praeterissem quod corruptissime legitur *haedera* per *ae* diphthong. prima syllaba, nisi me interpellasset adspiratio. Nam qui diphthongum posuere, eam nominis etymologiam secuti sunt, quam imaginatus est Apulejus Grammaticus, *Haederam* ab *haereo* deduci: quum tamen alii ab *Edo*, *es*, dictum velint, quod ea consumet, quibus inhaeserit. Accessisse tamen adspirationem nomini Pontanus putat: ut in quibusdam vocibus, nomen a verbo dinoscatur.

44. Duo pocula fecit. In Longobardico *fecit* cum nota diphthongi scriptum est, nequid a *facio* deteratur. Sed usus per *e* simplex scribit.

48. Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes. Et *spectes* & *laudes*, Conjunctivo modo in omnibus fere legitur exemplaribus. In Longobardico vero *spectas*, & *laudas*. Fatendi forma quippe, *nihil est quod laudas pocula*, id est, quas conditiones, quasve dotes in poculis enumeras. In Mediceo *spectas* tantum ea forma est.

55. Dicite, quandoquidem molli consedimus herba. Ita quidem absque *in* particula praepositiva in exemplaribus aliquot habetur. In nonnullis autem antiquissimis legere est, *quandoquidem in molli:* qui numerus videtur prurire lascivius.

71. Aurea mala decem misi. In Romano codice, familiari quadam mutatione ex *e* in *i* atque ita vicissim ex *i* in *e*, scriptum est *decim* per *i* ultima syllaba. Quod quidem nomen hoc eodem modo scriptum apud Asprum Grammaticum, cujus antiquissimum codicem in manibus habui, pluribus locis observavi, ut puta, *decim* verborum modi, & ita reliqua. Et ita in veteri Liviano Codice, *decim* scribitur. Aetas tamen nostra maluit *decem* enuntiare per *e* utramque syllabam.

72. O quoties et quae. Jam usu inolevit, ut *quoties* veluti *milies*, *decies*, absque *n* littera scribatur. In omnibus tamen codicibus antiquis, quos evolverim, *quotiens* per *ns* scriptum observavi: quibus adstipulatur Caper Grammaticus, ubi dicit, Sine *n* scribenda sunt *milies*, *centies*, *decies*: *totiens*, & *quotiens* quum scribuntur, per *n* scribenda sunt. In cujus sententiam Victorinus etiam descendit, dum ait: *Adverbia vero cum* n *scribenda sunt*, *ut* Totiens, Quotiens.

77. Cum faciam vitula. In antiquis aliquot exemplaribus, *vitula* quidem est ablativo casu. In Romano tamen & in Mediceo *vitulam*. In Longobardico altera manu & atramento apex *a* litterae superadditus. *Vitula* vero legendum ablativo casu recte Servius admonet. *Ambarvalem vero bestiam*, ait Verrius, *quae rei divinae caussa circum arva ducitur: ab iis*, *qui pro frugibus faciunt*. Hujus sacrificii meminit inferius Poëta, ubi dicit: *Et quum lustrabimus agros*. De Ambarvali vero sacrificio plura apud Macrobium legas.

84. Quamvis sit rustica. *Sit* quidem in veteribus aliquot exemplaribus, praesertimque in Longobardico legitur. Sed non displicet, *quamvis est rustica*, quod habetur in Romano codice.

90. Qui Bavium non odit. Hoc quoque nomen pronuntiatione Graeca: per *v* quippe digammon habetur in Romano codice *Vavium*. Ita apud Livium, ubi in vulgatis codicibus Libro VIII. primae Decadis scriptum est, *Vitrubius*, *Bacchus:* in vetusto codice *Vaccus* per *v* digammon habetur: & inferius *Quae Vacci prata* Frequentissime autem apud hunc & alios scriptum, veluti Veteres *Favium* pro *Fabio* dicebant, observatum ab Adamantio. Huic vero malo Poëtae Marco nomen fuit: de quo Eusebius: *Marcus Bavius Poëta*, *quem Virg. in Buc. notat*, *in Capadocia moritur*.

91. Et

91. ET MULGEAT HIRCOS. In Romano codice & in altero perveteri *mulceat* per *c* ſcriptum eſt. In Longobardico, ut omnino diſcernitur, ita quoque legebatur. Verum altera manu & atramento factum eſt, *mulgeat* per *g*. Neque mirum multis in dictionibus *c* pro *g* poſitam eſſe. Quam litteram non fuiſſe longa annorum ſerie apud Latinos: inventam vero a Spurio Carbilio nova forma, & Scaurus, & Victorinus affirmant.

96. REICE CAPELLAS. Servius dicit *reice ca.* proceleuſmaticum eſſe. Antiquique omnes codices *reice* ſcribunt unico *i*. Quique hanc ſcribendi rationem amant, dicunt, ut apud Velium eſt, litteram *i* inter duas vocales per ſe plenam & ſatis ſonoram eſſe: ſed neque quidem eſſe neceſſarium, quum *eicit* ſcribimus, *i*, ratione producendi ſyllabam, geminare: quod ſatis litterae poteſtas ipſa ſibi ſufficiat. In pleriſque vero hujuſmodi Cicero videtur auditu emenſus ſcriptionem, qui & *Aijacem* & *Maijam* per duo *ii* ſcribenda exiſtimavit, ut preſſius & plenius ſonarent. Sed enim quod ad *reice* pertinet, nemo negarit in eo quod eſt *jace*, pro *a* eſſe *i* ſubſtitutum, & *jici* dici neceſſario, cui adjecta praepoſitione, *re*, rejice integrum fit. In quo, *re*, non magis longa, quam in *rejeci*, & in *rejectus* habeatur. Quod ſi duo *ii* in unum coire faciamus, media ſyllaba longa erit neceſſario, quum ſynaereſis fieri non poſſit, niſi in longam. Quare ſi codicum auctoritatem defendere voluerimus, aut dicendum erit primum *i* quod vim duplicis conſonantis habebat, ex regula illa generali expunctum eſſe, aut ſyncopam, *a* littera detrita, factam: atque ita *i* jam vocalem, brevis locum retinuiſſe.

97. OMNIS IN FONTE LAVABO. *Fonte* quidem vetera habent exemplaria, Romano excepto, in quo *fronte* legitur, quod alii viderint. Apud Theocritum ſane, unde locus hic deſumptus, dubio procul *fontis* mentio fit: ait enim αὔριον ὔμμιν πάσας ἐγὼ λούσω Συβαρίτιδ⸫ ἔνδοθι κράνας: quare *fonte* omnino legendum eſt.

98. COGITE OVES, PUERI, SI LAC PRAECEPERIT AESTUS. In antiquis aliquot exemplaribus, cum antiquiſſimo majoris notae, *aeſtas* legitur: quod non placet. *Cogite* vero, quod Servius exponit, *in ovilia colligite*, No. Marcellus, *mulgete*, interpretatur. Subjungit enim Poëta cauſſam cur feſtinandum ſit, ſi lac praeceperit aeſtus: ut nuper, *Fruſtra preſſabimus ubera palmis*. Eadem autem dictione variatum in ſecundo Georgicon eo loco, *Aut gravis incumbens ſcopulis arentibus aeſtas*.

100. EHEU QUAM PINGUI MACER EST MIHI TAURUS IN ERVO. Romanus codex, una cum Longobardico, & aliquot aliis legunt *in arvo*. In aliquot, in quibus *ervo* ſcriptum fuerat, *a* littera ſuperne addita. Sed enim *ervo*, & Columella, & Plinio legumine eo pecus pingueſcere aſſerentibus, magis omnino receptum: & *arvo* neſcio quid otioſum haberet.

101. EXITIUM EST PECORI, PECORISQUE MAGISTRO. Verbum *eſt* in hoc verſu valde inconſtans reperitur apud codices manu ſcriptos. Nam, veluti Plebejus notatus, modo in hanc, modo in illam transfertur Tribum. In Romano enim *exitium eſt*. In Mediceo, & quibuſdam aliis *pecori eſt*. In Oblongo Vaticano, & in Longobardico *magiſtro eſt* habetur. Id, etſi minus vetabat, quin eadem eſſet ſententia, notandum tamen fuit ob ſtructurae varietatem, cujus apud eruditos viros diligentiſſima ſolet eſſe penſitatio.

105. NON AMPLIUS ULNAS. In Romano codice *ullas* ea mutatione, qua nunc quoque vocabula multa *n* in *l* tranſmutant: & *vallus* & *vannus* apud veteres idem eſt, ut in Georgicis oſtenſum.

107. NASCANTUR FLORES. In Oblongo codice, in Mediceo, in Longobardico, *naſcuntur* eſt, fatendi modo. In Romano *naſcantur* conjunctivo.

ECLOGA QUARTA.

SICELIDES MUSAE, PAULO MAJORA CANAMUS. Primum illud non praeteribo, quod loco lemmatis ſcriptum eſt. In Romano codice, SAECULI NOVI INTERPRETATIO. Eadem ſententia, alia verborum ſpecie, in Longobardico, DE INTERPRETATIONE SAECULI NOVI. Mox illud animadvertendum antiquos pleroſque codices, *Sicilides* eadem vocali tribus primis ſyllabis ſcriptum oſtendere: uti etiam in primitivo nomine *Sicilia* ſcriptitamus: quod quidem quam tenue atque exile ſonet, neminem eſſe arbitror, qui non ſtatim animadvertat. Quare longe illi melius mihi ſcripſiſſe videntur, qui *Sicelides* ea euphonia, quam apud Graecos eſſe animadverterant, ſcribendum curarunt: Σικελὸς enim apud eos ſecunda ſyllaba per ε ſcribitur.

2. HUMILESQUE MYRICAE. In Mediceo codice, *humileſque Geneſtae* poſitum eſt. Servius, *Myricae* agnoſcit. Virgultum vero id non multum a *Geneſta* diſtat.

3. SILVAE SINT CONSULE DIGNAE. Ut miſſum faciam *ſylvae* per *i*, quas e ſilentio dictas no-

stri volunt: verbum Fatendi modo positum est in codicibus plerisque antiquioribus. *Silvae sunt consule dignae.*

4. Ultima Cumaei. Veteres plerique codices scriptionem Graecam retinent in vocabulo *Cymaei:* Ita in VI. Aeneidos: *Cymaea sibyla.* Latini tamen libentius *y* in *u* commutarunt, quod in hoc praesertim nomine usu corroboratum est: tam etsi pleraque alia Graece scribere delectamur.

17. Pacatumque reget patriis virtutibus orbem. Quamvis vetustissimi codices aliquot *patris* legunt, magis tamen acceptum *patriis* intelligo.

18. At tibi prima, puer. In Romano codice, *ac tibi*, & ita inferius, ubi *at simul*, *ac simul* habetur: quum tamen in antiquis aliis codicibus *At* utrobique legatur.

25. Assyrium vulgo nascetur amomum. In Longobardico codice legere est, *Assyrium & vulgo:* ut, *Testilis & rapido.* Sed etiam absque particula copulativa oratio ipsa & candida & venusta est. Amomum vero in Assyria tantum nasci tradit Servius: verum id etiam in Media & in Ponto nasci Plinius tradit.

26. Et facta parentis. In Romano codice, *parentum* est, numero multitudinis: quod si placuerit, Servii tolles ambiguitatem super Ephexegesi.

33. Quae jubeant telluri infindere sulcos. In Romano codice legere est, *tellurem infindere sulco:* in Oblongo Vaticano, *sulcis.* Longobardicus, Mediceus, & aliquot alii, vulgatam sequuntur lectionem.

46. Talia saecla suis dixerunt currite fusis. In Mediceo codice legere est, *dixerunt currere*, ut sit, *dixerunt*, pro *edixerunt*, vel affirmaverunt: ea figura, qua dictum alibi, *Donat habere.* Servius tamen imperativum agnoscit *currite.* Neque illud praetereundum est, quod aetate maxime nostra, coeptum est scribi *seculum* absque diphthongo. Cujus quidem scripturae rationem Grammatici nonnulli subjecere, a *sequendo* nomen deductum esse: quum tamen antiquiora marmora *saeculum* per *ae* diphthongum notent: quo itidem pacto in Romano codice scriptum est. In nummis etiam Antiquorum plurimum, per *ae* diphthongum nomen id observes, ut in P. Septimii Getae: *Saecularia*, in Faustinae: *Saeculi felicitas*, eodem modo in plerisque aliis: quamvis in argenteo Othonis, *secul* per *e* solum habetur.

49. Cara deum soboles. In Romano codice *suboles* per *u* prima syllaba: cujusmodi scripturae rationem alibi copiosius recitavimus. Hic illud tantum attingam, quod apud Pomponium Festum, dispositis per litterarum ordinem vocabulis inter *subverbustam* & *subuculam*, vocabulum *suboles* scriptum est: quod nomen ab *olescendo*, id est, crescendo dictum asserit, ut *adolescens* quoque, & *adultus*, & *indoles* dicitur. Lucilius V. *Sive virum suboles, sive est muliebris origo* Virgilius: *Clara deum suboles, magnum Jovis incrementum:* ubi observes illud etiam, quod in vulgatis *cara* scriptum est, in codice eo Festi, *clara* haberi.

51. Terrasque tractusque maris. Sunt antiqui codices, in quibus *terram* unitatis numero legas. Sed multo magnificentius est plurali dicere.

52. Aspice venturo laetentur ut omnia saeclo. In Romano codice, *laetantur* est, indicandi specie, quod magis implet aures, & longe magis movet: dum cuncta oculis subjicere videtur.

53. O mihi tam longae maneat pars ultima vitae. In Longobardico, & in Mediceo, *tam longe* scriptum est. Sed enim *tam longae vitae* casta omnino lectio est: quam Servius etiam agnoscit.

57. Orphei Calliopea. In Romano codice, & in Mediceo, *Orphi* legitur per synaeresim. In aliis *Orphei.* In Longobardico, etiam *Orphei* prius scriptum erat. Inde abrasis litteris factum est *Orphi.* Sane Priscianus hic Graece dictum ait, Ὀρφεῖ Ὀρφῆι, quare vel unico *i* scribendum, aut ita pronuntiandum, ac si unico scriptum esset: ut diphthongi sonus fit, Latinae tamen scripturae ratione servata: quanquam nihil prohibet *Orphei*, dimensione dactyli pronuntiare, quum Dativus sit casus, ut etiam *Lino.* Et apud Graecos ultima brevis est in hujusmodi dativis, ut Δάφνιδι, τῷ χαρίεντι.

59. Pan etiam Arcadia mecum si judice certet, Pan etiam Arcadia dicat se judice victum. Non inficior utrumque versum in Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis, eodem modo legi, *Pan etiam Arcadia:* licet in Romano versus inferior una habundet littera. Sed enim mihi non displicet, quod in Oblongo codice legitur, *Pan deus*, *Arcadia mecum si judice certet: Pan, etiam Arcadia dicat se judice victum.* Magnam enim emphasim habere videtur, *Pan, deus.* Et adverte in hujusmodi lectione inferiore versu, *Pan* suspendendum esse. Si cui vero magis placeat iteratio totius hemistichii, non laboro: nam & ea quoque lepida & suavis est.

61. Matri longa decem tulerunt fastidia menses. *Tulerunt* quidem in Romano codice legitur: in Longobardico, & in Oblongo, *tulerant:* in Mediceo, & aliquot aliis perveteribus *tulerint.* Neque desunt, qui teste Servio *abstulerint* legant. Sed enim Donatus in Eunuchi prologo locum hunc citat, & *tulerunt*, pene ultima

tima correpta legit, ad similitudinem illius Terentiani versus *Postquam aediles emerunt*, ubi necesse est ultimum saltem pedem esse Iambum. Agnoscit & Probus *tulerunt*, & Metaplasmum esse dicit media correpta syllaba, quae natura longa sit. Est & *decim* per *i*, de quo superius.

62. Cui non risere parentes. Non me fugit quo pacto Quintilianus lectionem hanc acceperit, quam hic in numero figuram esse dixerit: quantumque viri peritissimi sibi super hoc loco applaudere visi sint: quae vero in hoc disputent, alii viderint. Nos antiquissima haec omnia exemplaria contulimus, in quibus omnibus scriptum observavimus, *cui* dativo casu. In aliquot etiam *quoi*, Catulliano more, ut alibi, *quoi non dictus Hylas*. Quo de genere scriptionis Quinctilianus, Veteres ante se ait, *cui*, quod tribus jam litteris enotari coeptum erat, *quoi* ad pinguem sonum usos: tantum ut ab illo *qui* distingueretur.

63. Dea nec dignata cubili est. In Romano codice scriptum est *cubilest*, Plautino more. In altero perveteri, *cubili* absque verbo *est*. Sed ea Synaloepha, quae fit in *cubili est*, huic humili generi maxime convenire videtur, & nescio quid suavitatis in eorum auribus relinquere, qui musicis Poëtarum numeris insuerint.

ECLOGA QUINTA.

Convenimus ambo. In Oblongo codice *consedimus* legitur, omnino corrupte. Nam *convenire* huic sententiae congruit.

7. Sparsit labrusca. Usus hic Virgilius genere foeminino, qui genere neutro plurali numero dixit in Culice: *Densaque virgultis avide labrusca petuntur*.

8. Solus tibi certet Amyntas. In Mediceo & omnibus fere codicibus antiquis, *certat* legitur: indicativo modo. Sed in Oblongo, *certet* ut in vulgatis est, & ita etiam est in citato versu apud Arusianum Messum.

9. Quid si idem Phoebum certet superare. In Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus, mutatis dictionibus legitur, *Quid si idem certet Phoebum superare*. Quod parvi momenti est.

11. Aut jurgia Codri. Servius ait, *Orto bello inter Laconas & Athenienses*. At Plutarchus in Parallelis ex Historico Socrate bellum hoc adversus Thracenses ponit, *Codrumque*, uno ex hostibus falce interempto, concitasse alios in caedem suam. Tu quae multa Justinus de *Codri* morte exequitur, videris.

15. Jubeto certet Amyntas. In Romano codice, in Longobardico, & in Mediceo legitur, *Jubeto ut certet*. Sed enim absque *ut*, elocutio venustior videtur bonae eruditorum parti.

20. Extinctum nymphae crudeli funere Daphnim flebant. In Romano codice, quia putabant adspirationem non nisi vocalibus applicari, nomen hoc passim adspiratione, vel sublata, vel translata, post suscripserunt *Dapnhin*. In aliquot absque ulla adspiratione scribitur *Dapnin*, ut in Mediceo habetur. *Daphnidis* porro mortem ex amore provenientem Theocritus late scribit in Ode Thyrsidis. Quod vero hic Quintilius intelligatur sub *Daphnidis* persona, ostendere videtur Horatius, ubi de Quintilio ait: *Nulli flebilior quam tibi Virgili*. Solent enim Poëtae libenter alludere ad amicorum opera, eaque suo ita testimonio apud posteros commendare. Fuit vero Quinctilius hic Cremonensis, de quo Eusebius in libro de Temporibus: *Quintilius, Cremonensis, Virgilii & Horatii familiaris, moritur*.

25. Frigida Daphni boves ad flumina: nulla neque amnem. In Longobardico legitur *ad flumina nulla neque amnem*, absque collisione in quarto pede: quod nescio quid magis miserabile sapit, ea exilitate prolatum, puncti praesertim interpositi suspensione.

26. Libavit quadrupes. In Romano codice passim legitur, *Quadripes* per *i* in pene ultima, ut *bipes*, *tripes*: in usu vero remansit *quadrupes* per *u*, ut ex *continiace contumax*, *aucupium* ex *aucipio*, de quibus alibi.

27. Poenos etiam ingemuisse leones. In Romano codice, legere est *gemuisse*. Sed *ingemuisse* majorem habet vim, & numerus ipse magis delectat.

28. Silvaeque loquuntur. In Romano codice, & in Longobardico *locuntur* per *c*, quia Veteres *q* litteram ignorabant.

29. Armenias curru subjungere tigres. Ita quidem legendum. Sed in Romano codice legitur *Armenia*, puto scriptoris negligentia: reliquae dictiones permixtae sunt, & punctis male distinctae. Est enim *currus ubi jungere tigres*. Quod nonnulli nunc ejus codicis auctoritate moti, exponere volunt hoc ordine: *Daphnis instituit jungere tigres Armenias*: vel, ut in Romano, *Armenia*. In ea quippe provincia, *currus ubi*, scilicet etiam junxit. Sed vulgata lectio catior.

30. Inducere Baccho. *Baccho* passim habetur in impressis codicibus. In antiquis omnibus *Bac-*

Bacchi, ut sit, *Thyasos Bacchi*. In Longobardico ultima littera abrasa est, & *o* repositum, aliena manu, & atramento; videtur vero *Bacchi* fuisse prius. Si tamen malis *Baccho* acquisitive legere, non laboro.

31. Mollibus hastas. In Longobardico, & aliquot veteribus codicibus, *astas* passim legas absque adspiratione. Nomini tamen huic accessit adspiratio ex antiquo usu.

36. Grandia saepe quibus mandavimus ordea sulcis. In aliquot codicibus antiquis legere est, *Saepe quidem mandavimus*. Sed *quibus* receptum magis: *hordea* vero per aspirationem scribendum ex antiquis plerisque codicibus, & ex historia: nam *fordeum* prius dicebatur, inde *f* in *h* transeunte, *hordeum*.

37. Infelix lolium et steriles dominantur avenae. *Dominantur*, in impressis tantum codicibus legi. In antiquis vero omnibus, quotquot habere contigit, *nascuntur* ejus loco positum observavi. *Dominantur* enim, quod numerosius est, omnino habetur in Georgicis, qui stilus supra Bucolicum non nihil extollitur. *Steriles* vero *avenas* dixit ea de caussa, quia frumenti vitium est *avena*, & *hordeum* quoque in eam degenerat, quod quidem vitium soli maxime caelique humore evenire tradit Plinius, libro XVIII. Naturalis historiae, sequentemque caussam esse seminis imbecillitatem, quum diutius retentum est terra, priusquam erumpat. Eadem est ratio si cariosum fuerit, quum feretur. Neque enim inficias ierim, *avenam* esse genus segetis. Sed hoc loco de iis quae degenerant, Poeta loquitur. Haec ideo libuit inserere: quia non satis placebant, quae ponuntur ab interpretibus.

38. Pro molli viola, pro purpureo narcisso. In Romano codice additum est *&*, legiturque, *Pro molli viola & pro purpureo narcisso*. Sed absque ea particula copulativa lectio mihi videtur elegantior. Quod vero sequitur de *paliuro*, quam Servius herbam asperrimam, & spinosam esse dicit, Theophrastus fruticem, Plinius arborem agnoscit, in Cyrenaica maxime regione late provenientem. Nihil tamen prohibet, quin & herba sit, quamvis in Cyrenaica regione ad speciem & magnitudinem fruticis assurgat. Nam & Lotos, herba atque itidem arbor est.

40. Inducite fontibus umbras. Ita pleraque antiqua legunt exemplaria, quod etiam in vulgatis codicibus habetur. In Romano tamen *arat*, non *umbras* legitur, & aliquot exemplaria non *fontibus*, sed *frondibus* habent. Quamvis & alicubi *fruudibus* per *u* sit, ut non invenuste legas, *inducite frondibus arat*. Nam *inducere* vestire etiam significat, ut apud Suetonium in Augusto, *Calceum praepostere inductum* legas. Haec tamen ita dicta sint, ut minime displiceat vulgata lectio, *fontibus umbras*.

46. Quale sopor fessis. In Romano codice, *lassis*: hoc alterum ex his, paraphrasis esse debuit.

59. Dryadasque puellas. In Romano codice *Dryades* Latino declinatu.

60. Nec retia cervis ulla dolum meditantur. In codicibus aliquot antiquis, *malum*, non *dolum* est. Quia vero *retia* positum est, magis placet *dolum*. Crediderim vero *malum*, ab interpretibus κακὰ πράττειν adscriptum, ideo, quia *dolus*, & bonus & malus est: & antitheton sequitur: *Amat bonus otia Daphnis*.

63. Ipsae jam carmina rupes. In Romano cod. *&* copulativa particula inserta est, *ipsae & jam carmina rupes*: quod non placet.

64. Deus, deus ille, Menalca. In Longobardico, & in Mediceo, *ipse* legitur. Sed *ille* majorem emphasin habere videtur.

65. En quattuor aras, Ecce duas tibi, Daphni, duoque altaria Phoebo. Vide an erudite admodum legatur in Longobardico, *Ecce duas tibi Daphni, duas altaria Phoebo*. Ut *altaria* per appositionem legamus: conveniantque omnia cum eo quod dictum est, *En quatuor aras*, postea distinguat, *Ecce duas tibi Daphni*, *duas* autem *Phoebo*, quae tamen *altaria* sint. Illud addam, in antiquis aliquot codicibus, *duo altaria* absque particula copulativa. Hujusmodi vero pleraque invenies numeri variandi caussa poni a Poetis.

68. Craterasque duos statuam tibi. *Duos* quidem in codicibus aliquot veteribus legitur: quanvis in Oblongo, & plerisque aliis, *duas* insolito genere legatur. In Romano tamen, *duo* ad sibilum evitandum, quod *statuam* sequitur. In altero perveteri, dictio abrasa est: *duo* tamen prius fuisse apparet. Et quamvis *duo*, etiam accusativo casu pluralis numeri ultimam corripiat, ut ex eo versu manifestum, *Si duo praeterea tales Idaea tulisset*. hic tamen, tam ratione loci, quam etiam ob consonantes duas, quae subsequuntur, longa esset omnino.

69. Hilarans convivia Baccho. In Mediceo codice, *Hilarans altaria Baccho*. Reliqui omnes *convivia*.

71. Vina novum fundam calathis Arvisia nectar. In Oblongo quidem *infuudam* legitur. Sed id mihi negotium facessit, quod *Arvisia* dictio, nusquam legitur eodem modo in codicibus antiquis. Siquidem in antiquissimo notae majoris, & in Oblongo, *Arusia* legitur. In altero vero perveteri, atque itidem in Longobardico, mediae illae litterae abrasae sunt: ut quid haberet antiqua lectio, non discernas. In Mediceo, *Aerusia* media

media tamen abrasa syllaba legitur. Sunt alii codices, in quibus *Aretusia* legas. Alii, qui corruptius quid ostendant. Quod vero Interpretes, Auctores citant, de *vino Arvisio* in insulae Chii promontorio, cujus etiam Strabo mentionem fecerit: invenio ego apud Auctores Graecos aliquot Ἀρουσίαν eum locum nuncupari: vinumque in ea optimum, Ἀρουσιὸν: eamque esse regionem illam apud Strabonem τραχεῖαν καὶ ἀλίμενον σταδίων ὅσον τριακοσίων οἶνον ἄριστον φέρουσαν τῶν Ἑλληνικῶν. Tametsi in impressis ab Aldo codicibus Ἀριουσία χώρα legatur. Quod nisi pro comperto habeam Latinos vocabulum mutasse, quod in plerisque aliis facere consuerunt, vel *Arsysia* legendum contenderim, ut apud Stephanum est, codicibus Virgilianis praesertim antiquis, vel variantibus, vel manifeste adeo contaminatis. Vel cum Romano codice, & aliquot aliis veteribus, *Ariusia*, prout etiam in Strabonis codicibus vulgatis legitur. Vide tamen Plinianos codices vetustos *l.* 14. *c.* 7. Nam in impressis est: *In summa gloria post Homerica illa, de quibus supra diximus, fuere Thasium Chiumque, ex Chio, quod Arvisium vocant.*

73. Saltantes satyros imitabitur Alphesibaeus. In Romano codice more suo, *Saturos* per *u* scriptum habetur. Verrio enim Flacco, ut hic quoque Veterum opiniones referamus, eadem esse videtur apud nos *u*, quae apud Graecos *υ*. Namque his exemplis argumentatur, *Quod illi dicunt* κύμινον *nos cuminum: quam illi* κυπάρισσον, *nos Cupressum. Illi* κυβερνήτην *nos Gubernatorem, κ enim cum g consentire alibi dictum.* Nec non ex ejusmodi Θησεύς *Thefeus*, Πηλεύς *Peleus*. Quare multi y psilon litteram supervacuam Latino sermoni putavere. *Sed quum quaedam*, ait Scaurus, *Graeca nomina in nostrum sermonem admissa sint, in quibus hujus litterae sonus evidenter exprimitur, ut hyperbaton, & hymnus, & hyacinthus, in eisdem hac littera fungimur necessario. Satyros* igitur eadem ratione per *y* scribemus: Nam & Victorinus ea, quae Graeci per *υ* scribunt, si exigat ratio, per *y* potius quam per *u* scribenda praecipit, ut *Berythus*, non *Beruthus*, *Hylas*, non *Hulas*. Haec ille posuit exempla. Verrii vero Flacci rationem apud Velium Longum videre poteris.

ECLOGA SEXTA.

Inscriptio hujus Idylii in antiquo Romano codice ad hunc modum habet, *Faunorum, Satyrorum, & Silenorum delectatio.*

1. Prima Syracusio. In Romano codice *Syracosio* per *o* in antepenultima legitur: quod etiam Servius adnotavit. In Longobardico, & aliis, *Syracusio*; quod jam ab omnibus receptum est.

2. Nostra nec erubuit sylvas habitare Thalia. In Romano codice, *silvis* legitur, & *Thalea*: ea ratione, qua diximus alibi *ei* diphthongum in *e* longam abire plurimum apud Latinos, vocali praesertim subsequente. Sed enim, ut *Thalia* Graeco sono per *i* scribatur, jam receptum a Latinis.

3. Quum canerem reges et praelia. In antiquissimo codice Romano, *proelia* per *oe* diphthongum legitur, ut in aliquot antiquis marmoribus habetur.

4. Vellit et admonuit. In Longobardico *velit* unico *l* scriptum, ut multa hujusmodi: antiquorum more. In eodem Longobardico, & in Mediceo, *ammonuit* duplici *m*, quod etiam habetur in Oblongo codice: adeo dura visa est illi saeculo pronuntiatio, qua litterae M. D. praejiceretur.

7. Varre, tuas cupiant. In Longobardico, *Vare* semper unico *r* scriptum est, quod jam recipi video: tam etsi Victorinus, quo vitium hoc emendaret, duplici *rr* scribendum praecepe-rit: non secus ac *Arruntium*, *currum*, & *furrum*. Eundem vero esse volunt, quem Horatius *Varium* appellat, *Scriberis Vario fortis, & impiger*. Scribit vero Dion Historicus Quintilium Varum in Germania victoriam adeptum, postea proditum, post magnam cladem ipsummet sibi manum conscivisse. De eodem apud Suetonium in Augusto plura.

13. Chromis et Mnasylus. In Romano codice scribitur *Mnasillus* duplicato *ll*, & per *i*. Praeterea Valerius Probus *Mnasilos* per *os* legit.

18. Spe carminibus ambos luserat. In codicibus antiquis *ambo* legitur, quod magis placet eruditis: & ita scriptum a Virgilio asserit Carisius. Alibique diximus, etiam Oratores eo declinatu libenter usos: quodque nunc succurrit, in Vetusto codice apud Livium legi, in calce tertii Dec. primae, *Praelium fuit, quale inter fidentes sibimet ambo exercitus, veteris perpetuaeque alterum gloria, alterum nuper nova victoria elatum.*

19. Injiciunt ipsis ex vincula sertis. In antiquis omnibus: *Iniciunt*, *i* secunda syllaba minime geminato, ea quam superius attulimus ratione.

21. Jamque videnti. In aliquot antiquis codicibus: *Namque videnti.*

23. Quo vincula nectitis. In antiquis aliquot codicibus, *quid vincula*. Sed id ex paraphrasi, pro *quo*, ad quid.

28. Motare cacumina quercus. *Motare* quidem in antiquis aliis codicibus. Sed in Longobardico, *mutare* habetur. Quod si admittas, *cacumina* montium intelligas: transire quippe arbores de monte ad montem: sequitur enim comparatio ad Orphea, quem arbores secutae, umbram feruntur praebuisse vati: ut in appendicibus Virgilii legitur. Magis tamen placet *motare*, quia de saltatione sermo est.

30. Nec tantum Rhodope miratur et Ismarus Orphea. In Romano codice, & in Oblongo, *mirantur*, verbo numeri multitudinis inter duo singularia posito, Alcmanica figura: quam etiam apud Homerum Porphyrius agnoscit.

38. Altius atque cadant. In Romano codice *utque* legitur: sed *atque* receptum. Summotis nubibus imbris. In Romano codice *summotis ignibus* legitur. Quod significaret, aestate summota, essetque sermo de temporum cardinibus, Vere, Aestate, Autumno, & Hyeme, quae παρὰ τὸ ὕω, hoc est, pluo, nuncupatur: exacta enim aestate imbres solere latius effundi, ita ut omnia plenis rura natent fossis, jam omnibus exploratum est.

40. Rara per ignotos errent animalia montes. In Romano codice legitur *per ignares:* dictionemque hanc Aulus Gellius inter eas recenset, quae passive etiam accipiuntur, pro ignorato quippe, vel ignoto. Quamquam versum illum, qui ab eo citatus est exempli gratia, *Ignarum Laurens habet ora Mimanta*, posse aliter legi suo loco ostendimus, in Castigationibus Aeneidos.

42. Caucaseasque refert volucres. In codicibus aliquot antiquissimis, in Romano, in Mediceo *Caucasias* per *i* in pene ultima habetur, & ita in secundo Georgicon *Caucasio*. Multa tamen ejusmodi libentius per *e* Latini protulere.

43. His adjungit Hylam. *Hylan* per *n* omnia vetera scribunt exemplaria.

44. Ut littus Hyla. Ut taceam *Hula* in antiquis codicibus, de quo alibi, est etiam *quo litus* legere, in aliquot manu scriptis: sed *ut*, omnino melius.

45. Et fortunatam si nunquam armenta fuissent Pasiphaen. In veteribus aliquot exemplaribus omnino *Pasiphen* trisyllabum legas: quod quidem quosdam satis litteratos viros in errorem traxit: quum dubio procul Πασιφάη quadrisyllabum sit.

47. Ah, virgo infelix. Diximus Probum Grammaticum subscribere Romano codici, ne *a*, vel si etiam interjectio sit, cum adspiratione scribatur.

49. At non tam turpes. In Romano, & aliquot aliis plerisque Codicibus, *turpis* Veliano more, de qua scribendi ratione alibi disputatum.

60. Stabula ad Gortynia. In Longobardico, & in Mediceo, *Cortynia* per *c*, ut multi jam scribere coeperunt. Sed Γόρτυν urbs Cretae per *g* scribitur, & apud Stephanum, & in Homeri catalogo. Datur tamen auribus Latinis plerunque *c* pro *g* recipere. Cognatae enim sunt, ut Scaurus ait.

62. Tum Phaetontiadas musco circumdat amarae corticis. Et in hoc quoque nomine multi decepti sunt, quod in codicibus scriptum observassent, *Phaetontiadas*, errore geminato: quanvis non negarim duas syllabas primas in unam coire posse, ubi aliqua necessitas cogat. Notat sane Quintilianus συναλοιφὴν, quam *complexionem* interpretatur, apud P. Varronem: *Quom te flagranti dejectum fulmine Phaeton*. Sed hoc loco non est hujus figurae usus. Observat & *Amarae corticis*, apud eum, qui *medio cortice* dixerit: qui si *amari corticis* hic fecisset, compositione peccasset.

65. Aonas in montes ut duxerit una sororum. In antiquo codice manu scripto legere est absque *in* praepositione, *Aonies montes ut duxerit una sororum*: ut, *Italiam venit*. Sed longe melius est, *Aonas in montes*, ut vulgata habent exemplaria.

66. Utque viro Phoebi chorus assurrexerit omnis. Apud Arusianum Messum legas, *Atque viro Phoebi chorus adsurrexerit*.

74. Quid loquar? aut Scyllam Nisi. In Romano codice, *ut Scyllam* habetur, quod non placet: quamvis poëtarum mos sit interdum fabulas confundere. Id si cui tamen adrideat, *Quid loquar, ut narraverit Scyllam Nisi, aut ut mutatos*. In pastorali enim persona, non dedecet ex duabus *Scyllis* alteram pro altera nominare. Vetustus etiam codex manu scriptus ita legit, *Quid loquar? An Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est*. Vide vero tale aliquid apud Servium. Adde quod *narraverat*, non *narraverit*, in Romano codice scriptum est: sed hoc scriptoris adscripserim inscitiae. Quam fama secuta est. In codicibus aliquot antiquis, *secuta 'st* legitur: ut plerumque etiam in veterum monumentis. Et ita Ecloga decima: *Perque horrida castra secuta 'st*.

81. Supervolitaverit alis. In Romano codice, *supra* legitur, quod scriptoris vitio factum est: *ales*, non *alis*. Legas tamen, *quibus alis:* quippe quae pennatae non sunt, ut aliarum volucrum, unde joco locus in fabulis datus.

86. Jussitque edicere lauros. Sunt veteres codices, in quibus *ramos*, non *lauros*, habetur. Sed longe melius *lauros*, cujusmodi lucus Phoebum addeceat.

ECLOGA SEPTIMA.

A SUPERIORI Ecloga usque ad eum versum, qui incipit, *Naides indigno cum Gallus a. p.* desunt omnes paginae in codice illo antiquissimo majoris notae. Quantum vero ad Idylii pertinet inscriptionem, animadvertendum, in vita Virgilii, quae Donato adscribitur, ubi singularum Eclogarum argumenta, & tituli recensentur, haec corrupte legi: *Septima Pharmaceutria. Octava amores diversorum sexuum, & dicitur Damon.* Ea tu ita restitue: *Septima amores diversorum sexuum, & dicitur Corydon. Octava Pharmaceutria, & dicitur Damon.* Sunt tamen qui pro *Corydone*, *Meliboeum* inscribant.

2. COMPULERANTQUE GREGES CORYDON ET THYRSIS IN UNUM. In antiquo codice manu scripto, *gregem* unitatis numero habetur, ut sit, *Corydon, & Tyrsis compulerant in unum gregem, Tyrsis oves: Corydon capellas.* Sed melius *greges: uterque suum.* Est vero ubi *ovis* legas, sed hoc loco *oves* per *es* dulcius sonare videtur.

6. HIC MIHI DUM TENERAS. In Mediceo *huc* scriptum est, sed *hic* melius, hoc est, eo tempore, quo teneras defendo a frigore myrtos.

13. EQUE SACRA RESONANT EXAMINA QUERCU. In Longobardico prius erat: *Atque sacra*, prout etiam in citato hoc eodem versu ab Arusiano. Sed enim Servius mavult *eque sacra*. In commentariis vero aliquot, *eque cava resonant*, scriptum invenias.

25. CRESCENTEM ORNATE POETAM. In Longobardico, & in Mediceo legere est, *nascentem*: horum alterum Paraphrasis fuit. *Crescentem* vero omnino castior lectio existimatur.

27. AUT SI ULTRA PLACITUM LAUDARIT. In Longobardico legitur *placidum*, quod minime admittimus.

33. SINUM LACTIS ET HAEC TE LIBA, PRIAPE, QUOTANNIS EXPECTARE SAT EST. In pluribus quidem antiquis codicibus legitur *te*. Sed in Oblongo, *tibi*, quippe, *satis est*, vel, *oblata tibi. Sino* vero pro vase, utitur & Plautus in Curgulione: *Invergere in me liquores tuos Sino doctim.* Quod vero Virgilius *liba* genere neutro dixit, Nigidius *libos* genere masculino dicere maluit. *Quot annis*, uti saepe dictum, distinctis dictionibus scribitur in antiquis exemplaribus.

41. IMMO EGO SARDOIS VIDEAR TIBI AMARIOR HERBIS. Oblongus codex ille antiquus, atque alter pervetus expositus, *Sardiniis*, legunt: ut Latina dictio sit, neque quid in syllabis desideretur, quum receptum illud sit: & in medio Tybure Sardinia est. Quod ideo dictum volui, quia in codice Longobardico, & in Mediceo *Sardoniis* legitur, qua forma possessivum id nomen apud Graecos effertur. Quod si admittas, figura erit Synizesis duorum *ii*, quum dubioprocul Σαρδόνιος per *ω μέγα* scribatur; nisi factum sit ea ratione, qua *Sidonium*, ejusdem naturae nomen, corripimus, quanquam καὶ Σαρδῷος Stephano observatum est, & multis adeo locis Virgilius Graeca declinatione & figura utitur.

43. SI MIHI NON HAEC LUX TOTO JAM LONGIOR ANNO EST. Observat Nonius foeminino genere *lucem*, hoc loco dictum a Virgilio, pro die: a Plauto vero in Aulularia, *Luce claro*, virili genere: ita etiam a Varrone, & a M. Tullio denique, libro de Officiis secundo: *Et quum prior ire luci claro non queo.*

48. TURGENT IN PALMITE GEMMAE. In Longobardico *turguent*, *u* post *g* inserta: ita semper in Romano *urguet*, *tinguit* & similia, omnia Attiano more: quem reprobat Caper. Sed de hac ratione scribendi latius in VI. Aeneidos dictum eo loco: *Quibusve urgentur poenis.*

62. FORMOSAE MYRTUS VENERI. Imperite nonnulli huic nomini *Myrtus* adspirant. Ea vero arbor Veneri ea de caussa sacra dicitur, auctore Plinio, quia littora amat: & Venus orta mari fertur: vel quia prodest multis mulierum necessitatibus.

68. FRAXINUS IN SILVIS CEDET TIBI. In Longobardico *cedat*.

69. HAEC MEMINI, ET VICTUM FRUSTRA CONTENDERE THYRSIM. In Oblongo codice, dictionum ordo hoc habet numero: *Haec memini. Victum & frustra contendere Thyrsin.* Vulgata tamen lectio rejicienda non est.

ECLOGA OCTAVA.

PASTORUM MUSAM DAMONIS ET ALPHESIBOEI. Servius ait primam partem, solam amatoris decepti habere conquestionem. Sed enim in ea narratur etiam principium, & origo amoris, qui lo-

eus a Theocrito circa finem tractatur.

4. SUOS REQUIERUNT FLUMINA CURSUS. Verbum *requierunt*, ea loquendi figura, nonnullis negotium facessit. Et *liquerunt*, codices aliquot manu scripti legunt. Verum exemplaria probatiora *requierunt* habent, & eam lectionem agnoscit Servius: quae multum venustatis prae se ferens, inter elocutionum exempla redigitur ab Arusiano.

13. INTER VICTRICES HEDERAM TIBI SERPERE LAUROS. C. Julius, & aliquot alii veteres Grammatici, *laurus* loco hoc agnoscunt, quamvis alibi declinatione secunda, *Et vos o Lauri carpam.* Et: *Illum etiam Lauri, etiam flevere myricae.* Et: *Faciemque simillima Lauro*, dictum a Virgilio minime negent: Ablativum tamen singularem, dativo similem non habere: asserente Plinio, *huic Lauro*, & tamen ab hac *Lauru*, & *Lauruum* facere.

14. DECESSERAT UMBRA. Ita antiqua plurimum legunt exemplaria. Sed in Oblongo codice *discesserat* habetur: magis tamen placet a *decedo* ductum, ut illud: *Et sol decedens:* quanquam ibi quoque varium.

15. CUM ROS IN TENERA PECORI GRATISSIMUS HERBA EST. In Longobardico, & aliis antiquis, non habetur *est*, quod quidem hoc loco praeteritum, nescio quid gratius habere videtur.

16. INCUMBENS TERETI DAMON SIC COEPIT OLIVAE. *Coepit* varie scribitur in exemplaribus antiquis, tam a *capio*, quam ab *incipio*. Sed enim Caper in libello de Elegantiis, *coepit* per *oe* diphthongum, ab *incipio: caepit* vero per *ae*, a *capio* deduci monet. Quam vero differentiam idem inter *oleam*, *olivam*, & *oleum* ponit, jam hic minus receptam videmus, ubi *Oliva* pro arbore dubio procul posita est.

21. INCIPE MAENALIOS MECUM, MEA TIBIA, VERSUS. *Maenalios* ideo dixit, quia quae canunt hic, in Arcadia se aliquando audivisse inferius ostendent.

28. CUM CANIBUS TIMIDI VENIENT AD POCULA DAMMAE. Sosipater Carisius, ubi agit de Soloecismo, eum etiam fieri per genera nominum ait, ut, *timidi venient ad pocula Dammae*, pro, *timidae:* ex quo Horatium proprium protulisse genus constat, *Et superjecto pavidae natarunt aequore Dammae.*

30. SPARGE, MARITE, NUCES. Lege caussam hujus instituti apud Plinium libro XV.

34. PROMISSAQUE BARBA. Quamvis *promissa* minime displiceat, quod eo significatu frequenter apud Latinos auctores inveniatur; in antiquis tamen omnibus codicibus quotquot habui *prolixa* legitur. Eadem autem varietas dictionis ejusdem in codicibus Livianis habetur, libro VII. de secundo bello Punico, *Ad hoc prolixa barba, & capilli, efferaverant speciem oris: noscitabatur tamen in tanta deformitate.* Vetus codex *promissa* legit, & pro *noscitabatur*, *noscebatur.* Sed loco hoc, frequentativa illa verbi speciem sententiam auget.

39. TUM ME JAM CEPERAT ANNUS. In Longobardico codice: *tum jam me ceperat.* In aliquot aliis *acceperat*, & *adceperat*, habetur.

40. POTERAM A TERRA CONTINGERE RAMOS. In Longobardico exemplari, *conjungere* habetur, quod a nemine receptum observavi.

44. ISMARUS, AUT RHODOPE, AUT EXTREMI GARAMANTES. Sunt politioris hujus elegantiae viri studiosissimi, qui locum hunc in antiquo codice legi aliter observarint. Quippe *aut Tmarus aut Rhodope:* ut duorum montium asperitate amoris saevitiam probet: & a loci demum longinquitate, dum infert, *Aut extremi Garamantes.* Nam *Ismaron* urbem esse manifestum, de qua sic Harpocration: ἔςι μέντοι ᾗ πόλις ἐν Θράκῃ Μαρώνεια. ἣν φασιν εἶναι τὴν ὑφ' Ὁμήρε Ἴσμαρον καλεμένην. *Tmarus* autem, qui & *Tomarus* Straboni, mons Dodonis est asperrimus, atque saevissimus, non minus quam *Rhodope* Thraciae. Vulgatam tamen lectionem Valerius Probus, summae diligentiae Grammaticus, in Institutis agnoscit: & inter ea quae apud Latinos quoque *os* brevem finalem syllabam habent, ex eo quoque versu exemplum citat: *Ismaros aut Rhodope, aut extremi Garamantes.* Neque enim quid prohibeat, *Ismaron* tam pro monte, quam pro urbe poni: quod si volunt pro urbe tantum accipi, nihil quicquam sententiam immutabit. *Ismaron* sane Cicones, gens immanis, & inhospitalis, Homero damnata, coluerunt: ad quos Ulyxes, Ilio digressus, primum appulsus est: a quibus male acceptus, coactus est magna trepidatione socios in naves cogere, & quam maxima potuit festinatione sese in altum subducere. Unde Virgilius, quum velit immanitem feritatemque amoris ostendere, illum accolis *Ismari* inhospitalibus comparat. Qui alibi etiam duas eas locutiones in uno versu ponit, *Nec tantum Rhodope mirantur & Ismarus Orphea.*

45. NEC NOSTRI GENERIS PUERUM. In Longobardico, in Mediceo, & aliquot aliis codicibus manu scriptis, numerus in hunc dictionum ordinem mutatus est, *nec generis nostri puerum*, qui ordo etiam apud Servium est.

64. CINGE HAEC ALTARIA VITTA. In Oblongo Vaticano codice *vitta* per *ct:* & ita in aliis quibusdam habetur. In aliquot *vitta*, *tt* geminato; hoc quidem ex consuetudine, alterum illud ex analogia.

69. CARMINA VEL COELO POSSUNT DEDUCERE LUNAM. In antiquis aliquot exemplaribus lege-

legere est, *Carmina & e coelo possunt deducere Lunam.*

74. TERQUE HAEC ALTARIA CIRCUM. In codice Longobardico legitur *hanc*, ut jungatur cum eo, *Effigiem duco*. Sed enim *haec* melius.

78. NECTE AMARYLLI MODO, ET VENERIS, DIC, VINCULA NECTO. Cuperem ego maxime vetus exemplar, unde plerique *nodos* pro *modo* legendum persuaderent. Nam in his antiquissimis codicibus, quotquot prae manibus mihi fuere, *modo* passim scriptum animadverti: quanquam hujus generis figuratos versus alibi etiam apud Virgilium observavi: de quibus suo loco dictum. Quod vero Servium ajunt dicere, versum esse Anapaesticum, trimetrum, hypercatalecticum, metrum Cupidini consecratum, non intellexerunt eum de tome loqui, *veneris dic vincula necto*: quibus tantum verbis id metri genus constat, quod Servius adnotavit: quod si nodos illos huc adnectas, supra etiam Tetrametrum versus exporrigetur: neque Anapaesticus erit.

82. ET FRAGILIS INCENDE BITUMINE LAUROS. In Oblongo codice perveteri, non *Lauros*, sed *Ramos* legitur. Longe magis tamen placet *lauros* ex Theocrito, *πᾶ μοι ταὶ δάφναι*: & interius, *Δέλφις ἔμ' ἀνίασεν ἐγὼ δ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν αἴθω*: quod ita Poëta noster transtulit, *Daphnis me malus urit, ego hanc in Daphnide Laurum*. Sed enim in Longobardico *danis* scriptum est, & *danide*: supra vero *a*, apex quidam tremulus, loco litterae φ situs est: unde in codicibus aliis error eorum, qui notam hujusmodi non intellexerunt.

87. PROCUMBIT IN HERBA. In Longobardico legere est *in ulva*: sed *herba* usitatius.

102. NE RESPEXERIS. In Oblongo codice Vaticano *nec* habetur.

109. PARCITE, AB URBE VENIT, JAM PARCITE CARMINE, DAPHNIS. In Oblongo Vaticano transpositae dictiones, *jam carmina parcite*: quod tantundem est. Sed structura illa suavior, *Parcite, ab urbe venit, jam parcite*. In Mediceo per verbi reticentiam legere est, *Parcite, ab urbe domum, jam parcite carmina, Daphnis.*

ECLOGA NONA.

5. QUONIAM SORS OMNIA VERSAT. In antiquis aliquot codicibus *fors* legitur: quod omnino tantundem est.

6. QUOD NEC BENE VERTAT. In Oblongo codice numerus hic Iambicus hemistichius est, *quod nec vertat bene*.

8. MOLLIQUE JUGUM DEMITTERE CLIVO. In antiquis aliquot codicibus *dimittere*. Sed hoc ex vicissitudinaria illa mutatione, qua *i* in *e*, & *e* in *i* passim abire videmus. Nam hoc loco sententia poscit, ut *demittere* legatur per *e*.

9. USQUE AD AQUAM ET VETERIS JAM FRACTA CACUMINA FAGI. Citatur a Quintiliano versus, apud quem non uno in codice scriptum animadverti, *Veteris confracta cacumina fagi*. Sed minime displicet *veteris jam*, aut *jam fracta*. Utrique enim ea particula adcommodari potest.

10. OMNIA CARMINIBUS VESTRUM SERVASSE MENALCAM. Ut dictum superius, *Menalcan* per *n* in veteribus codicibus habetur. Hic vero est allegoria sine translatione, ut Quintilianus ait libro VIII. Institutionum. Omnia enim propriis decisa sunt verbis, praeter nomen. Non enim pastor Menalcas, sed Virgilius est.

26. NEC DUM PERFECTA. Codices aliquot antiqui *nondum perfecta* legunt: sed *nec dum* magis acceptum.

31. DISTENTENT HUBERA VACCAE. Sunt codices antiqui in quibus *distendant* legitur: sed *distentent* pleniorem ostendit hubertatem.

ECLOGA DECIMA.

10. NAIADES. Ita quidem exemplaria quaedam habent: sed in perveteri exposito codice, & in Romano, & in Longobardico *Naides*, & id recte. Valerius enim Probus, ubi de nominibus *is* pura terminatis agit, eodem modo poni dicit, *Lais Laidis*, *Thais Thaidis*, *Nais Naidis*: Virgilium tamen poëtice *Najades* declinasse eo loco, *Aegle Naiadum pulcherrima*. INDIGNO CUM GALLUS AMORE PERIRET. In Romano codice *peribat* legitur: quod Theocritianae respondet figurae, *Πᾶ ποκ' ἄρ' ἦσθ' ὅκα Δάφνις ἐτάκετο, πᾶ πόκα Νύμφαι*. In Longobardico tamen est *periret*. Recte vero poëta argumentum hoc accommodavit Gallo, quod de sponte moriente Daphnide Theocritus decantavit: Cornelium enim Gallum primum Aegypti praesidem, post eam in provinciam ab Au-

Augusto redactam, ipsum sibi mortem conscivisse superius ostendimus, ex Eusebio: quamvis Servius eum ab aliis occisum dicat. Accedit Eusebio Ovidii etiam testimonium, ita dicentis in epithaphio Tibulli:

> *Tu quoque, si falsum est temerati crimen amici,*
> *Sanguinis atque animae, prodige Galle, tuae.*

Quod vero Cornelius Gallus passim scribitur, observes apud Strabonem libro tertio *Aelium Gallum*, trunca dictione scriptum.

11. NAM NEQUE PARNASSI VOBIS JUGA. Quamvis Παρνασσὸς duplici σσ passim apud Graecos scribatur, antiqua tamen omnia exemplaria *Parnasi* legunt unico *s*: quod nemo mirabitur, si legitur apud Vel. Longum: *Veteres neque quidem in his, fuisse, ivisse, abesse, & similibus ss geminasse*, adeo putabant eam litteram, vel unicam satis per se sonare.

12. NEQUE AONIA AGANIPPE. In Longobardico *Aoniae*, cum diphthongo in ultima. In altero perveteri codice abrasa est ultima syllaba. Sane *Aonia Aganippe* utrumque Servius nominativi casus esse dicit. Quibusdam vero, tametsi non improbent *Aonia*, nihil absurdum videtur: ut qui dixerat *Juga Pindi & Parnassi*, dicat etiam eadem figura, *Aganippe Aoniae*: sique hoc genitivi casus, ne versus adeo elanguescat. Sed enim *Aoniae Aganippes* legendum esse indicat Probus, qui loco hoc dicit geminas vocales ab una excipi, adeoque syllabam ultimam in *Aoniae* non elidi, sed communem fieri: produci vero subsequente vocali brevi, corripi si longa excipiat: ut eo loco, *Insulae Ionio in magno*. Hujus sententiae Sosipater etiam subscribit.

13. ILLUM ETIAM LAURI, ETIAM FLEVERE MYRICAE. In Romano codice legitur, *Illum etiam lauri illum flevere*. In Longobardico, una plus dictione pleniore versu, est, *Illum etiam lauri illum etiam flevere myricae*, idque ter repetitum cum *pinifer illum* etiam majorem habere movendi vehementiam videtur: quamvis non displiceat, *illum etiam lauri, etiam flevere*: quod ea exilitas propria sit, & Bucolici characteris, & personae miserabiliter aliquid deplorantis.

19. VENIT ET UPILIO. Quamvis Servius poëtam Graeco schemate usum dicat, ut apud Homerum οὔλυμπον, ὄλυμπον, & similia: antiquissimus tamen codex Longobardicus, neque non Mediceus *opilio* legunt per *o*, syllaba prima. Idque Caprum grammaticum sollicitum habuit, qui dictionem hanc per *o* vocalem quartum, non per *u* scribendam esse praecipit. TARDI VENERE BUBULCI. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis *subulci* legitur. Sed enim si figura respondet Theocritianae sententiae, quae est, ἦλθον τοὶ βῦται τοὶ ποιμένες ᾠπόλοι ἦλθον, dubio procul *bubulci* legendum est, quibus & epitheton *tardi* convenit, quum praecipue ingressus boum, tarditate notetur.

20. UVIDUS HIBERNA VENIT DE GLANDE MENALCAS. In Romano codice *umidus*, & absque adspiratione, uti mos ejus est in plerisque aliis: nam & *umor* in eodem codice sine adspiratione scribitur, quod sive ab *humeo*, sive ἀπὸ τοῦ ὕω descendat, adspirationem omnino recepit. Loco vero hoc, *uvidus* casta lectio.

33. O MIHI TUM QUAM MOLLITER OSSA QUIESCENT. In codicibus aliquot antiquis, omnino *quiescent*, indicativo modo habetur. Sed quod in Romano codice, & in Mediceo, *quiescant*, optandi modo legitur, longe magis placet.

52. INTER SPELEA FERARUM. In Romano codice absque diphthongo *spelea*, veluti etiam in veterum monumentis, non uno loco, neque una aetate scriptum observes, ut illud Romae, in B. Mariae Transpontinae:

> SACERDOS DEI BROTONTIS ET HECATE HOC SPELEUM CONSTITUIT.

Huic, reliquis praeteritis, illud addam, ex oppido Ficulli Dioc. Urbevetanae:

> SOLI INVICTO MYTHRAE TIBERIUS CLAUDIUS FILIUS THERMODORUS SPELEUM CUM SIGNIS ET ARA CAETERISQUE VOTI COMPOS DEDIT.

59. TORQUERE CYDONIA. In Romano *cydonea*. Et ita in Oblongo perveteri.

62. NEQUE CARMINA. In Romano codice, & aliquot aliis *nec* habetur.

64. NON ILLUM VESTRI POSSUNT MUTARE LABORES. In codice ant. *nostri*.

69. OMNIA VINCIT AMOR. In Romano *vicit*. Sed praesenti tempore plus dicit.

75. SURGAMUS, SOLET ESSE GRAVIS CANTANTIBUS UMBRA. JUNIPERI GRAVIS UMBRA, NOCENT ET FRUGIBUS UMBRAE. In cod. aliquot antiquis totus ille versus, *Juniperi gravis umbra, nocent & frugibus umbrae*, desideratur. Sed enim & numerus ipse, & figura, & repetitio, collectioque, pastoralis adeo videtur, ut non sine invidia demi possit.

JO. PIE-

JO. PIERII VALERIANI

CIVIS ROMANI

CASTIGATIONES

IN

GEORGICA VIRGILII.

QUO SIDERE TERRAM VERTERE, MECOENAS. Hoc primum observatione dignum in hac parte visum, quod *Mecenatis* nomen (id enim oculis statim oblatum) varie scriptum apud auctores fere omnes inveniebam: dum alii *oe* diphthongo, alii *ae* scribunt: neque prima an secunda syllaba sit diphthongus ea notanda inter eos convenit. Sane vero in Ro. codice, passim prima syllaba per *ae* diphthongon scripta. In aliquot aliis per *oe*. Usus tamen nonnullorum etiam bene litteratorum obtinuit, ut secunda per *oe* scriberetur; quod quidem qua sit ab eis ratione factum, viderint ipsi. Ego enim in veterum monumentis, quaeque in hortis Maecenatis eruta sunt, nomen id per *ae* diphth. prima syllaba, per *e* simplex secunda, scriptum observavi. Sic enim in eo frusto, quod nunc in hortis Colotianis visitur, habetur:

PERMISSU C. MAECENATIS.

Quod si demum eo ventum est, ut nostrorum quoque nominum rationes a Graecis repetere cogamur, apud eos Μαικήνας scriptum invenimus per αι prima syllaba, & per ἦτα media; quare cum Ro. codice *Maecenas* ego potius scripserim.

3. QUAE CURA BOUM, QUIS CULTUS. In Romano codice, in Longobardico, in Mediceo, & aliquot antiquis, *qui cultus* legitur.

4. SIT PECORI ATQUE APIBUS QUANTA EXPERIENTIA. Antiquiores omnes codices, quos viderim, Romanus quippe, Oblongus Vaticanae bibliothecae, Mediceus, & plerique alii, versum hunc absque conjunctione *atque* ponunt: ut eo modo legatur absque synaloepha, quo etiam versus ille, *Orchades, & radii, & amara pausia bacca*: Et: *Ter sunt conati imponere Pelio Ossam*. Et: *Stant & juniperi, & castaneae hirsutae:* ita in iis codicibus scriptum est, *Sit pecori apibus quanta experientia parcis*. Tam etsi nonnulli sunt ex eruditis, qui loco hoc tolli *atque* minime velint, ne ipso statim operis initio vetus incipiant (quod ajunt) elanguescere. Sed enim hos mihi futuros aequiores puto, quum animadverterint, Virgilium dictionem hanc ipsam *pecori*, absque synaloepha saepius posuisse: ut in Bucolicis: *Et succus pecori, & lac subducitur agnis*. In hoc ipso opere: *Arcebis gravido pecori, armentaque pasces*. Quibus fere omnibus locis in codice Longobardico addita est *que* tantum particula, ut hoc loco legitur, *sit pecorique*. Quod qui legerunt, quum encliticae non esse locum animadverterent, compositam conjunctione illam inculcarunt. Neque tamen hoc ita dixerim, ut prohibere velim, ne unusquisque suo satis ingenio faciat.

5. VOS O CLARISSIMA MUNDI LUMINA LA. COE. QUAE DU. AN. LI. ET AL. CE. In Oblongo antiquo cod. *qui* legitur, scilicet *Liber & alma Ceres*. Quamvis non imperitos esse plerosque scio, qui Solem & Lunam, de quibus ait Virgilius, *Vos o clarissima mundi Lumina, labentem coelo quae ducitis annum*, sejungunt a duobus Diis, qui subsequuntur, *Liber & alma Ceres:* in qua lectione prajectum esse punctum volunt: quod ideo crediderim ab eis assertum, quia forsan apud Varronem observaverint, de Diis his factam separatim mentionem, apud quem ex duodecim agricolarum Diis, Juppiter, & Tellus invocantur primo: Secundo, Sol & Luna: Tertio, Ceres & Liber. Sed enim qui apud Orpheum legerint, Ἥλιον ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσιν; & apud Euripidem, & Aristotelem, eundem Solem & Bacchum esse; id quod & Eusebius, & Macrobius, & plerique alii, qui saxum hoc volvere conati sunt, tradidere: dum Dionysum, eundem & Bacchum, & Liberum num-

nuncupant: igneam Solis vim quae fructus maturat, interpretantes, facile persuasum habere poterunt, intellectum a Virgilio, ut, *Liber & alma Ceres* ea sint *clarissima mundi lumina*, *labentem coelo quae annum ducunt*. Sed ut ad rem nostram revertamur, codices alii, *quae* legunt; scilicet lumina.

14. Cui pinguia Caeae. Impressi omnes cod. quos viderim *Caeae* scribunt *ae* diphthongo utraque syllaba notata. In Romano *Ceae* per *e* longam in pene ultima ex mutatione diphthongi *ει*, quae fuerat in dictione Graeca Κεῖος, Κεία, Κεῖοι: ut in nomine Αἰνείας nos *Aeneas*: & in κιχώριον, *cicorea* pene ultima longa. Horatius: *Me cicorea levesque malvae:* qui versus est dactylicus Alcmanius. Licet vero nomen hoc, quo de agitur, apud Graecos multipliciter & scribatur, & formetur, quippe resoluta diphthongo Κέϊος, Κέως, Κέος per geminum *οο*. & Κέως ultimo in *ω μέγα* mutato: & Κάϊος, & Κάος bisyllabum: quam inscriptionem ex itinerario Urbani patrui mei ita notatam excerpsi, ΚΩΙΩΝ ΠΟΛΕΟΣ; & alibi: Α ΒΟΥΛΑ ΚΑΙ ΔΑΜΟΣ ΤΗΣ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ ΚΩΙΩΝ ΠΟΛΕΩΣ; & in argenteo nummo, quem apud Lycinium Arnutium contubernalem meum vidi, Cancer est cum inscription: ΚΩΙΩΝ, inferne: ΛΕΥΚΙΠΠΟΣ: ubi tamen ΚΑΙΟΣ, aut ΚΑΙΑ, per ΑΙ scribatur, apud Graecos nondum inveni. Romanos vero solitos *ῳ* diphthongum impropriam in *oe* vertere, multa indicant vocabula: Comoedia ex κωμῳδία, & similia. Quare vel *Coeae* per *oe* diphthongum, vel per *e* longum, ut in Romano habetur codice, *Ceae* scribendum.

22. Quiq. novas alitis non nullo semine fruges. In Ro. codice perperam est, *non ullo de semine*, quod alibi *nullo de semine* habetur: ut sui quoque Genii statuantur iis, quae sponte sua veniunt, quarumque semina nobis sunt incognita. Nam de iis quae feruntur, statim subdit: *Quique satis largum coelo demittitis imbrem.* Servius *nonnullo* agnoscit, & pro aliquo interpretatur. Utra cui lectio magis placuerit, non laboro.

24. Quem mox quae sint ha. deorum concilia. Veteres plerique codices, *consilia* per *s*, scribunt. Grammatici distinguunt: & hoc significato malunt *concilia*. Neque vero praetereundum videtur, quod loco hoc, *mox* pro cito positum ait Gnifo, Carisio teste. Quod alii paulo post volunt, ut Terentius: *Nam ut mox revertere.*

30. Tibi serviat ultima Thule. Sane nomen hoc per *θ* & *ϋ* diphthongum scribitur: nonnunquam tamen priore vocali ex diphthongo dispuncta, *Thyle* scriptum invenies: ut habetur in Ro. codice. De hac adverte Strabonis verba, male a quibusdam interpretata, ita legi debere: *Hanc siquidem super omnes fama vulgatat, magis atque magis ad Septentrionem expositam locant.*

32. Anne novum tardis sidus te. men. ad. Sunt aliquot antiqui codices, in quibus *atq. novum* legitur: ut in Oblongo Vaticanae bibliothecae. Sed longe melius *anne*. Quia posita quaestione, sitne terris imperaturus, an Deus immensi veniat maris; quaerit demum an tertiam mundi sedem, quippe coelum, sit habiturus. Duos vero signat in coelo locos Caesaris apotheosi destinatos, ut nostro illuceat orbi; si quippe sedem aut ad polum arcticum, aut ad aequinoctialem statuerit: minime vero vult eum antarcticum incolere; quem polum sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.

34. Jam brachia contrahit ardens Scorpius, et coeli justa plus parte relinquit. In Romano codice *scorpios* scriptum est per *os*, voce Graecanica. Nam & in vocabulis Graecis hujusmodi desinentiam veteres adamasse ostensum saepius. Sane vero Probus Valerius hic *Scorpios* agnoscit: dum in artium Institutis, hoc ipso loco teste, corripi in nonnullis nominibus *os* in recto probat. In eodem Romano codice *reliquit* est, tempore praeterito, quasi olim numen illuc praesenserit accessurum. Sed melius praesens, ut *contrahit*.

36. Nam te nec sperent tar. re. In Romano *sperant*. In Longobardico *jam te*. Quia scilicet jam decretum sit te apud superos futurum. Sed vulgata lectio, *Nam te nec sperent*, in longe pluribus habetur exemplaribus.

38. Quamvis elysios mi. grae. cam. In Mediceo codice, in Longobardico, & quibusdam aliis *Elyseos* per *e* in pene ultima scriptum est. Ut ex αἰθέριος, *aethereus*: quae mutatio Ionum more placuit majoribus nostris. Nunc autem *aetherius* per *i* scribitur a plerisque, & ab omnibus *Elysios* eadem vocali.

52. Ac patrios cultusque habitusque locorum. In Oblongo Vaticanae bibliothecae codice *cultus habitusque* legitur: particula *que* semel tantum posita in Longobardico, quae post *cultus* adscripta erat, abrasa est. Vetera exemplaria reliqua *cultusq. habitusq.* legunt: & particula illa, utrique vocabulo adjecta, versui decorum & gravitatem addere mihi videtur.

53. Et quid quaeq. ferat regio, quid quaeque recuset. In nonnullis antiquis codicibus legere est, *quid ferre recuses*. Quod ego crediderim ex paraphrasi desumptum.

54. Hic segetes, illic veniunt felicius uvae. Antiquos admodum codices vidi, in quibus versus hoc numero legitur, *Hic segetes veniunt, uvae felicius illic.* Sed enim vulgata lectio magis aures implet, & longe suavior videtur.

55. Atque injussa virescunt gramina. In

In Longobardico exemplari abrasa est dictio *injussa*, ejusque loco repositum *invisa*: sed *injussa*, omnino lectio castior est: quam & Servius agnoscit.

59. ELIADUM PALMAS EPIROS EQUARUM. In Longobardico, & plerisque aliis codicibus, *Epirus* per *us* legitur, Latina terminatione. In Romano, *Epiros* per *os*, ut Graece: & ita legendum Servius censet. Praeterea cur *equarum* potius foeminino genere, quam *equorum* masculino dixerit, quaerit Probus. Sed in reddenda ratione, quid sibi velit, difficulter intelligas, adeo omnia ejus scripta mutilata sunt: licet vero dicat corpora praecipue matrum legenda, ex quibus sobolem tollas: non satis ad sententiam facit. Quare legas apud Plinium de equis, *Scythas per bella foeminis uti malle, quod urinam cursu non impedito reddunt*: ad quos respexisse crediderim Virgilium, quum hic praesertim de cursu & velocitate loqui videatur.

66. PULVERULENTA COQUAT MATURIS SOLIBUS AESTAS. In Romano codice legere est, *maturis frugibus*. Servius *solibus* agnoscit, cum aliis plerisque codicibus antiquis.

67. AT SI NON FUERIT TEL. FOE. In Longobardico *&*; sed *at* melius.

73. AUT IBI FLAVA SERES MUTATO SIDERE FARRA. In Romano codice *mutato semine* legitur: sed *sidere* agnoscit Servius, quum tamen nulla sit caussa cur *semine* sit expungendum: quum statim Virgilius ea connumeret semina, quibus far inde succedere sit ex fertilitate, & quae contra, seminata prius, campum adurant. Sed enim reliqui codices omnino *sidere* legunt.

74. UNDE PRIUS LAETUM SILIQUA QUASSANTE LEGUMEN. Quamvis Servius *laetum* agnoscit: vide tamen an recte in Romano codice *lectum* legatur. Ut ibi ferenda farra dicat, unde prius legumen legeris. Verbum vero *sustuleris* Viciae tantum & Lupino serviat.

82. REQUIESCUNT FOETIBUS. In Romano codice *requiescent fetibus*, futuro tempore scriptum, in aliis praesenti.

88. EXUDAT INUTILIS HUMOR. Dum interim aliquid occurrat, quod majoris alicujus momenti sit, non pigeat de ratione scribendi aliquid disputare, ubi praesertim ea sese offerunt, in quibus aliqua manifesta mutatio facta sit: cujusmodi ea est, quae in hoc verbo *exudat* apparet. Nam nostri fere omnes, ubicunque *ex* praepositiva particula, cum dictione aliqua, quae ab *s* littera incipiat, componatur, *s* ipsam excludere coeperunt, offensi scilicet sibilo, quem ex pronuntiato vocabulo resultare dicunt, duabus vix dictionibus *exsul*, & *exspecto*, in quibus *s* non elidatur, designatis. Sed enim antiqui scriptores non modo composita in sua incolumitate conservarunt, ut *exsudat*, & alia hujusmodi: verum etiam ipsi litterae *x*, quotienscunque occurrit, vel in simplicibus nominibus, de industria *s* addere gaudebant. Hinc *felixs*, hinc *Alexsander*, hinc *Cappadoxs*, & pleraque hujusmodi, quae passim in veterum monumentis observantur. Quae quidem consuetudo quum plurimum invaluisset, compulsus est Terentius Scaurus adversum hos praecepta tradere: eosque peccare ait, qui *nuxs*, & *truxs*, & *feroxs* in *s* novissimam litteram diligunt: quum alioqui duplex sufficiat, quae intra se & *s* litteram habeat. Sane vero qui genus hoc scriptionis innovarunt, credidere nimirum figuram nostrae litterae *x* eam esse, quae apud Graecos pro *ch* figuratur χ, & ad sonum, quem audiebant, necessariam esse litteram *s* existimarunt. Si quis enim scribat *truchs*, & *nuchs*, eodem pene sono excipientur, ac si *trux*, & *nux* per *x* scripta enuntientur. Sed fuerit sua cuique aetati consuetudo, nostris placuit, ea simplicia nomina, per *x* tantum adnotare. Composita vero non ubiquequaque ejusmodi regulae subjiciuntur; sed pleraque *s* retinuerunt, ut appareret originatio. Quare si modo *exsudat* scripserim, ut veteres pene omnes codices habent, neque ullius pronuntiationis harmoniam me offendisse crediderim, neque alienum quid a scribendi usu protulisse.

98. RURSUS IN OBLIQUUM VERSO PRORUMPIT ARATRO. Veterum bona pars codicum *perrumpit* legunt: quod sententiae videtur adcommodatius. Sed in Mediceo, nota illa quae *pro*, significabat, abrasa est; & *p* littera alio atramento inferne recisa, jam *perrumpit*, facit. Sunt etiam exemplaria, quae *oblicum* per *c*, scribunt: exemplo jam antiquato, licet ad hanc diem in Italia populi sint, qui *q* litteram nondum admisere.

102. NULLO TANTUM SE MOESIA CULTU. In Romano codice, & in altero perveteri *Mysia* per *y* prima syllaba scriptum est, veluti apud Stephanum Μυσία χώρα καὶ πόλις. Quod vero passim scribi coeptum *Moesia* per *oe* diphthongum, a Servio defluxit; qui civitatem a regione ea scriptura distingui tradidit.

106. RIVOSQ. SEQUENTES. In Romano codice legere est, *Rivosque fluentes*: sumptum id nimirum ex paraphrasi.

108. ECCE SUPERCILIO CLIVOSI TRAMITIS UNDAM ELICIT. In Romano codice *eligit* scriptum, ea scilicet cognatione quae intercedit inter *g* & *c*: quum *elicit*, omnino sit casta lectio.

120. ET AMARIS INTYBA FIBRIS. Scribendum *intuba* per *u*, ex antiquis plerisque codicibus tam Virgilianis, quam Plinianis: Latina enim dictio est, neque admittit *y*, nisi quantum Graeci sic *u* nostrum breve ea solent nota figurare. Sed de

de hoc plura in quarto Georgicon.

126. Nec signare quidem. In Romano codice *ne signare quidem*, legitur; una minus littera.

133. Extunderet artis. Antiqua aliquot exemplaria *excuderet* legunt: eaque dictio, nescio qua prius abrasa, in Longobardico codice superinducta. Sed enim *extunderet* in probatioribus codicibus, Romano, Mediceo, & aliis habetur.

135. Et silicis venis. Antiqua omnia exemplaria, quae prae manibus fuere nobis, *Ut filicis* legunt: tam etsi non displicet *Et*, ut illi membro cohaereat, *Et sulcis frumenti quaereret herbam.*

144. Nam primi cuneis scindebant fissile lignum. In Mediceo codice & aliquot aliis antiquis, *nam primum* habetur. In Romano *scbindebant*, quod sono asperum videatur, per *ch*, & hic & alibi scriptum, quod verbum id σχίζω Graece dicitur per χ litteram densam: alii *scindo* malunt ἀπὸ τοῦ σκιδάζω dici: & idcirco adspirationem non adponunt: atque ita omnino mollius enuntiatur.

145. Labor omnia vincit. In Romano codice *vicit* legitur, specie perfecta. Nam & *Venere artes*, dixerat. In Mediceo *vincit* est: sed litterae *n* subditum est punctum, quod eam indicet expungendam. Utcunque tamen legas, parvi est momenti.

149. Deficerent silvae. In codicibus nonnullis admodum vetustis *defuerant* legitur: sed *deficerent* magis placet.

150. Ut mala culmos esset rubigo. In Romano codice, & hic, & alibi *robigo* per *o* prima syllaba scriptum est. Unde Robigalia sacra, Robigo deo instituta, a Numa anno regni sui xi. ut auctor est Plinius.

151. Horreret in arvis Carduus. In antiquis aliquot codicibus *carduos*, ut sexcenta hujusmodi exempla io veterum monumentis.

154. Et steriles dominantur avenae. Hic suum habet locum *dominantur*, quod in Bucolicis *Nascuntur*, ex antiquis codicibus legi diximus.

155. Quod nisi et assiduis. In Romano codice *adsiduis*, idque perperam scriptum ex Carisii sententia. Quod vero sequitur, terram insectabere rastris, in Mediceo codice *herbam insectabere* scriptum est.

158. Frustra spectabis acervum. Ut missum faciam *acervom* ex antiquis codicibus, in Mediceo non *spectabis*, sed *exspectabis* habetur. Id enim spectandi auget significatum.

166. Et mystica vannus Iacchi. In Romano codice *mustica vallus* legitur. *Mustica* quidem, ut alibi dictum, mutatione τοῦ υ, in *u*: quia veteres, peregrinas litteras abhorrebant. Eodem modo in antiquo Liviano codice, *Corcuram* pro *Corcyram* legitur, & hujusmodi pleraque. *Vallus* vero ex Varrone est, apud quem *Vallus*, quae apud alios *Vannus*. Et in libro de Lingua Latina a volatu dictam asserit, quod, quom id jactant, volant inde levia.

167. Provisa repones. In Mediceo codice, *repouas* per modum imperandi.

175. Exploret robora fumus. In Romano codice, & in Oblongo vetustissimo, *explorat* legitur: ut cum *caeditur*, pro *caedatur*: altera tamen lectio non rejicitur.

177. Tenuisq. piget cognoscere curas. In Oblongo cod. *causas* habetur.

178. Area cum pri. ingenti est aequanda cylindro. In Mediceo cod. & plerisque aliis veteribus, versus is ita legitur, *Area cum primis ingenti aequanda cylindro*, absque *est*. Vide vero apud Aulum Gellium libro xvii. cap. secundo, *Sicut cum primis, pro in primis dicebant.* Ad haec Carisius soloecismum esse transmutatione qualitatis in praepositionibus ait, ut in hoc versu, ubi *cum primis*, pro *quom in primis* positum sit.

181. Tum variae illudunt pestes. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis, *illudant* habetur: quanquam noo displicet *illudunt*, ut vertatur alio sermo.

182. Posuitq. domos. In Longobardico codice, *domus* est, ut quartae sit declinationis, quod etiam apud oratores habetur: ut in veteri codice Liviano lib. tertio primae Decadis, ubi de Quinctii triumpho: *Epulae instructae fuisse dicuntur ante omnium domus.* Sed enim verborum invitatus propinquitate, praeterire non possum, quod statim subsequitur, in eodem antiquo exemplari: *Epulantesque cum carmine triumphali, ex solemnibus locis comessantium modo, currum secuti sunt.* Vulgata exemplaria nescio quos *solennes jocos.*

185. Populatq. ingentem farris acervom Guroulio. In Mediceo codice non habebatur *que* particula, quae superne addita est aliena manu. Ante vero *populat*, punctus est, qui periodum claudit. Qui vero syllabae timuerunt, *que* illud, ut saepe alibi, addiderunt. Scribendum vero per *c*, *Curgulio*, licet *g*, audiatur: ut in *Cajeta*, *Cajo*, & aliquot aliis.

191. At si luxuria foliorum exuberat umbra. In Mediceo codice, *exuberet* conjunctivo modo legitur. In Romano codice, *luxuriae*, quod ego prius fuisse crediderim *luxurie*, a nominativo *luxuries*. Plinius Secundus Sermonis dubii libro sexto, ut apud Carisium legimus, in iis quae recitat ex Caii Julii Romani Analogia: *Amicities*, ut *planicies* (inquit) *luxuries*, *mollicies*, *& similia: veteri dignitate. Caeterum rationis via debet amicicia dici.* In reliquis sane codicibus *luxuria* legitur.

192. NE QUICQUAM PINGUIS PALEAE TERET AREA CULMOS. In Romano codice, & in Mediceo *palea terit* legitur. Et *palea* ablativum non temere agnoscit Servius.

203. ATQUE ILLUM IN PRAECEPS PRONO RAPIT ALVEUS AMNE. In Romano codice *trabit alveus* legitur: quod puto sumptum ex paraphrasi aliqua: quum Mediceus, & reliqui *rapit* habeant. Est & *amni* in antiquis codicibus frequentissimum, & grammaticis antiquis Carisio, & aliquot aliis agnitum. Legitur etiam, *Atque illum in prono praeceps rapit alveus amne:* quod nequaquam approbatur.

208. LIBRA DIE SO. Q. PA. U. F. HORAS. In Romano codice scriptum est, *libra diei*, per *ei* diphthongum. In reliquis *die*, veteri declinatione, quae genitivum per abjectionem *s* litterae enuntiare solebat, ut quaedam apud Graecos. Cujus sententiae fuisse Valerium Probum comperio: Sallustiumque declinationis hujusce modum non adspernatum, qui scripserit: *Dubitavit acie pars:* &: *Vix decima parte die.* Veluti Horatius: *Constantis juvenem fide Gygem:* & Ovidius, ubi de Tereo: *Utque fide pignus dextras utriusque poposcit.* Ita etiam in Rosa, quae Maroni adscribitur (quae cujuscunque fuerit, & docte est & luculenter scripta) *Ad primos radios interitura die.* Aliter tamen locus hic Virgilianus legitur a C. Julio Ro. in libello, quem Sosipater recitat de Analogia: ita enim habetur: *Dii*, pro *die*, seu *diei*. Virg. *Libra dii so. q. pa. ubi. se. horas.* Sunt enim ex veteribus grammaticis, qui *dii* semper legendum esse definiant. Bona tamen litteratorum, qui nunc vigent, pars *die* malunt legere.

213 ET JAMDUDUM INCUMBERE ARATRIS. In Mediceo codice, & aliquot aliis antiquis exemplaribus, legere est, *Incumbere rastris.* Est & ubi *aratris* legas, quod agnoscitur a Servio.

218. ET ADVERSO CE. CA. OC. AS. In Romano quidem, & in Longobardico, *adverso* est. In aliis vero, *averso*. In Mediceo, *averso incedens:* sumptum puto ex Serviana paraphrasi.

226. VANIS ELUSIT AVENIS. In Romano codice legere est, *Illusit aristis.* In quibusdam aliis *Elusit aristis.* Magis vero placet *avenis*, ut habetur in Mediceo: quia frumenti vitium est avena. Atque hic sermo est de iis, quae degenerant, quum tamen alioqui avena inter segetes suam speciem obtineat, uti alibi.

230. AD MEDIAS SEMENTEM EXTENDE PRUINAS. In Romano codice, *expende* legitur: quod significat suspensas tene, eodem pene significato cum *extende:* acceptior tamen est vulgata lectio.

236. CERULEA GLACIE CONCRETAE. In plerisque veteribus exemplaribus legere est casu recto numero multitudinis, *cerulea*, puncto mox interposito: ut quod sequitur, *Glacie concretae, atque Imbribus atris*, expositio sit, cur zonae illae ceruleae sint. In codice Mediceo, prius *cerulee* legebatur, sed inde aliena manu linea superinducta, ut ultima littera fieret *a*. Sunt etiam codices manu scripti, in quibus *Ceruleae* & *glacie* legatur: quae mihi lectio nequaquam probatur. Ostendit tamen epitheton non cum *glacie*, sed cum *zonis* adcommodatum, *Zonae ceruleae.*

248. DENSANTUR NOCTE. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis, *densentur*, a *denseo ses.*

252. PRAEDISCERE. In Romano codice, *praedicere:* quod non probatur.

253. MESSISQUE DIEM, TEMPUSQUE SERENDI. Quamvis Servius *diem messis* agnoscere videatur; & exemplaria pleraque vetera eodem exemplo, cum vulgatis legant, *Messisque diem*; non tamen praetereundum fuit, quod in Mediceo codice scriptum legi, *mensisque dies*, quippe bonos aut malos: cujus rei cognitio inter agriculturae praecepta locum obtinet suum. Et Hesiodus partem eam tanti fecit, ut opus Ἔργα κ̀ ἡμέραι inscripserit: neque Virgilius eandem partem dissimulavit, tam etsi aliquanto brevius rem attigerit. Sane vero in Daphnide, codex idem Mediceus eo versu, *Ante focum, si frigus erit, si messis, in umbra: mensis* scriptum habuit, quod modo emendatum est, ubi dubio procul *messis* esse debet. Quare errorem hujusmodi ex antiquo scribendi modo crediderim emanasse, quod Sicilicon geminandae consonantis signum soliti essent veteres apponere, quae nota fuerit ab imperitis loco *n* litterae deinde accepta, ut ita multa alibi.

256. AUT TEMPESTIVAM IN SILVIS EVERTERE PINUM. In Mediceo codice & aliquot aliis antiquis absque praepositione *in*, legere est, *tempestivam silvis.* quod Virgilianae phrasi propius est.

264. EXACUUNT ALII VALLOS. *Fossas, & muros de terra factos* exponit Servius. Atqui haec neque acuuntur, neque per imbres fieri possunt. Tu palos sive sudes, quorum plurimum in agris usus, praeparari intelligas.

267. NUNC FRANGITE SAXO. In Romano codice *saxis* est. Sed unitatis numero melius, quod in reliquis codicibus habetur.

277. PALLIDUS ORCUS. Scribendum *orchus* ex aliquot antiquis codicibus, & ex Valerii Probi praecepto, qui tria nomina Latina, post *c* adspirationem recipere tradit: *Larcho, pulchro*, & *orchus:* & ita antiquiores scripsisse testatur.

283. EXTRUCTOS DISJECIT FUL. MONTES. In Romano codice legere est, *dejecit;* extructi enim erant montes: ita inferius, *Aut alta Ceraunia telo Deicit.* Majorem tamen vim, & validiorem

rem impetum ostendit verbum *disjecit*, ut excussos eos alio alium dicat.

284. Septima post decimam felix. In antiquis codicibus legere est *septuma post decumam*, ut hujusmodi pleraque. Sed non ab re fuerit locum hic apertius explicare, ut finis jam statuatur eorum sollicitudini, qui tam anxie quaerunt, utrum Virgilius eam intellexerit Lunam, quae jam in decrementum abit, an quid aliud sibi voluerit. Sane vero septimam a decima intelligere monemur Hesiodi carmine: quem Virgilius imitatur. Ait enim ille, Καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ. Quartam decimam vero idem domandis bubus, & curandis canibus & mulis aptam dicit. Felix et ponere vites. In Longobardico, *felix est ponere vites*, Graecanica figura, qua saepe Virgilius & Horatius utuntur. Sed prior lectio magis placet, quia omnino verbum *est* subintelligitur: & ea lectio in Longobardico, aliena manu contaminata est.

287. Multa adeo melius gelida se nocte dedere. In Mediceo codice, & aliquot aliis antiquis dictiones ita transpositae, *multa adeo gelida melius*. Utraque lectio & suavis, & elegans est.

288. Aut cum sole novo. In veteribus aliquot codicibus *vel cum* scriptum est. Sed *aut*, in pluribus.

289. Nocte leves stipulae melius. Antiqui codices, quotquot legi, hoc ordine legunt, *nocte leves melius stipulae*, quod aliquanto ornatius est.

290. Noctis lentus non deficit humor. In Romano codice, *noctes* legitur: & in Longobardico *nocte*, una minus littera. Sed enim *noctes*, aut *noctis* accusativi casus, lectio castior ex Arusiano Messo dinoscitur: qui in libello de Elocutionibus Virgilianis in exemplum quod eleganter *deficit illam rem* dicere possumus, Virgiliano hinc utitur testimonio: *Noctes lentus non deficit humor*. Adde vero, quod Servius exponit *deficit*, deserit: quod proxime accedit ad Messium.

296. Et foliis undam trepidis despumat aeni. In Romano codice, legere est *trepidis despumat aënis*: Et *trepidum* agnoscit Servius. In Mediceo, & aliquot aliis *trepidi* scriptum observavi: humore enim late ebulliente ahenum tremere necessarium est.

299. Hyems ignava colonis. In Romano codice, & plerisque aliis manu scriptis, *hyemps*, per sonum Graecae litterae ψ finalem scribitur: de qua scribendi ratione Terentius Scaurus adeo sollicitus fuit, ut in Praeceptis suis haec tradiderit: *Hyems quoque carere p littera debet: quia in versibus nunquam p nec b propinqua ejus respondet: sine quarum altera nusquam in Latinis ea nomina declinantur, quae per ψ Graecam vocem efferuntur: ut princeps, celeps: quia principis, & celebis, scribitur. Hyems vero hyemis facit.* Est & *Colono*, unitatis numero in antiquis codicibus omnibus observatum. In Mediceo, una plus dictione, *colono est* legitur.

302. Curasque resolvit. In veteribus aliquot codicibus, *curam* unitatis numero legitur: sed melius *curas*.

309. Stupea torquentem Balearis verbera fundae. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis *stuppea* duplici *p* scriptum, ut apud Graecos. Est etiam in Romano codice, *torquentes*, numero multitudinis, quod non ita placet. Quod vero *Balearem fundam* appellavit, dictum a plurimo ejus usu, qui apud Baleares est, quae sola genti arma esse Trogus ait. Non autem, quod ibi inventa sit funda. Cujus inventores Plinius Syrophoenices memorat: Strabo vero Aetolos.

310. Cum nix alta jacet. In Romano codice *jecit*, una tamen corrupta littera. Sed *jacet* omnino melius.

318. Omnia ventorum concurrere praelia vidi. In Romano codice, *consurgere* habetur: sed *concurrere* ex Plinio castior lectio cognoscitur: apud quem ita habetur: *Virgilius messe ipsa concurrere praelia ventorum, damnosa imperitis refert. Tradunt Democritum, metente fratre ejus Damaso, ardentissimo aestu, orasse, ut reliquae segeti parceret, rapere tque desecta sub tectum: paucis mox horis saevo imbre Vaticinatio est approbata.*

328. Nimborum in nocte. Sunt quidem codices antiquissimi, in quibus *nimborum nocte* absque *in* legatur: sed *nimborum in nocte*, ut in Mediceo, & plerisque aliis habetur, longe numerosius & elegantius mihi videtur.

332. Aut Atho aut Rhodopen. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis *Athon* scriptum est, refragante syllaba. Nam de declinationis usu, deque nominativo nominis, alibi dictum.

334. Nunc litora plangunt. In Romano codice, & perveteribus aliquot aliis, *plangit* scriptum est, unitatis numero: cujus suppositum est *Densissimus imber*. Praeterea Servius hoc idem agnoscere videtur, quum exponit Plangit, *resonare facit*: licet & alterum non improbet. In Mediceo abrasus est apex supra *g* litteram, & *i* vocalis tantum supra *t* apposita. Quod quidem *plangunt* prius fuisse ostendit. Est & paraphrasis addita superne: *feriunt*, ut sit active: *Austri & imber plangunt litora*: non autem *litora plangunt*, id est, resonant absolute: nam ita prorsus legendum ostendit paraphrasis, quae supra dictionem *Austri*, atque *densissimus* sita est. Quippe *et* copulativa.

340. Ex-

340. EXTREMAE SUB CASUM HYEMIS. Antiqui codices manu ſcripti, quotquot verſavimus, *ſub caſu* legunt, ablativo caſu, praeter Mediceum, in quo *caſum* accuſativus eſt: idque omnino melius.

341. TUNC AGNI PINGUES, ET TUNC MOLLISSIMA VINA. Antiqua omnia exemplaria, quotquot habui, uno exemplo legunt *pingues agni &* abſque ſynaloepha: neque temere tot manus diverſis locis atque temporibus convenire credendum. Bona vero pars non *tunc*, ſed *tum* utroque loco legunt, *tum pingues agni & tum mol. vi. tum ſomni dulces.* In Mediceo quidem *pingues agni &* habetur; ſed *tunc*, duobus locis ſuperioribus, tertio vero *tum* ſcriptum. Adverte vero etiam apud Servium eundem eſſe verborum ordinem, quem in veteribus exemplaribus oſtendimus inveniri. Si cui tamen ea lectio magis placuerit, quae in vulgatis codicibus habetur, nihil quicquam obſtamus: nam & elegans & venuſta ea quoque ſtructura eſt.

351. ATQUE HAEC UT CERTIS POSSIMUS DISCERE SIGNIS. In Romano codice, *poſſemus dicere* legitur: ſed *poſſimus diſcere* magis receptum: nam quae ſequuntur, pertinent ad diſciplinam. Et pari errore legitur paulo inferius in impreſſis codicibus aliquot, *Quid menſtrua Luna moveret*, quum dubio procul *moneret* ex congruitate ſententiae, atque ex antiquis omnibus codicibus, ſit legendum. Poëta enim loquitur de praeſignificatione futurae tempeſtatis per ſidera, quam diſciplinam Graeci *προχειμάζειν* vocant, ut tradit Plinius.

354. QUID SAEPE VIDENTES. In antiquis aliquot exemplaribus *quod* habetur, lectio Servio agnita. In Romano tamen codice, & in Mediceo, *quid*, indefinitum.

357. ET ARIDUS ALTIS MONTIBUS AUDIRI FRAGOR. In Romano codice, *arduus* habetur; ſed longe caſtior lectio eſt *aridus*, ut in Mediceo, & aliis ſcriptum: quod quidem Homericum eſt, *αὖον ἀΰτει*. Cujus rei antitheton eſt Perſianum illud, *Maligne reſpondet viridi non cocta fidelia limo.* Eandem lectionem agnoſcit Servius.

360. JAM SIBI TUM CURVIS. In Romano codice, *jam ſibi tum a curvis* legitur, una plus praepoſitione; ut in Aeneidos ſecundo: *Temperet a lacrymis.* Idque Servius etiam videtur agnoviſſe.

366. NOCTISQUE PER UMBRAS. In Romano codice, & in Mediceo *per umbram* legitur unitatis numero; quod hoc loco melius.

372. ATQ. OMNIS NAVITA PO. HU. VE. LEGIT. In antiquis aliquot exemplaribus *legunt* eſt, plu. num.

378. ET VETEREM IN LIMO. In codicibus aliquot antiquis *aut veterem* legitur: in vulgatis *et*: utrumque procedit.

384. JAM VARIAS PELAGI VOLUCRES ET QUAE ASIA CIRCUM. In aliquot veteribus exemplaribus ita habet dictionum ordo, *Jam volucres pelagi varias*, quod tantundem eſt. In aliquot pro *& quae Aſia*, legere eſt *atque Aſia*; ſed omnino inemendate. In Romano codice, *variae*; quod non placet: quia enuntiatum eſt hujus verbi *videas*: niſi quis *varie* adverbium maluerit, ut ad varios lavationis modos, quos enumerat, referatur: Rores quippe certatim humeris infundere, fretis caput objectare, in undas currere, & lavandi incaſſum ſtudio geſtire. Sed enim caſtior omnino lectio eſt, *Varias pelagi volucres*, epitheto proprio.

386. NUNC CURRERE IN UNDA. Vetuſti codices partim *undis*, partim *undas* habent. Utrumque plurali numero.

390. NEC NOCTURNA QUIDEM. In Romano codice, *ne nocturna.* Sed *nec*, melius.

393. NEC MINUS EX IMBRI SOLES. Antiqui aliquot codd. *eximbres ſoles* legunt: ea compoſitione qua *exlex*, & *exſpes* dicitur. Sed ita deeſſet aliquid. Quare melior ea lectio, quae in Mediceo codice cum vulgatis ſentit: dicente praeſertim Servio dari etiam praecepta, quibus e tempeſtuoſo caelo futuram ſerenitatem agnoſcamus.

404. SUBLIMIS IN AERE NISUS. In Romano codice, *in aethere:* ſed omnino melius, *in aëre:* quia paulo poſt ſequitur, *Secat aethera pennis.* Miſſum facio, *ſullimis*, *b* in *l* mutata: quod plerique codices antiqui ſcribunt.

413. INTER SE FOLIIS STREPITANT. In Mediceo, & antiquis fere omnibus exemplaribus legitur *inter ſe in foliis.* Nam *in* omnino deſiderabitur, quanquam etiam abſque praepoſitione non aliena ſit a Virgiliana phraſi. Et ita, quod paulo inferius eſt, *Sin ortu in quarto*, vetera omnia exemplaria, quae legi, *Sin ortu quarto* abſque *in* legunt: quod elegantius exiſtimatur.

420. ET PECTORA MOTUS CONCIPIUNT. In antiquis aliquot codicibus *pectore* legitur ſing. ablativo, ut ſpecies ſit ſuppoſitum. In Mediceo, *pectore* eſt, alia ſcriptione.

426. HORA NEC INSIDIIS. In Mediceo, & aliis antiquis codicibus *neque.*

428. SI NIGRUM OBSCURO COMPRENDERIT AERE CORNU. Mediceus codex, & antiqua omnia exemplaria, quae legi, *aëra* habent quarto caſu: manifeſtum enim eſt obſcuritatem eam, quae lunaribus cornibus obvenit, *aëre* ex obfuſcato procedere. Sed enim Varro *Obatrum cornu* appellat, ut Virgilius *Nigrum*. Obſervat enim ille modo ſummum, modo infimum, modo utrunque cornu obatrum, modo mediam inter utrumque

que partem obfuſcatam: variis itidem temporibus pluvias portendere: quare magis placet ea lectio, quae nigrum ait cornu obſcuro aëre.

433. Pura nec obtusis. In veteribus codicibus, *neque obtuſis* legitur, colliſione illa neſcio quid mollius ſonante.

434. Et qui nascentur ab illo. In Romano codice, *naſcetur* unitatis numero: quod non probatur: ſicuti neque etiam *naſcuntur*, inſtanti tempore, ut habetur in Longobardico.

436. Votaq. ser. sol. in litore nautae. In Romano codice, *ad litora* legitur: quod ſcilicet fuerat appellendum, ut ſervarentur: quanquam non diſpliceat, in litore vota ſolvi.

437. Glauco et Panopeae et Inoo Melicertae. Ut infirmioribus etiam manum porrigamus, ſcandendus eſt verſus, quem grammatici nonnulli male dividunt. Sic igitur dicamus more Aſpri: *Glauco*, ſpon: *& Pano*, dact: *peae &*, dact: *Ino*, ſpon: *o Meli*, dact: *certae*, ſpon. Panopea vero, ex vi nominis, ſerenitatis Deam, & tranquillitatis auctorem ſignificat: proſpectumque undecunque clarum & apertum, nam quae procelloſo coelo clauſa fuerant, diſpulſis nubibus cuncta aperiuntur, obtutuique noſtro liquido ſe offerunt: idque oſtendit πᾶν καὶ ὤψ, ἀπὸς.

439. Solem certissima signa sequentur. In Romano codice, & in Mediceo, & in Longobardico, praeſenti tempore legitur *ſequuntur*: quod majoris eſt dignitatis: complectiturque ita in ſe & praeteritum & futurum.

446. Diversi erumpent radii. In Romano codice, *rumpunt*, biſyllabum praeſenti tempore. In Mediceo, & aliquot aliis pervetuſtis *diverſi rumpent*: eſt & *divorſi*. Et Aſper grammaticus eo loco, ubi diſputat adverſus eos, qui paſſim geminum *ii* per unum tantum ſcribere volebant, ut *radI*, pro *radii*, dum duo neceſſario oportere ſcribi contendit, verſum hunc citat, & *rumpent* omnino ſcribit. *Aut ubi pallida ſurgit.* In Mediceo, & aliquot aliis antiquis *ſurget* futuro tempore. Sunt tamen & qui *ſurgit* praeſenti legant.

448. Heu male tum mitis defendit pampinus uvas. In Mediceo, & aliis fere omnibus antiquis *defendet* habetur per *e*, futuro quippe tempore, uti ſuperius *ſurget*. Prognoſtica enim de futuris eſſe debent.

454. Sin maculae incipient. In antiquis aliquot *incipiunt*, & ſuperius *decedit*. Sed futurum in utroque receptum magis.

461. Denique quid vesper serus vehat. In Romano codice, *ferat* legitur; quod paraphraſtice poſitum fuiſſe crediderim.

462. Quid cogitet humidus Hauster. Sunt qui legendum diſputent, *quid cogat & humidus Hauſter*; ſed paſſim in antiquibus exemplaribus *cogitet* habetur.

480. Et moestum illachrymat templis ebur. In Oblongo illo antiquo *lacrimat*. Sed in Romano, & Mediceo, & aliquot aliis antiquis, *illacrimat*, ſpecie magis Virgiliana. Gaudet enim poëta noſter quas praepoſitivas particulas nominibus abſtulerit, eas verbis applicare.

495. Scabra rubigine pila. In antiquis pleriſque codicibus, *robigine* per *o*. de quo dictum. Attius *peila* militum per *ei* ſcribendum inſtituit.

512. Ut cum carceribus sese effudere quadrigae. Servius negat eſſe comparationem, quae ſi ponatur in fine, vitioſum habeatur. Quintilianus tamen vult eſſe comparationem, quia interdum praecedit rem, cui comparatur: interdum ſequitur. Quod quidem in Homero Porphyrius obſervavit. Et, *ut* dictio, ſaepe ſignum eſt comparationis.

513. Addunt se in spatia. In codice Mediceo, & aliquot aliis antiquis legere eſt *addunt in ſpatia*, abſque *ſe* pronomine: id quod ab eruditis quibuſdam agnitum.

LIBER SECUNDUS.

Multa nimirum in hoc libro deerunt: quia paginae nonnullae in codice Romanis litteris ſcripto, cui potiſſimum innitimur, deſiderantur. Quod vero licuit, aliis codicibus adjuti ſumus: & omnino multa obſervatione digna deprehendimus: quae ſi non omnia ad lectionis emendationem, certe ad ſententiarum illuſtrationem faciant. Quicquid id fuerit, Lectorem rogatum velim, ut boni conſulat.

22. Sunt alii quos ipse via sibi reperit usus. In Longobardico exemplari *viam* legitur, accuſativo caſu: quod forte non diſpliceat, ſi ordinem feceris. Sunt alii quippe modi, quos uſus repperit ſibi viam. Servius tamen agnoſcit *via*, id eſt ratione, ut: *Inveni germana viam:* alii dicunt *via*, inter eundum quippe, in ipſo progreſſu rerum & experientia. In Mediceo paraphraſis eſt, Via, ingenio.

40. Decus o famae merito pars maxima nostrae Maecenas. In codicibus aliquot antiquis *noſtri* legitur: quod ſi admitteretur, neceſſarium eſſet legere, ut nonnulli cenſent, *o decus, o fama*

ma & merito pars max. nostri. Sed enim in Mediceo, & aliis castigatioribus exemplaribus *famae nostrae* legitur. Quod vero *Maecenas*, non *Mecoenas* scribendum sit, ostensum alibi. Nimium vero est, quod in codicibus nonnullis habetur, *o Deus, o famae merito pars max. nostrae.* Potius enim cum Horatio *decus* legendum, *O & praesidium, & dulce decus meum.*

48. INFOECUNDA QUIDEM. Quod ait Servius, semen salicis esum, infoecunditatem mulieribus gignere, idem & Plinius affirmat: quanquam de foliis, non de semine loquatur. Ait enim, folia salicis contrita, & pota, intemperantiam libidinis coërcere, atque ita in totum auferre usum saepius sumpta. Atque alibi, semen salicis mulieri sterilitatis medicamentum esse. Salicis vero semen exiguum admodum, ut diligentiores scriptores tradunt, in foliis est: nam sunt qui nullum esse salici semen putent.

52. IN QUASCUNQ. VOCES ARTES. In codicibus aliquot antiquis legere est: *in quascunq. voles artis.* In quibusdam, *velis.* Sed enim *voces*, magis omnino placet eruditis.

65. PLANTIS ET DURAE CORYLI NASCUNTUR. In codicibus aliquot antiquis: *edurae coryli* legitur. Servius utramque lectionem agnoscit. Sed exemplaria vetera majori ex parte cum vulgata lectione *& durae* habent.

70. ET STERILES PLATANI MALOS GESSERE VALENTES, CASTANEAE FAGOS ORNUSQ. INCANUIT ALBO FLORE PYRI. In aliquot Prisciani codicibus antiquioribus, iisque praesertim, quos ab Hieronymo Alexandro contubernali meo, viro litteratissimo accepi, uno exemplo lectionem hanc ita citatam inveni: *castaneae*, cum puncto, ut genitivi sit casus dictioni *malos* applicandi: Mox, *fagus ornusq. incanuit albo flore pyri:* quam lectionem etiam Servius agnoscit, dum *fagos* nominativum esse Graecum dicit, dum *os* finalitatis ratione produci posse, licet alioqui brevis sit. In Mediceo codice, ita scriptum, ut in vulgatis codicibus habetur.

80. PLANTAE IMMITTUNTUR. Sunt antiqui codices, in quibus legere est, *immittantur.* Reliqua tamen omnia per indicativum modum dicta. Et longe melius est, *immittuntur.*

85. NASCUNTUR OLIVAE, ORCHITES ET RADII. Quamvis Servius *orchites* agnoscit, in Mediceo tamen, & aliis antiquis codicibus manu scriptis, *orchades* habetur. Nam quum ὄρχις ὄρχιος testiculus dicatur per *ι*, quae vocalis apud Graecos non gravate plerumque transit in *a* vocalem ancipitem, facile inde potuit *Orchas Orchadis* fieri; sed puto Grammaticos voluisse Insulas a fructu ea scriptione distinguere. Itaque apud Catonem, Varronem, & Junium Moderatum & *Orchis* & *Orchites* passim legitur: eamque nominis formam Jovianus Pontanus etiam agnoscit; quamvis alibi variet.

95. ET QUO TE CARMINE DICAM RHOETICA NEC CELLIS IDEO CONTENDE FALERNIS. In codicibus aliquot antiquis legere est, *ne cellis adeo:* ut etiam citatum est ab Arusiano: quod nescio quid elegantius habere videtur, *adeo*, pro tamen: quamvis *ideo*, Servius agnoscit. Super hanc sententiam Plinius: *In Veronensi agro Rhoetica vina optima, Falernis tamen posthabita a Virgilio.* Strabo: *Rhoeti ad Italiam usque pertinent, quae supra Veronam ac Comum est. Vinum Rhoeticum inter Italica egregie commendata.*

97. SUNT ET AMINEAE VITES FIRMISSIMA VINA. Omnibus fere doctis negotium facessere visum est carmen hoc, dum in nomine *Amineae*, scriptionem alii animadvertendam; alii syllabarum quantitatem introspiciendam; alii vini genus exquirendum solicite censerent: nam quod apud Servium legitur, *Aminnaeae*, dici oportere propter versum, qui stare non posset, si *Amineae* diceretur, putavit is, & scripto prodidit, *Aminias* a *Minio* dictas, quod vinum id album sit, & idcirco sine Minio: quare secundam a principio syllabam produci debere, uno plus *n* interjecto, judicavit: nisi *Amymneae* legatur ex Stephano. Sed enim ille *Amyneos* inter Epiroticos enumerat. Fuerunt alii, qui Virgilianum carmen totum inverterent, eadem offensi dubitatione, quod ei nomini non esse locum ea qua circunfertur sede sito arbitrarentur. Putarunt alii Virgilium nomen auctoritate sua versui licenter adcommodasse. Sed enim quum animadverterim apud Graecos Ἀμμίνιοι scribi: praesertimque apud Aristotelem, qui *Ammineos*, Thessaliae populos suae regionis vites in Italiam transmisisse, tradit in Politicis: & ab illis uvae nomen impositum: memorque essem Ausonium Paeonium, eruditum sane auctorem, & si non usque quaque cultum, eadem qua apud Graecos scribitur ratione, nomen versibus inseruisse, cum cecinit: *Solus qui Chium miscet & Ammineum:* quo scilicet Tibullianum illud interpretaretur, *Nunc mihi fumosi veteres proferte Falernos Consulis: & Chio solvite vincla cado:* facile adductus sum, ut Mediceum codicem, atque alterum quendam Vaticanae bibliothecae, in hujus versus lectione castigatiores dubioprocul existimarem: in quibus scriptum est, *Sunt etiam Ammineae vites*, qua lectione, omnis & scriptionis & syllabarum ambiguitas tollitur. Quod vero Servius asserit vinum *Ammineum* album esse: ideoque dictum quasi sine minio, commenticium est: quum agnoscat Plinius vitem *Ammineam* nigram, cui nomen Syriace. Et ex pluribus *Ammineis* genus tantum unum designet Columella: quod albidas uvas habeat. Praeterea si verum illud est, quod plerique tradunt, *Ammineam* vi-

num

num idem & Falernum esse: id nigrum potius habebitur, Martialis elogio, dicentis: *Marmorea fundens nigra Falerna manu.* Nam Macrobius ait, *Ammineos* fuisse, ubi nunc Falernus ager. Genusque vitis *Ammineae* minoris, vulgo notissimae, quae Campaniae celeberrimos Vesuvii colles, Surrentinosque vestit, agnoscit Columella: solasque ab antiquis agnitas attestatur: & suis quoque temporibus vetustissimas quasque vineas *Ammineas* existimatas. Caeterum Virgilius diversum quid a Macrobio tradere videtur, quum sedulo distinguat species, quaternaque genera duabus comparationibus complectatur: Rhoetica Falernis conferendo, cum quibus tamen ea, utpote deteriora, minime contendere debeant; moxque *Ammineum* subjungat, cui Tmolium ex Lydia, & Phanaeum ex Chio comparat, minorenique Argiten, quamvis haec vitis & liquoris copia, & vetustatis firmitudine sit caeteris omnibus anteferenda: assurgere tamen vinum ejus *Ammineo*, illique priorem locum cedere asseverat. Qui quidem si Falernum, & *Ammineum*, idem agnovisset vinum, non ita statim per comparationes in diversa genera distribuisset, illud Rhoeticis, hoc Chiis, & quibusdam aliis anteferendo. Sane vero Falernum id omnino esse, quod vulgo nunc Graecum appellant, plerique non inerudit consentire videntur. Sed nos haec aliis, quos intellexi negotium hujusmodi sumpsisse, disputanda relinquemus: quum eo solicita magis cura properemus, ut veterum codicum lectionem a tinearum injuria, quoad fieri potest, vindicemus.

98. Tmolus et assurgit quibus et Rex ipse Phaneus. In antiquis aliquot codicibus manu scriptis, legere est absque *&* particula, *Tmolus adsurgit quibus.* Atque ita necesse esset continuare ordinem elocutionis: firmissima vina, quibus Tmolus adsurgit, & Rex Phaneus. Sed enim obstat syllaba: Trochaeus ea sede positus exemplo caret, neque cesura ulla succurrit, quae communem locum faciat: quare commenti sunt Grammatici, *&* illud, tanquam cuneum, aut farturam aliquam interponere, quae versum sustineret, vel fatiscentem obstiparet: quorum tamen omnium ambiguitatem sustuleris, si quod in Mediceo, & in Longobardico Vaticanae bibliothecae legitur, admiseris. Ibi enim *Tmolius adsurgit*, denominativum nomen a *Tmolo* habetur: ut enim ab Olympo, Olympius, a Caucaso, Caucasius: ita a *Tmolo*, *Tmolius.* Eritque ordo, quibus vinis Rex Tmolius adsurgit, & Rex Phaneus.

101. Non ego te mensis et Diis accepta secundis. Quamvis hic numerus, ut in vulgatis codicibus habetur, & gravis sit, & sonoritatis plenus, & ad heroici stili majestatem propius accedat; plura tamen ex antiquis exemplaribus, quae legimus, Adonio praeposito numero sic habent, *Non ego te dis.* Inde Alcmanico tetrametro, *& mensis accepta secundis:* cujusmodi numeri est Horatianum illud: *O fortes pejoraque passi;* ne mediocri stilo versus ita insurgeret: atque hunc numerum agnoscit Servius. Significat vero eam esse & esui & potui bonam: Dis enim libationes fiunt, mensis vero secundis & poma & fructus alii inferuntur.

115. Eoasque domos. In Longobardico, *domus* quarta declinatione legitur: quod & apud T. Livium in antiquis codicibus observatum.

117. Solis est thurea virga Sabaeis. In Longobardico, *solis & turea*, sed inemendate. *Turea* vero absque adspiratione in antiquis codicibus: quod multi fuere, qui *Tus* Latinum esse vocabulum, & a tundendo dictum voluere.

127. Quo non praesentius ullum. In Longobardico codice, *praestantius* legitur. Sed *praesentius* magis placet eruditis.

129 Miscueruntque herbas. In Oblongo perveteri codice, atque etiam in Longobardico, *miscuerant* legitur, quod minime placet. In altero antiquo *miscuerint* habetur. Sed ego nunquam lectionem primam rejicerem, quum in Bucolicis, *Tulerunt:* & apud Terentium, *Emerunt:* eadem figura legatur.

134. Flos apprima tenax. Quamvis nonnulli codices habeant, *apprime*, magis tamen placet, quod in vetustioribus legitur, *ad prima.* Eamque lectionem mihi videtur agnovisse Arusianus. Et in antiquo Terentii codice manu scripto legitur; *Meis me omnibus scio esse Adprima obsequentem.* Est vero Graeca figura non inelegans, ἐπὶ τὰ πρῶτα. Quoniam vero multi ad hanc aetatem quodnam hoc malum sit, quod a Virgilio describitur, non otiose quaerunt: quid ego sentiam, dicam, bona eorum venia, qui aliter judicant. Nam Medicum malum, porrum id esse Virgilio videtur, quod vulgo Naranzium apud Venetos, apud Romanos & Campanos ab angulorum densitate, quibus succus intrinsecus dispescitur, in folliculos suos collectus, Malangulum, appellatur. Ab aliis in citriorum species acceptum. Hanc sane arborem & hujusmodi fructum Virgilius pingit, dum tristis succos memorat, dum tardum saporem, dum fertilitatem, dum medicamenti vim contra venena habere (quod a Nicandro acceptum mutuo) dum simillimam esse Lauro, dum folia indecidua virore aeterno, dum floris tenacissimam, dum gravem animam emendare dicit. Ubi autem Nicander ait, Μήδοιο κὴ ὁμοτριόεσσαν σίνηται, sunt, qui μῆλον legant. Sed enim Interpres μῆδον agnoscit: & addit, ἐστὶ δὲ τὸ Μηδικὸν μῆλον, ὅ ἐστι τὸ νεράτζιον. dictione ita subbarbarice scripta, quo sententia magis omnibus innotesceret. Eandem porro arborem & Macrobius & Plinius esse ostendunt: quam etiam apud Persas

ſas eſſe ea fructuum commendatione dicunt, ut poma alia praecarpantur, alia interim matureſcant, alia ſubnaſcantur: ſitque denique arbor ipſa omnibus horis pomifera. Addunt, mala venenis contraria, odore praecellentia, eſculentis commendandi halitus gratia incoqui ſolita. Illud praeterea in ipſis citriis experimur (quando nomen hoc in id genus omnia jam receptum eſt) quod de foliorum odore Plinius tradit: tranſire quippe in veſtes una conditum, arcereque animalium noxia. Quod vero Servius ideo conjecturam facit non eſſe citrium, quia dicat Poëta, *Ac membris agit atra venena*, leve eſt: non enim intelligendum inferre venenum membris, ſed procul a membris agere. Quam quidem opinionem meam eo audentius ſum propalare adgreſſus, quod virum & litteratura praeſtantem, & felicitate ingenii ſtilique candore omnibus admirandum, Jacobum Sincerum Actium, idem ſentire adinveni, quum ego Neapolim ad ſalutandum hominem Roma profectus eſſem.

144. TENENT OLEAEQ. ARMENTAQ. LAETA. In Mediceo, & antiquioribus aliquot codicibus, iis praeſertim, qui particulam *que* geminare gaudent, legere eſt: *tenent oleae armentaque laeta*, abſque particula *que*, poſt dictionem *oleae*.

150. BIS POMIS ARBOS. In Mediceo *arbor*: agnitam vero differentiam inter *Arbor* & *Arbos*, a veterum nonnullis, alio loco diximus. Quod attinet ad ſententiam, deſumpta ea eſt ex Varrone, ubi dicit, *Malus biferae, ut in agro Conſentino*.

151. AT RABIDAE TYGRES ABSUNT. Non diſplicet, quod in Mediceo & antiquis aliis legitur, *at rapidae tygres*. Ea enim animalia & pernicitate curſus, & truculentia notantur.

172. IMBELLEM AVERTIS ROMANIS ARCIBUS INDUM. Ad id reſpexit, ajunt nonnulli, quod Indi cum Antonio & Cleopatra veniebant, ut in octavo Aeneidos habetur: *Omnis eo terrore Aegyptus, & Indi, Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabaei*. Dicunt itaque, avertis & imbellem facis, aut imbellem, victum jam nec bellantem. Caeterum quid grande, ſi avertis imbellem? Quare id potius tactum crediderim, quod Suetonius in vita Auguſti memorat, Eum virtutis, moderationiſque fama, Indos etiam ac Scythas auditu modo cognitos, pellexiſſe ad amicitiam ſuam, populique Romani ultro per legatos petendam. *Imbellem* igitur abſque ullo belli negotio. Quamvis non ſum neſcius Lucanum dicere, eos coeli clementia molliores fieri.

196. AUT FOETUS OVIUM, AUT URENTES CULTA CAPELLAS. In antiquis omnibus codicibus manu ſcriptis, quos verſare contigerit, ſcriptum obſervavi, *Aut ovium fetus, aut urentis culta capellas*: ubi *tus*, prout in veteribus Poëtis ſaepe accidit, eliditur. De caprarum vero halitu arboribus exitiali plerique multa dixere: hac porro de cauſa, apud veteres, ſiquis locaret praedium, excipiebatur, ut Varro ait: *Ne Colonus teneret capras*.

204. ET CUI PUTRE SOLUM. *Et cui* dactylum eſſe, videtur Valerius Probus aſſeverare: dum *cui* ex duabus brevibus conſtare affirmat. Nonnunquam vero in iambum creſcere: fieri etiam interdum ſynaloepham.

207. AUT UNDE IRATUS SILVAM DEVEXIT ARATOR. In Mediceo codice, *dejecit* legitur.

213. ROREMQ. MINISTRAT. Plinius XIX. *Ros marinus locis putridis ac macris ſeritur*.

214. ET TOPHUS SCABER, ET NIGRIS EXESA CHELYDRIS. Ita in veteribus omnibus habetur: male vero poſuere, qui *ſcaber*, *nigriſque*, publicandum curaverunt.

219. QUAEQ. SUO VIRIDI SEMPER SE GRAMINE VESTIT. In antiquiſſimo codice Romano, numerus ita habet: *Quaeq. ſuo ſemper viridi ſe gramine veſtit*.

220. ET SALSA LAEDIT RUBIGINE FERRUM. In Romano codice, uti ſaepe dictum, *robigine* per *o* legitur prima ſyllaba.

222. ILLA FERAX OLEAE EST. In antiquiſſimo codice Romanae notae, & in Mediceo, *oleo* legitur: & ita in quodam alio vetuſtiſſimo habetur: ex qua dictione ultima ſyllaba abraſa fuit, & *oleae* repoſitum.

224. ET VICINA VESEVO ORA JUGO. In Romano, *Veſaeo* ſcriptum eſt, corrupte. Falſum vero eſt, quod apud Servium legitur, Veſevum montem eſſe Liguriae ſub Alpibus poſitum. Nam ille Veſulus appellatur, de quo Virgilius alibi: *Veſulus quem pinifer affert*. VESEVUS vero, de quo hic Virgilius, Campaniae mons, qui & *Veſuvius* & *Veſuius* dicitur.

226. NUNC QUO QUAMQ. MODO. In codicibus fere omnibus antiquis, *quocunque modo* legitur, quae lectio minime recepta eſt.

230. ALTEQ. JUBEBIS IN SOLIDO PUTEUM DEMITTI. In Mediceo, *videbis* legitur: ut domini curam & diligentiam ad opus recte faciendum invitet: unde ſtatim ſubjicit: *Et pedibus ſummas aequabis harenas*: quod perperam in codicibus aliquot legitur: *Pedibus ſummis*. Eſt & *Puteum dimitti* legere; ſed *demitti* per *e*, hoc eſt deorſum mitti, longe melius.

233. SI DEERIT. In Med. & antiquis aliis *deerunt* & *derunt*, facta ſynaereſi ex duobus *ee*, in unum.

236. CRASSAQ. TERGA EXPECTA. In Romano codice legas *exerce*. Sed longe melius *expecta*, ut in caeteris codicibus habetur.

241. TU SPISSO VIMINE QUALOS. In Longabardico, *ſpiſſos vimine qualos* legitur: ſed magis placet *ſpiſſo vimine*, ut in Mediceo, & aliis habetur.

244. Aqua eluctabitur omnis. In antiquis plerisque codicibus, *luctabitur* legitur, quod non ita probatur, quum *eluctabitur* rem magis pingere videatur.

247. Sensu torquebit amaror. Quamvis Servius, & aliquot alii, veram hanc esse lectionem asserant, & a Lucretio sumptam, *Cum tuemur misceri absinthia tangit amaror*, accedantque codicum nonnullorum perveterum testimonia, multaque in hanc lectionem Aulus Gellius congesserit: displicere tamen non potest, quod in antiquissimo codice Romano *amaro* legitur. Sapor enim utrique verbo suppositum esse potest. In Longobardico etiam *amaro* scriptum erat, sed enim *r* littera altera manu & atramento apposita est: idem factum in Mediceo.

253. Neu prae se validam. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis *nec* habetur. In quibusdam aliis, *ne*.

254. Ipso tacitum se pondere prodit. *Tacitum*, vel adverbialiter, vel in supini figura cur longe repetere debeamus, non video: quum antiqua omnia exemplaria *tacitam* habeant.

256. Et quisquis color at sceleratum exquirere frigus Difficile. In codicibus nonnullis admodum vetustis legere est, *Et quis cuive color sceleratum*. In Mediceo, *& quis cuiq. colos at:* ut sit abjectio illa, quam tangit Servius, qui tamen lectionem illam magis approbat, quae vulgatis in exemplaribus habetur.

260. Et magnos scrobibus concidere montes. In codice Romano, *circumdare montes* legitur, quod suos habet amatores. In Mediceo, absque *&* legitur, *Excoquere magnos scrobibus concidere montes:* nam & membrum, quod sequitur, absque copula est.

268. Mutata ignorent subito ne semina matrem. Aliquot ab hinc annis omnes ad unum convenere, ut *mutata* scriberent, & ad semina referri vellent; quum tamen in veteribus omnibus exemplaribus manu scriptis, *mutatam*, quippe *matrem*, legatur: eaque de caussa Virgilius similem locum exquirendum admoneat, ne accidat seminibus, quod & infantibus, ubi vel matris, vel nutricis ubera mutaveris. Fit enim, ut alias reformident, easque pertinaciter reposcant, quibus a teneris insuerint. Nam quod semina mutata, de loco ad locum translata interpretari volunt, ineptum est. In Mediceo codice, apex ille compendiariae notae, qui pro *m* finali illitus erat, nunc abrasus est. De diligentia vero, quae sit adhibenda, ne vites deteriore feramus solo, multa apud Columellam & Theophrastum.

272. Adeo a teneris consuescere multum est. In Romano codice, *multumst* antiquorum more scriptum est, ut multa apud Plautum. Est etiam *in teneris*, lectio codicis Medicei.

273. Collibus an plano melius sit ponere vites. In codicibus aliquot antiquis cum Mediceo *vitem* unitatis numero legas, quod figuratius est.

281. Directaeque acies. In Romano codice, & hic, & alibi, *derectae* legitur: eademque lectio est in Mediceo.

282. Aere renidenti tellus. In codicibus aliquot *renitenti*, syllaba refragante legitur. Sed enim *renidenti*, cum Romano codice, & quibusdam aliis legendum. *Renidere* enim proprium aeris est, quum politum & levigatum fuerit: cujusmodi esse arma decorum est, quod a Vegetio praecipitur. Nam & Servius, *Fluctuat*, Splendet exponit, ut ab hac sententia non recedat. Quamvis id per Metaphoram potius dictum videtur, eo quod instructae acies fluctuum marinorum instar moveri videntur. *Renidere* vero, quamvis apud Catullum & Statium ablanditionem quandam significare videatur; apud Horatium tamen eo significato dictum, quo hic Virgilius utitur: *Non ebur, neque aureum mea renidet in domo lacunar.*

287. Terra neque in vacuum poterunt se extendere rami. In Romano codice, absque pronomine *se* legitur, *poterunt extendere:* ut alibi, *Ferro accingunt*, absque *se:* &, *lateri adglomerant nostro*, eodem modo. In Mediceo tamen, & aliis, id pronomen habetur.

290. Altius ac terrae penitus defigitur arbos Aesculus. Antiqua exemplaria sunt, in quibus *altior* legatur: quae lectio in Mediceo codice subditicia est, quum prius *altius* scriptum esset.

264. Multosq. per annos, Multa virum volvens durando saecula vincit. In Romano codice, legere est, *multosq. nepotes, multa virum.*

299. Neve inter vites corylum sere. In antiquis exemplaribus *corulum* per *u* scribi, quaque ratione, diximus in Bucolicis. Sunt vero qui intelligant praeceptum hoc, quia Coryli sunt exiles, neque diuturnae, minimeque idoneae, quibus vites applicentur. Sed enim potior est caussa: quia viribus nocent: quare inferius in antipharmacum dixit: *Et in veribus torrebimus exta colurnis:* ut hostia nocens eo praecipue virgulto coquatur, quod itidem vitibus nocet. Ea enim de caussa caper Baccho immolabatur.

300. Aut summas defringe ex arbore plantas. In veteribus aliquot codicibus *summas* omnino legitur: in quibus & *destringe*, non *defringe* habetur. In Romano vero, & aliquot aliis antiquioribus, *summa*, unitatis numero, sexto ca-

fu

ſa legitur. Ex arbore enim Summa & Ima eleganter dicere ſolemus.

301. NEU FERRO LAEDE RETUSO. In exemplaribus antiquioribus *retunſo* legitur, ut: *Vomeris obtunſi*, de quo alibi.

305. FRONDESQUE ELAPSUS IN ALTAS. Nonnulla ex veteribus *elabſus* ſcribi per *b* characteriſticum thematis: ita etiam in III. *Labſus:* & alibi eodem modo. Harum vero litterarum *b*, & *p* viciſſitudinarium conſenſum ſuperius oſtendimus. Unum addam exemplum, quod e contrario carpo, & ſcribo, quum praeteritum faciunt characteriſticum praeſentis in ſibi cognatam mutant, ut *Scribo ſcripſi* facit; contra vero *Carpo sarbſi*. per *b* enim praeteritum verbi hujus enuntiari Terentius Scaurus atteſtatur. Sed & *ſcribſi* per *b* in antiquis & approbatis exemplaribus invenio: ut in Terentiano codice Vaticano, quem plerique omnes docti homines magni faciunt, ſcriptum eſt: *Tu te his rebus finem praeſcribſti pater*. Quare mihi non fit mirum in tanta ſententiarum varietate, ut *Labor* verbum, characteriſticum ſuum in praeterito retinere poſſit.

316. TELLUREM BOREA RIGIDAM SPIRANTE MOVERE. In Romano codice, *moveri* legitur: quod minime diſplicet: imperſonale enim habet neſcio quid magis generale ex Servii ſententia: nam etiam in ſegetum cultu praeceptum hujuſmodi dedit: *Et Borea flante neque arandum, neque ſerendum monent Agricolationis magiſtri.*

330. ZEPHYRIQ. TEPENTIBUS AURIS LAXANT ARVA SINUS. In Romano codice, & in Mediceo, *trementibus* legitur: quod ſi admittas, dictum erit ab effectu: magis vero placet *tepentibus*, ob rationem phyſicam, quod calidi ſit aperire, ut frigidi condenſare.

332. AUDENT SE GRAMINA TUTO CREDERE. Celſus ait Virgilium ſcriptum reliquiſſe *germina:* quare male *Gramina* repoſitum eſt: loquitur enim de arborum omnium foetu.

340. CUM PRIMUM LUCEM PECUDES. Romanus, & Mediceus codex, *Cum primae lucem pecudes* legunt, quod non diſplicet.

341. VIRUMQ. FERREA PROGENIES DURIS CAPUT EXTULIT ARVIS. Lactantius libro primo, lectionem agnoſcit *terrea*, ubi dicit: *Illud hoc loco praeterire non poſſum, quod errantes quidam philoſophi ajunt: homines caeteraque animalia ſine ullo artifice orta eſſe de terra: unde illud Virgilianum*, TERREA PROGENIES DURIS CAPUT EXTULIT ARVIS. Sed quantum pertinet ad *Terream*, tam inſtrumenti noſtri monumentis conſonum eſt, quam a Philoſophorum antiquioribus ſcholis non alienum, Aegyptiis, Arabibus, & pleriſque aliis nationibus, apud quas rerum naturalium diſciplina claruerit, in eandem ſententiam facile concedentibus. In quibusdam vero Lactantii codicibus, verba illa, PROCREATA EX LAPIDIBUS, ex Servii commentario importune videas inſerta Virgiliano carmini. Illud autem *terrea* eruditis auribus non ſatis facit, qui putant Lactantii codicem depravatum, quum *ferrea*, ſententiam nihil immutet.

354. SUPEREST DEDUCERE TERRAM. In aliquot aliis *educere*. Sed vulgata lectio caſtior.

359. FURCASQ. BICORNES. In Romano codice legere eſt, *Furcaſque valentis:* quod mihi non ſatis facit, tam etſi in aliquot aliis codicibus ea lectio reperiatur.

364. PALMES AGIT. In Mediceo codice, *aget*, futuro tempore legitur.

365. IPSA ACIE FALCIS NONDUM TENTANDA. In Romano codice, numerus ita habet, *ipſa acie nondum falcis*. In aliquot aliis, *ipſa acies* legitur. Sententiam vero hanc Quintilianus ſibi deſumpſit Inſtitutionum lib. II. *Quod etiam ruſticis notum eſt, qui frondibus teneris non putant adhibendam eſſe falcem, quia reformidare ferrum videntur, & nondum cicatricem pati poſſe.*

370. ET RAMOS COMPESCE FLUENTIS. In antiquiſſimo codice Romano legere eſt, *ramos compeſce valentis:* praecepto, phraſique ex Varrone ſumpta, qui primo de Agricultura ait: *Vites pampinari, ſed a ſciente. Nam id, quam putare, majus: neque in arbuſto, ſed in vinea fieri. Pampinare eſt ſarmento coles, qui nati ſunt de iis, qui plurimum valent, ſecundum, nonnunquam & tertium relinquere, reliquos decerpere, ne relictis colibus ſarmentum nequeat miniſtrare ſuccum.*

371. ET PECUS OMNE TENENDUM EST. In Romano codice, *tuendum* habes. In Mediceo, *tenendum*, abſque *eſt*.

372. PRAECIPUE DUM FRONS TENERA. Adverte loco hoc Servii corrupta eſſe verba, quae ut per te incolumitati ſuae reſtituere poſſis, quid ſuper hoc nomine veteres tradiderint apponam. Cariſius ait: *frundes*, & *frundibus*, veteres per *u* dixiſſe; cujus exemplum ponit Ennii ex Annalium libro ſeptimo: *Rureſcant frundes:* non *frondes*. Mutatum vero *u*, in *o* monet Plinius: & nominativum abſque *n* littera in utroque loqui, *frus*, *fros*. Nam *frons*, τὸ μέτωπον.

374. SILVESTRES URI ASSIDUE, CARPREAEQUE SEQUACES ILLUDUNT. In Romano codice, *adſidue:* quam ſcriptionem improbat Cariſius, quum nomen ſit ab *Aſſe*. Quod vero Servius *Uros* in Pyrenaeis naſci dicit, Plinius eos, quos inter equos etiam enumerat, ad ſeptentriones ſtatuit: quorum cornibus Barbari illi potent: Caeſar in Hercinia ſilva Germaniae.

377. AUT GRAVIS INCUMBENS SCOPULIS ARENTIBUS AESTAS. In codice Mediceo *aeſtus* le-

legitur, quod frigori respondet per Antitheti proprietatem, & eadem locutione variatum in Palaemone, *Si lac praeceperit aestas.*

379. Et admorso signata in stirpe cicatrix. *Admorso* quidem in veteribus aliquot codicibus habetur: in plerisque vero *d* littera abrasa est, imperite, ut mihi videtur: nisi sit, quod in antiquis aliis *a morsu* legitur. Sane Romanus codex, *admorsu* unica dictione, verbali nomine, legit. In Mediceo etiam prius scriptum erat *admorsu* per *u*. inde illita est circularis linea alio atramento, ut *admorso* dicat. Sed enim Servius *admorso* participium agnoscit, ac si diceret, abroso stirpe. Quamvis negat Donatus stirpem apud Virgilium reperiri, foeminino genere: quam sententiam & Carisius & alii plerique rejecerunt, ut alibi dictum.

380. Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris Ceditur, et veteres ineunt proscenia ludi. Praemiaque ingentes pagos, et compita circum Theseidae posuere. Sunt qui epitheton *ingentes* otiosum esse, vel importunum judicent, quod non ingentibus tantum pagis, sed in omnibus, ea sacra fieri pietas illa vetus exposcebat. Neque distinguendum, ut per compita minores pagos intelligamus, quum sit ejusdem sententiae dilatatio, ut etiam apud Horatium: *Quis circum pagos, & circum compita victor:* quin pagus paucissimis etiam casis constare potest. Compita, quum triviorum plateas requirant, pluribus itidem constare domibus aequum est. Quare lectionem illam summopere approbarim, quam in codicibus omnium quos versaverim antiquissimis observavi: *Praemiaque ingeniis pagos & compita circum Thesidae posuere:* ut intelligas de Tragoediis, quarum scriptoribus hircus praemium fuerit propositum, Horatio dicente: *Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum.* Et his ludis poëmata cani solita, idem Horatius ostendit, dum *Thespin* ait *plaustris vexisse poëmata*, de Tragoediae inventore loquens. Dicamus igitur Athenienses posuisse praemia ingeniis pagos & compita circum. Quia vero sunt qui Virgilium negent usum *ingenii* vocabulo, pro ea vi mentis, quae sit docilitatis, meditationis, inventionis, & prudentiae capax, eo significato, quo apud Horatium est: *Grajis ingenium*, & apud Sallustium: *Sed quia provenere ibi praeclara ingenia:* omne punctum me tulisse fateantur, si dixero apud Virgilium eodem significato accipi: *Haud equidem credo, quia sit divinitus illis Ingenium.* Ad eorum enim opinionem refellendam hoc ait, qui putabant multis & prudentiae, & docilitatis signis in avium genere perspectis, ea pollere mente: cujus sententiae Democritum fuisse tradunt. Siquis vero Virgilii sententiam inspiciat, neminem tam stupidum esse crediderim, qui non fateatur eo loco *Ingenium* pro vi mentis accipi, quae sit docilitatis, & prudentiae capax. Quod si etiam nusquam alibi Virgilius eo vocabulo usus fuisset, Latinissimae illius aetatis consensus, qua M. Tullius, Sallustius, Horatius claruere, facit, ut hoc loco non incongrue in hanc sententiam poni potuerit: etiam si rei tactae pulchritudo, eruditioque ipsa, & veterum codicum testimonia non accederent.

384 Unctos saliere per utres. Servianis temporibus, praeteritum a *Salio saloi* pronuntiabant Idem tamen *salii* secundum artem dictum asserit a Virgilio: quod veteres *salivi* faciebant. Hinc nonnulli *saluere* scribunt. In codicibus tamen antiquis manu scriptis *saliere* legitur: ejusmodique praeteriti forma agnoscitur a Prisciano hoc eodem citato versu: eum vero saliendi morem videas apud Hyginum de Signis, ubi de Arctophylace loquitur.

393. Ergo rite suum Baccho dicemus honorem. In veteribus aliquot codicibus legere est *suos honores:* quod rem splendidiorem efficit.

396. In verubus torrebimus exta colurnis. In codice Mediceo *torquebimus* legitur: quod ipsius rei ministerium videtur exprimere. Sed enim *torrebimus* receptius.

403. Et jam olim seras. In Romano codice legere est, *ac jam olim*. In aliquot aliis *at jam:* quarum lectionem nullam improbarim.

405. Curas venientem extendit in annum Rusticus. In Romano codice, pro *rusticus*, *agricola* legitur: magis vero placet *rusticus*; tum quia sic habetur in reliquis exemplaribus, tum ex Tibulli Synepeia: *Ipse seram teneras maturo tempore vites Rusticus.*

409. Et vallos sub tecta referto. In hanc sententiam Varro libro primo de Agricultura: *Dominus simulac vidit occipitium vindemiatoris, furculas reducit hibernatum in tecta, ut sine sumptu harum opera altero anno uti possit.*

417. Jam canit extremos effoetus vinitor antes. Carminis hujus lectio in antiquis codicibus varia est: nam in codice Romano, *Jam canit effectos extremus vinitor.* Verum id improbatur a Servio, qui mavult *effoetos* legere. In Longobardico, atque etiam in Mediceo, *canit effoetus extremos.* Aliqui timentes syllabae, dictionum ordinem transmutarunt: multaque ita, ut vidimus, toto opere ausi sunt aggredi.

428. Opisque haud indiga nostrae. In Romano codice, *opes haud*, absque particula *que* legitur. Scriptum vero est *opes*, pro *opis*, more suo, uti eo loco, *sublimes in aethere Nisos*, pro *sublimis*. Qui syllabae timuerunt post *opis*, *que*, ut facere soliti sunt, addidere: nam lectio venustior absque ea particula.

431. Ton-

431. TONDENTUR CYTISI. In Romano codice versus hic statuitur post eum: *Pascunturque ignes.* Sed non procedit *cytisi* sine adspiratione.

432. ET LUMINA FUNDUNT. In antiquo: *ac lumina fundunt.*

434. HUMILESQUE GENISTAE. Antiquiora omnia exemplaria *genestae* per *e* in pene ultima legunt: uti etiam superius adnotatum est.

435. AUT PASTORIBUS UMBRAM. In veteribus omnibus codicibus scriptum observavi *umbras*, numero multitudinis.

440. IPSAE CAUCASEO. In antiquis *Caucassio*, ut Olympius.

443. CEDROSQ. CUPRESSOSQ. In Romano, in Mediceo, & aliis antiquioribus codicibus, legitur *cedrumq. cupressosq.* quanquam in Longobardico *cupressos*, absque particula enclitica scriptum sit, scriptoris negligentia.

448. ITHYREOS TAXI CURVANTUR IN ARCUS. Invenies omnino in aliquot codicibus antiquis *curvantur:* sed in Mediceo *torquentur* habetur: in aliquot *Itureos* per *u*, & absque adspiratione, quam addere nonnulli Grammatici commenti sunt, nomen ἀπὸ τοῦ ἰθέως deduci asserentes. Sed enim apud Dionysium & Strabonem in codicibus manu scriptis per τ & υ nomen scriptum inveni Ἰτυραῖοι: quamvis in codicibus Aldinis per δ notatum sit, errore librarii, τὰ μὲν οὖν ὀρεινὰ ἔχουσι πάντα Ἰδυραῖοί τε καὶ Ἄραβες. Est & ubi *Tyraeos* legas, sed inemendate. Sunt enim in Arcadia *Thyraei*, & in Isthmo Tarentini promontorii. De *Ituraeis* vero *sagittariis* habetur in epistola Valeriani imperatoris ad Aurelianum. *Habes sagittarios Ituraeos trecentos:* recitatum a Flavio Vopisco.

449. ET TORNO RASILE BUXUM. Signant Grammatici dictionem *Buxum* neutro genere dictam a Virgilio: quam foeminino Ennius, & plerique alii ex veteribus protulere. Sed enim aliis *Buxus* arbor est: *Buxum* materia: atque ita recte etiam alibi dictum: *Mirata volubile buxum.*

453. VITIOSAEQ. ILICIS ALVO. In Romano codice legitur *alveo*, quod mirifice placet.

455. ILLE FURENTES CENTAUROS LETO DOMUIT RHOETUMQUE PHOLUMQUE. In antiquis aliquot codicibus *Centaurus*, Graeco more casu terminato, ut in veterum monumentis saepissime legas: VIXIT ANNUS, pro *annos*, & pleraque alia similia. Scribendum vero videtur *Rhoecum* per *c*, ex Callimachi commentariis: quem locum in memoriam mihi redegit Petrejus Zancus, doctissimus adolescens: quanquam sunt, qui Virgilium volunt nominis ejus asperitatem emollire voluisse.

462. TOTIS VOMIT AEDIBUS UNDAM. In Mediceo codice *vomat* scriptum: quod nescio quid elegantius sonat.

464. ILLUSASQUE AURO VESTES. In codicibus aliquot antiquis legere est: *inclusasq. auro:* quam tamen lectionem improbat Servius: & *illusas* in antiquioribus omnino est.

465. ALBA NEC ASSYRIO. In Mediceo, & aliquot aliis antiquis *neque Assyrio* legitur.

467. AT SECURA QUIES &c. AT FRIGIDA TEMPE. In Longobardico *ac* utrobique scriptum; sed magis placet *at:* id vero in Romano codice per *d*, ut saepe solet, scriptum invenies. ET NESCIA FALLERE VITA. In Romano codice *vitam* legitur: cujus suppositum erit, quies. In reliquis tamen omnibus habetur *vita:* & longe melius.

468. AT LATIS OCIA FUNDIS. Scribendum *otia* per *t* ex Mediceo codice, & marmorum consensu. Est etiam *ac*, pro *at*, quod non aeque probatur.

471. NON ABSUNT ILLIS SALTUS AC LUSTRA FERARUM. Vetera omnia exemplaria, quotquot habere contingit, non *illis*, sed *illic* legunt, quod mirifice placet: idque etiam Servius agnovisse videtur, dum quae rure, quaeque in urbe sunt, memorat.

472. PARVOQUE ASSUETA JUVENTUS. In Romano codice, legitur *exiguoq. adsueta.* Verum ideo magis placet *parvo*, ut in reliquis exemplaribus habetur: quia frequentissimo auctorum usu dicitur, *contentus parvo.*

476. QUARUM SACRA FERO INGENTI PERCULSUS AMORE. In codice Longobardico tantum legitur *perculsus.* Sed in Romano, in Mediceo, & aliis antiquioribus, *percussus*, prout etiam dicitur, *amore saucius:* sive quia passim locutiones illae *percussus* & *perculsus* apud auctores confunduntur.

479. QUA VI MARIA ALTA TUMESCANT. In Longobardico *tumescunt* legitur; sed elegantius est *tumescant.*

481. OCEANO PROPERENT SE TINGERE SOLES. *Tinguere*, ut in veteribus habetur, scribendum esse ostendit *Distinguo* (ajunt veteres grammatici) de quo nemo dubitat: id vero diversis coloribus tinguere significat: ac proinde secernere, & dissipare.

485. RURA MIHI ET RIGUI PLACEANT IN VALLIBUS AMNES. In Romano codice, *rigidi* legitur. Sed enim non videtur amnibus convenire, ubi agitur de amoenitate: rigor enim glaciei potius congruit: ut ibi: *Glacie riget horrida barba:* nisi *Rigidi*, pro *Gelidi* positum sit. Sed omnino fuit hic asperitas evitanda.

491. ATQUE METUS OMNES, ET INEXORABILE FATUM SUBJECIT PEDIBUS. In Romano co-

codice legitur *ineluctabile fatum:* quod & alibi positum a Virgilio; magis tamen eruditi probant, quod varium est ad fertilioris facundiae copiam.

508. Hunc plausus hiantem Per cunes (geminatur enim ploebisque patrumque) Corripuit. Romanus codex, Mediceus, Longobardicus, & plerique alii, *geminatus* legunt: quod etiam approbatur a Servio.

523. Interea pendent dulces circum oscula nati. Omnes antiqui codices, hoc ordine legunt, *Interea dulces pendent.* In aliquot etiam codicibus ex antiquioribus *obscula:* quia grammatici *osculum*, quod ob *os* petatur, dictum volunt: sed enim ea dura nimis est enuntiatio.

531. Corporaque agresti nudat praedura palaestra. In Romano codice, in Mediceo, & antiquissimis aliis *nudant*, numero multitudinis, legitur.

533. Sic fortis Etruria crevit. Sunt qui nomini adspirent *Hetruria.* Sunt qui *Ethruria* scribunt. Apud veteres ego nulla adspiratione *Etruria* scriptum observavi. *Imperium vero Etruscorum*, ut ait Livius, *fuit ab Alpibus usque ad fretum Siculum. Unde totum mare, quod a dextra Italici litoris est, Tyrrhenum appellatur.* Atque hoc est, quod Virgilius ait: *Sic fortis Etruria crevit.*

534. Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma. Sunt antiqui codices, in quibus *pulcerrima* absque adspiratione inveniatur: de qua scribendi ratione M. Tullium in hoc nomine sollicitum fuisse, vel ipsius in Oratore testimonio manifestum est: cui quum unum ratio, alterum consuetudo dictaret, coactum se usui cedere profitetur. Sed enim quid super hoc Terentius Scaurus tradiderit, recitare non pigeat, ut etiam locum in ejus codice mancum resarciamus, aut obscurum nimis, adjecta paraphrasi, dilucidemus. Ait itaque is: *Et Pulchrum, quamvis in consuetudine adspiretur, nihilominus tamen ratio exiliter & enuntiandum & scribendum persuadet. Ne una omnino dictio adversus Latini sermonis naturam adspiretur: quamvis alii a Graecis putent esse translatum, quasi pulchrum* πολλὸν χρῶμα, *quippe multum nitoris, & elegantiae significaret. Sunt tamen non ebetis ingenii viri, qui nomina hujusmodi in* crum *exeuntia, a verbis deduci velint: a fulcio fulcrum, a sepelio sepulcrum: ita a polio polcrum, mox consuetudine pulcrum.*

542. Et jam tempus equum fumantia solvere colla. Sunt veteres codices, in quibus *equom* scribitur. In Romano, & aliquot aliis *spumantia* legitur: quam esse cum translatione allegoriam, Quintilianus ait in octavo. Et *fumantia* habetur apud Carisium, ubi de Allegoria.

LIBER TERTIUS.

Caetera quae vacuas tenuissent carmina mentes, Omnia jam vulgata. Quamvis *carmina* non improbarim, in codicibus tamen aliquot manu scriptis legitur *carmine*, septimo casu. Non enim dicit caetera carmina jam vulgata sunt, sed caetera omnia, quae versibus pangi potuissent, quaeque plurimum in poëtarum argumenta venire solent. Mox ea quaenam sint, recenset.

4. Eurystea durum. Ne quem transversum agant, qui *dirum* malunt, ad hominis crudelitatem ostendendam, *Durum* castam esse lectionem ostendit Val. Flacci parodia: *Sed duro saevae sub rege Mycenae.*

5. Aut illaudati nescit Busiridis aras. In Romano codice, in Mediceo, & in Longobardico *inlaudati*, per *in*, scriptum est more veterum: ac de *Illaudato* quidem legas apud Gellium libro secundo, cap. sexto. Locum vero hunc No. Marcellus expositurus, ait: *Laudare significat etiam nominare.* Virgilius: *Aut illaudati nescit Busiridis aras*, id est, nec nominandi. Plautus in Captivis: *Id ut sciat, Jovem supremum testem laudo, Hegio.* Sunt qui *illaudatum*, ferum & immanem interpretentur. Non defuerunt olim, qui Virgilio vitio verterent, quasi otiosum epitheton immanissimo omnium Tyranno attribuerit. Sed enim tot inter opiniones, primas obtinere videtur Isocratis oratio dicentis, eum qui Busiridem laudare conatus fuerat, id demum effecisse, ut & vituperabilis, & odio magis dignus, ob eam commendationem videretur. Ejus vero verba subtexere visum est non importunum: Ἀλλ' ἓν ἐκεῖνο τοῖς ὑπὸ σοῦ λεγομένοις οὕτως ἠγνωμονήκασιν, ὥστε μηδεμιᾶς ἂν ἀποσχέσθαι τιμωρίας· καί τοι πῶς οὐκ αἰσχύνεσθαι μᾶλλον ἢ σεμνύνεσθαι προσήκει, τὸν παρὰ τοῖς λοιδορουμένοις ὑπ' αὐτῶν μᾶλλον ἀγαπώμενον, ἢ παρὰ τοῖς ἐγκωμιαζομένοις; quorum sententia est hujusmodi: *Verum enimvero: quae a te dicta sunt, ea tam indigne ferre debet, ac si nullum inde honorem consecutus. Cur vero quis non vituperatione se affectum potius quam laudatum judicet, qui propter ea, quae in se maledice conterta sunt, majorem apud homines gratiam consequatur, quam propter ea, quae fuerint praecipue laudata?* Quare si Virgilium dixerimus, dum *Busiridem illaudatum* appellat, locum hunc Isocra-

cratis perstrinxisse, non inepte forsitan locum interpretati judicabimur. Alii, Ovidio freti, dicunt *illaudatum Busiridem* ea de caussa dici: quia Juppiter ejus sacrificia nunquam approbaverit. Sed vereor, ne dum tam multa super *Illaudato* perquirimus, nos quoque illaudandi judicemur.

17. ILLI VICTOR EGO, ET TYRIO CONSPECTUS IN OSTRO CENTUM QUADRIJUGOS AGITABO AD FLUMINA CURRUS. In Romano, in Mediceo, & aliquot antiquissimis codicibus *illic*, hoc est Mantuae, in patria mea, quo primus ego Musas ab Aonia deduxero. In Longobardico abrasum est *c*, imperiti nescio cujus temeritate. Quamquam nihil prohibet, quin *illi*, pro *illic* accipi possit, ut in secundo Aeneidos: *Illi mea tristia facta:* quod pro *illic* positum Grammatici veteres observarunt.

20. ET CRUDO DECERNET GRAECIA CESTU. In Romano codice, *duro cestu* legitur. Sed enim in quinto Aeneidos: *Seu crudo fidit pugnam committere cestu*. Praeterea in Mediceo, in Longobardico, & aliis quibusdam *decertet* habetur, ut alibi *certare palestra*. Quod vero objiciunt alii, *decernere ferro*, id loco suo examinabitur.

32. RAPTA MANU DIVERSO EX HOSTE TROPHAEA. In Romano cod. & aliquot aliis antiquioribus, *tropaea* absque ulla scriptum est adspiratione: & id quidem recte.

38. TORTOSQUE IXIONIS ANGUES. In Romano codice *orbes* legitur, quod si admittas, figura erit *ἓν διὰ δυοῖν*, quia sequitur: *Immanemque rotam.* aliis: *tortos angues*, quod agnoscit Servius.

39. NON EXUPERABILE SAXUM. In antiquis exemplaribus: *exsuperabile*. Juniores maluerunt in hujusmodi compositis verbi *e* litteram, *x* praejectam, excludere.

53. ET CRURUM TENUS A MENTO PALEARIA PENDENT. *Tenus*, si praepositio sit, ablativo casu cohaerere dicit Servius, esseque hic adverbium. Sed enim, *Tenus*, cum nomine, quod sit numero multitudinis, Genitivo saepius junctum animadverti. Quintilianus *Aurium tenus* in usum lingua perceperit. Catullus *nutricum tenus extantes*. Ita enim is appellat papillas, quod inepte simul & inverecunde quidam legunt: *jam crurum tenus extantes*.

57. AUT JUGA DETRECTANS. In Romano codice, in Mediceo, & in aliis antiquissimis, uno tantum excepto, scriptum inveni, *detractans*, quod impavidos aspexerint, ideoque pullos innatationibus adsuefaciunt. Est autem *ponto* scriptum in codice Mediceo.

79. NEC VANOS HORRET STREPITUS. Quintilianus libro octavo ordinem esse dicit: *Nec vanos horret strepitus: Tum, siqua sonum procul arma dedere, Stare loco nescit.* Caetera vero, quae totam ejusmodi equi faciem describunt: *Illi ardua cervix*, usque ad eum locum: *Color deterrimus albis, & gilvo*, per interpositionem collocata, quare parenthesis utroque adlinenda loco est.

85. COLLECTUMQUE FREMENS VOLVIT SUB NARIBUS IGNEM. In Mediceo codice, correctum est, *fremens:* sed enim prius recte *premens* scriptum erat, ut in aliis emendatioribus habetur.

88. ET SOLIDO GRAVITER SONAT UNGULA CORNU. In Romano *quatit ungula* habetur. Sed magis placet, *sonat*, quia dicit, *solido cornu:* omnia enim solida validius sonant: estque & Juvenalis synepeja: *Quo tondente gravis juveni mihi barba sonabat:* non enim ibi (hoc enim [illegible] addemus) *gravis barba mihi juveni;* sed, *gravis*, pro, *graviter* sonabat, legendum est: ut ostendat eum neque quidem artis suae peritia potuisse adeo ditari, ut patricios jam omnes opibus provocaret: & pondus habet, *juveni mihi*, cui vel lanugo, vel mollior barba, sine stridore abradi potuisset: si, quam profitebatur artem, Tonsor calluisset.

90. GRAJI MEMINERE. In pluribus codicibus antiquis unico *i*, *Grai* scriptum invenias, ex eorum sententia, qui *i* inter duas vocales per se plenam & satis sonoram esse judicabant, ideoque *Grajus* unico *i* scriptum, *Grai* in casibus aliis per synereſim facere debere. Quum tamen alii, cujus sententiae Ciceronem fuisse tradit Velius Longus, similia per geminatum *ii* pronuntiarent, ut *Majia*, *Grajus*, unde *Graji*. Sed & ipsa declinationis proportio expetit, ut *us* ultimae syllabae finales litterae in genitivo secundae abeant in *i*. Eandemque vocem esse etiam nominativi pluralis consentiunt omnes, quare *Graji* duplicato *i* scribendum fuerit: quum nulla regula *i* priorem consonantis loco positam elidi praeceperit. Subsecuta vero aetas, quum non intelligeret ex duobus *ii* priorem loco consonantis positam, sed pro vocali acciperet, synerefim fecit, atque hinc *Grai* per unum *i*.

92. JUBAM CERVICE EFFUDIT EQUINA. In Romano, & quibusdam aliis, *effundit*, praesenti tempore legitur. In aliquot aliis *fudit*. Sed *effudit*, legendum de praeterito, ipse narrationis ordo exposcere videtur, subsequitur enim: *Et implevit.* Quod vero sequitur: *Conjugis adventu*, quod in antiquis aliquot codicibus per *t* notatum est *atventu*, Victorinus ait, desiisse nos per *t* scribere.

95. HUNC QUOQUE, UBI, AUT MORBO GRAVIS, AUT JAM SEGNIOR ANNIS, DEFICIT. In Rom. codice, *segnior aetas* legitur; sed nitidior est elocutio, *ubi deficit aut morbo gravis, aut annis segnior*.

99. UT QUONDAM IN STIPULIS MAGNUS SINE VIRIBUS IGNIS. In Romano codice legitur, *in stipula* unitatis numero, intellectionis figura. In aliis plurale est.

103. CUM

103. Cum praecipiti certamine campum Corripuere, ruuntque. In veteribus aliquot exemplaribus, *praecipiti conamine*, legitur, quae mihi paraphrasis videtur: & uti Veteres scribere consuerunt, in iisdem antiquis notatum est, *corripuere ruontque*.

109. Atque assurgere in auras. In Romano codice, *exsurgere* legitur. In Longobardico, & in Oblongo, *insurgere*. In reliquis tum, *assurgere*, tum, *adsurgere*: & hoc magis receptum. Sed nullum ego velim improbare, codicum reverentia. Legas etiam in aliquot, & his antiquis, *in aures*; sed *auras*, omnino casta lectio.

114. Rapidisque rotis insistere victor. In Romano codice legitur: *rapidus*, quod & Servius agnoscit.

122. Neptunique ipsa deducat origine gentem. In Romano codice non *gentem*, sed *nomen* legitur. Quod vero equos ullos a Neptuno deducere dicat originem, non quod tridentis percussione equus exilierit, in quo Servius falsus est, corrupto codice Ovidiano: neque quod se Ceres in equam mutaverit, ita a Neptuno compressa, unde generosos equos genitos ait Probus: sed quia Neptunus quorundam equorum auctor fuit, ut Pegasi, & alterius, in Thracia percusso scopulo: veluti Medusa Arionis, Ceres Odorimi, quem Adrastus habuit.

126. Florentesque secant herbas. In codicibus aliquot antiquis, legere est, *pubentesque*, quale pabulum longe delicatius est: nam Moderatus equorum gregibus pascua, mollibus potius, quam proceris herbis, habundantia, praecipit eligenda.

127. Ne blando nequeat superesse labori. In Romano, & antiquissimis aliquot codicibus *nequeat*, singulari numero, legitur. De eo enim loquitur, *Quem legere ducem, & pecori dixere maritum*.

131. Frondesque negant, et fontibus arcent. In codicibus aliquot antiquis, perperam omnino, *frondibus*, legitur, sententia frustra repetita.

133. Cum graviter tunsis gemit area frugibus. In Romano codice, ubi *n* plerunque videtur habundare, *tusis* tamen hoc loco scriptum est. In quibusdam aliis, *tonsis*. Sed enim hic loquitur de Tritura, quae fit in agro Mantuano, & Euganea fere omni, circumductis per aream equis, qui spicas in pedibus pertundant. Ejusdem speciei est, quod sequitur, Obtusior usus: nam in Romano codice, & quibusdam aliis, *obtunsior* habetur, ut superius: *Obtunsi*, pro, *Obtusi*, posuit. Quod vero dixit: Sit genitali arvo, Metaphora est ad ornatum, ut parum speciosa dictu honestius proferantur, ut Quintilianus observavit.

147. Cui nomen Asilo Romanum est: Oestrum Graji vertere vocantes. In antiquis aliquot codicibus, *quoi*: nam haec quoque sunt observanda, quanvis penitus ex usu recesserint. In Romano codice, *Romanumst*, more veterum scriptum habetur, facta collisione ex vocali, quae in *est* repetitur. In Longobardico, vertere vocando, id est, nomen imponendo, per formam gerundii, ut: *Fingitque premendo*. In nonnullis etiam *oestron*, per *o*, non indecenter scriptum invenias, ut ipsa etiam declinationis forma sententiae correspondeat.

152. Hoc quondam monstro horribilis exercuit iras. In antiquis codicibus *horribilis*, per unicum *i* finali syllaba, ex Velii Longi sententia. Quod vero in Ius fabula recensenda Servius dicit: *Transiit autem per mare angustum, quod Bosphoron ab ea appellatum est, nunc Hellespontus nominatur*: ultima illa verba: *nunc Hellespontus nominatur*, adulterina esse crediderim: non enim adduci possum, eum ignorasse alium esse *Bosphoron*, alium *Hellespontum*, atque alterum ab altero longe distare: quum *Bosporus Thracius*, ubi ejus Bovis transitus fuisse traditur, ad fines Euxini maris dubio procul sit, inde Propontis late diffusa interjaceat, cui mox subjungitur Hellespontus.

153. Inachiae Juno pestem meditata juvencae. Apud Horatium eodem significato legitur: *Diluviem meditatur agris*: quanquam sunt, qui *minitatur* eo loco legendum autument.

157. Post partum in vitulos cura traducitur omnis. In Romano codice, in Mediceo, in Longobardico, & aliquot aliis, versus hoc numero legitur: *Post partum cura in vitulos trad. om.* Praeterea in Oblongo illo codice, quem Pomp. Laetus delitias suas ajebat: *deducitur*, pro *traducitur*, habetur. Sed alterum melius.

160. Aut aris servare sacris, aut scindere terram. In Romano, & in Mediceo codice, *sacros* legitur, quod minime displicet. Sane & in Longobardico, *sacros* prius legebatur: inde abrasa litterae parte *sacris* legi voluerunt.

163. Tu quos ad studium atque usum formabis agrestem. In Romano codice legitur, *ad studia*. Sed hoc significato melius *studium*, singulare.

168. Ipsis e torquibus aptos. In antiquissimo codice Oblongo, *de torquibus* legitur. In Longobardico, *Ipsis & torquibus aptos*.

173. Et junctos temo trahat aereus orbes. In antiquis, *vinctos*, & *orbis*.

175. Ulvamque palustrem. In Romano codice *silvam* legitur, sed *ulvam* magis acceptum.

177. More patrum nivea implebunt mulctraria vaccae. In Romano codice, in Oblongo, & in aliquot aliis *mulctraria* legitur: quam-

quamvis in aliquibus deest littera *e* ante *t*, quod in Mediceo videtur. Invenimus & in aliquot codicibus antiquissimis *mulgaria*, qua dictione usus est Valgius: *Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis.* In Longobardico prius erat *multraria*, quae dictio abrasa leviter est, & *mulgaria* repositum.

189. INVALIDUS ETIAMQUE TREMENS ETIAM INSCIUS AEVI. In codicibus nonnullis antiquioribus, *et jam* per distinctas dictiones, conjunctionem, & adverbium, utroque loco scriptum observavi: quam quidem lectionem etiam Comminianus, scriptor, ut Carisius ait, diligentissimus, agnoscit: nam ubi soloecismum per partes orationis fieri ait, versum hunc citat, eo quo dicebamus modo scriptum. Exponitque *jam* pro *etiam nunc*, conjunctio posita pro adverbio. Eodem modo illud etiam crediderim accipiendum VIII. Aeneidos: *Aut pingui flumine Nilus, Cum refluit campis, & jam se condidit alveo:* de quo loco suo dictum.

190 UBI QUARTA ACCESSERIT AETAS. Haec utique lectio omnium fere codicum antiquorum est, uno illo vetustissimo excepto, quem Romanum appellamus, in quo legitur: *ubi quarta acceperit aestas.* Caeterum *aetas* agnoscit Servius, exponitque *quarta aetas*, quartus annus, qui velit aetatem accipi multipliciter. Neque ignorat Varronis praeceptum, post annum trinum melius esse pullum domare. Mihi vero neque *acceperit*, neque *aestas*, displicent, in tam vetusti codicis testimonio, qui fidem apud me eatenus facit, quum integras variat dictiones. In litteris vero nonnunquam corruptissimus est. Sed ut de Ennio Virgilius profiteri solitus, ex eo stercore aurum plerunque colligitur.

200. LONGIQUE URGENT AD LITORA FLUCTUS. In codicibus aliquot antiquis cum Mediceo, *longe* legitur, ut sit adverbium pro valde. *Urguent* vero Attiano more adhuc quaedam scribunt exemplaria.

202. HIC VEL AD ELEI METAS, ET MAXIMA CAMPI SUDABIT SPATIA. In Longobardico codice, & in altero pervetusto, *hic vel ad*, prout vulgata legunt exemplaria, legitur. In Romano, *hinc & ad Elei*, hoc est, ex hujusmodi cura emissus ad certamina. In Oblongo, etiam est *&*; non *vel*.

209. SED NON ULLA MAGIS VIRES INDUSTRIA FIRMAT. In veteribus aliquot codicibus *servat* legitur; sed longe plures *firmat* habent.

216. MEMINISSE NEC HERBAE. In Oblongo codice, *neque*, quod mollius videtur.

230. JACET PERNOX. Cur *pernox* innovari debeat non video, quum vetera omnia exemplaria manuscripta, (de iis loquor, quorum mihi copia fuerit) uno consensu legant *pernix*. Idque tam manifeste agnoscat Servius, & a *pernitendo* dictum velit.

234. ICTIBUS ET SPARSA. Non placet quod in Romano legitur, *aut sparsa.*

237. FLUCTUS UT IN MEDIO COEPIT QUUM ALBESCERE PONTO. In Romano, in Mediceo, in Longobardico, & quibusdam aliis pervetustis codicibus, legere est, *Fluctus uti medio* absque *in*. Sed in Oblongo suaviori numero legitur, *Fluctus uti in medio.*

239. NEC IPSO MONTE MINOR. In Longobardico, in Mediceo, quod dulcius est, *neque ipso.*

241. VORTICIBUS, NIGRAMQUE ALTE SUBJECTAT HARENAM. In Romano, in Mediceo codice, *verticibus*, more suo, contra Capri sententiam: & quod forte non displiceat, *subvectat*, in Romano est.

249. HEU MALE TUNC LIBYAE SOLIS ERRATUR IN AGRIS. In antiquissimo codice, *versatur* legitur, quod non placet: nam errare pertinet ad solitudinem, versari ad frequentiam. In Mediceo, *erravit* habetur: sed neque id receptum.

254. FLUMINA CORREPTOS UNDA TORQUENTIA MONTES. In Mediceo, in Romano, in Longobardico, & in aliquot aliis veteribus codicibus, legere est, *correptosque unda:* nam quum dixerit, *objecta retardant flumina*, non incongrue alterum participium subjungit, quippe: *Torquentia montes correptos unda:* cui particula adjungitur copulativa.

257. HUMEROS AD VULNERA DURAT. In Romano, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis legere est: *humerosque ad vulnera*, ut illud uno membro concludatur, *fricat arbore costas, Atque hinc atque illinc.*

260. COECA NOCTE NATAT SERUS FRETA. Ordo numerusque harum dictionum varius admodum in antiquis exemplaribus invenitur. In Romano enim codice, in Mediceo, & in Longobardico sic habet, *Nocte natat caeca serus freta*, Alcmanio numero tetrametro hypercatalectico In Oblongo, dictiones ultimae ita variant, *Nocte natat caeca freta serus*, Alcmanio tetrametro catalectico numero. Eo vero numero, qui passim habetur in impressis, nusquam scriptum observavi in antiquis his, quos habere contigit, exemplaribus. Sed enim haec ad eos tantum pertinent, qui figurarum, quae ex structura fiunt, varietate delectantur.

267. QUO TEMPORE GLAUCI POTNIADES MALIS MEMBRA ABSUMSERE QUADRIGAE. De *Glauco*, praeter ea, quae a Servio & a Probo referuntur, sunt qui scribant, *Glaucum Sisyphi, quum ad Isthmicum certamen quadrigas duceret, ad vicum Boeotiae Potnias applicasse, fuisse vero ibi* fou-

fontem sacrum, ex quo qui biberent, insanirent, aut furore corriperentur: Equas eo potum a Glauco per ignorantiam ductas, a potuque furore correptas, in ipso certamine curru dominum effudisse, ac morsibus dilaniasse. Virgilius pro commodo suo rem furori adscribit Venereo.

272. Vere magis quia vere calor redit ossibus. In Romano codice *quia vere redit calor*, quod parvi refert.

273. Illae ore omnes versae in Zephyrum. In Romano codice, quod *versae ad Zephyrum* legatur, nequaquam displicet: quamvis non improbem: *in Zephyrum.*

278. In Boream Caurumque. In Romano codice, *Chaurum*, per *ch* aspiratum scribitur. In Longobardico, *Ghorum: ut ex Aula: Ola:* atque ita saepe pro Vento apud alios etiam auctores, adspiratione tantum excepta.

279. Et pluvio contristat frigore coelum. In Romano codice, *pluvio sidere* legitur. Sed hoc loco magis placet *frigore* eruditis; ut cum eo faciat, *Et agentes frigora ventos.*

280. Hinc demum Hippomanes. In Romano, & in Mediceo codice *hic*, hoc est, hoc tempore destillat.

281. Lentum distillat ab inguine virus. In Romano, in Mediceo, in Longobardico, & aliquot aliis codicibus antiquis, *destillat* per *de* scribitur, a loco enim est motus.

283. Miscueruntque herbas. In Romano codice: *miscuerintque*, scriptum est, subjunctivo modo: veluti etiam superiore libro, ubi loquitur de Malo Medico. Sed enim *miscuerunt*, Doctorum omnium consensu receptum est.

288. Hinc labor, hinc laudem. In antiquis aliquot codicibus legere est, *Hic labor hinc laudem:* quasi dicat, fatemur quidem inesse laborem in ea cura, sed hujus laboris praemium sit certa, quae subsequitur, laus. Plura tamen exemplaria cum Mediceo, *hinc*, de loco scribunt.

293. Castaliam molli divertitur orbita clivo. Vetera omnia exemplaria manu scripta, quotquot in manus nostras devenere, *devertitur* per *de* non per *di* scribunt: hoc est de loco eo vertitur: quod optime sententiae quadrat.

305. Haec quoque non cura nobis leviore tuenda. In Romano codice, *haec* & *tuendae* legitur. Et ita prius erat in codice Mediceo: in Longobardico, *hae* foeminino genere, ut de capellis intelligat. Servius tamen mavult Poëtam usum neutro genere, locutumque figurate, prout habetur in Romano codice. Veteribus enim ajunt fuisse morem, ut neutra foemininis jungerent.

307. Tyrios incocta rubores. In Romano codice, & aliquot aliis perveteribus: *colores* legitur. In Mediceo quidem, *rubores* est, sed supra, *co* notatum, antiqua manu; figuratius tamen est, *rubores* legere.

309. Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra. In Romano codice, & in aliquot aliis pervetustis, legitur: *quo magis*, idque, ut mihi videtur, eleganter. Missas vero facio dictiones quasdam inscitia librarii perperam notatas.

310. Laeta magis pressis manabunt flumina mammis. In Romano codice, in Longobardico, & aliquot aliis sane quam veteribus, non *flumina*, sed *ubera* legitur. Qui legerant *ubere* in superiore versu, veriti sunt repetitionem ejusdem vocabuli ariditatem orationis prae se ferre, ideoque *flumina* suppofuerunt. Sed enim, si animum advertas, color ille dicendi non modo non aridus videtur; sed & venustatis plurimum habere: quanquam metaphorica ea Hyperbole *flumina*, loco huic optime conveniat: & incomparabilem exprimat hubertatem.

313. Cinyphii tondent hirci. In Romano codice: *hircis* legitur: ab eis enim Lanicii genus id demitur. Sunt etiam codices antiqui, in quibus scriptum est, *hirquis*, ut in Bucolicis etiam ostendimus, *Hircum*, & *Hirquum* eundem. Sed figuram agnoscit Priscianus. *Tondent* pro *Tondentur*, quare *hirci* melius. De *Cinyphiis Hircis* apud Herodotum mentio. Adverte vero scriptionem, quod quamvis in Graecis diversorum Auctorum codicibus impressis, Κινύφιος scriptum sit: prima per ἰῶτα, secunda per υ ψιλὸν, tamen in iis, qui manu scripti sunt, Κυνίφιος prima per υ, altera per ι habetur.

329. Ad puteos, aut alta greges ad stagna. In Romano codice, *At puteos, atque alta greges at stagna.* In plerisque enim, praecipue ex his antiquis, semper *ad* praepositio per *t* scribitur. Sed quod *adque* in eo codice legitur apud No. Marcellum in libello de Indiscretis generibus, *aut* legitur, ut vulgata habent exemplaria. Quod vero Virgilius *puteos* genere masculino dixit, Varro maluit neutro dicere *putea*, ut maria: ut apud Graecos φρέαρ, neutri generis est, eodem significato.

330. Currentem ilignis potare canalibus undam. In Romano codice, *lignis*, non *ilignis* scriptum est. Verum *ligneis* fuisse prius videtur in aliquot codicibus: in nonnullis, *iligneis* est per *ei* diphthongum, ut *Amiceis*, *fueis*, in veterum monumentis. Sed enim, ut etiam in Mediceo est, *ilignis* agnoscit Servius, & proprietatem poëticam refert ea compositio.

331. Aestibus at mediis umbrosam exquirere vallem. In codice Longobardico, *aesti-*

aestibus aut mediis legitur: in quibusdam aliis antiquis, *ac mediis*. In Longobardico, *adquirere*, quod non ita placet. Non tamen displicet *at*, ubi *aut* habetur. Ut quatuor sint praecepta unoquoque die servanda: quippe, ut mane pascantur; hora quarta potum ministremus; meridie sub umbra contineantur; vesperi vero iterum in pascua mittantur.

335. TUM TENUES DARE RURSUS AQUAS. In Romano codice, *tunc tenuis*; sed *tum* multo magis placet.

338. RESONANT ET ACHANTIDA DUMI. Vel ut alii, *acanthida*. Scio fore, ut multi mihi negotium facessant, si dixero in antiquis omnibus codicibus, quotquot ad manus meas pervenere, uno consensu legi, *acalanthida dumi*: ita enim in Romano, ita in Oblongo, codicibus antiquissimis, ita in Mediceo, ita denique habetur in plerisque aliis. Praeterea videtur Probus lectionem hanc agnovisse, si modo fidelem codicem nanciscare, dum dicit: *Acalanthis ea est, quae Graece* ἀκανθὶς *dicta est. Latine Carduelis, a Carduo.* Neque vero ignari sumus ex Plinio, atque etiam ex Aristotele, *Acanthin* in spinis vivere, odisse asinos ideo, quod flores spinae libenter devorent.

344. OMNIA SECUM ARMENTARIUS AFER AGIT, TECTUMQUE, LAREMQUE, ARMAQUE, AMYCLAEUMQUE CANEM. In Romano codice legitur, *tectumque, laboremque, armaque*: ubi quid sibi velit, *laborem*, viderint alii: mihi enim *larem*, ex antiquae religionis cultu, summo opere placet.

347. INJUSTO SUB FASCE VIAM CUM CARPIT. In Romano codice, *quom* hoc loco scriptum est, pro ut moris fuit apud veteres. Sed enim Victorinus in Orthographiae praeceptis ita monet: *Cum autem, si fuerit adverbium temporis, per q & u, sive unum, sive duo scribatis: ut*, QUUM primum & QUM facerem.

348. ET HOSTI ANTE EXPECTATUM POSITIS STAT IN AGMINE CASTRIS. Vegetius primo de Re militari, ubi de pondere agit, cui se miles debeat assuefacere, locum hunc Virgilianum citans, *& hostem ante expectatum* legit utrunque accusativo casu, ut sit, *ante expectatum hostem*. Hujusmodique lectionem, & in veteri codice apud Janum Parrhasium, & in Vaticana Bibliotheca, eo exemplari, quem Francisci Petrarchae fuisse ajunt. Quantum vero ad scribendi rationem pertinet, *expectatum* absque *s* littera ante *p* posita, vulgata fere omnia habent exemplaria. Sed enim in Romano codice, *exspectatum* legitur *s* adservata: & ita scribendum monet Terentius Scaurus, ne per detractionem peccetur, si *s* littera summoveatur, quum adjecta praepositione, ait ille, *Salvum esse initium dictionis, quae subsequitur*, debeat. Ait vero Velius Longus, quosdam differentiam posuisse, ut quando *expecto*, opperior significat, per *x* & *p* absque *s* scribatur: quando vero a *specto*, *spectas* est, servet *s*. Sed neque Veterum monumenta, neque totius pene antiquitatis codices huic se regulae submisere. Sed in utroque significato passim per *x* & *s*, *Exspecto* scriptum invenies. Sane Arusianus Messus locum hunc ita interpretatus, ut *ante exspectatum, antequam exspectatus* exponat. Ibique pro, *stat in agmine*, scriptum est, *stat in ordine*. In quo admirabiliorem Romani militis virtutem intuemur: nam cum agmen incondita saepe sit multitudo, etiam temere contracta, Ordo nunquam est sine Duce, Imperatore, Praefecto, Tribunove. Quare, videtur hic Virgilius, summam disciplinae militaris observantiam in Romanis admirari: cum dicit eos hosti obviam factos, prius quam illum aspiciant, expeditissimo opere simul & vallum fixisse, neque solum arma corripuisse; sed, veluti si nihil aliud negotii intercurrisset, in ordine jam consistere: paratum non tam ad vallum defendendum; sed etiam ad ipsam hostium aciem invadendam. Sed quamvis ita legatur apud Arusianum, bona tamen veterum codicum pars, *agmine* legit: idque magis eruditorum auribus satisfacere videtur.

349. MAEOTICAQUE UNDA. In Romano, in Mediceo, & aliis plerisque codicibus antiquis, *Maeotiaque* legi. Sed enim Stephano: λέγεται τὸ κτητικὸν Μαιωτικὸς, Μαιῶται populi. Μαιῶτις palus. In Longobardico, *Meotica*; sed absque diphthongo, quam saepe negligit.

351. QUAQUE REDIT MEDIUM RHODOPE PORRECTA SUB AXEM. *Radit* quidem in plerisque codicibus etiam diligenter impressis legeris. In antiquissimo tamen codice, *quaque redit* legitur: atque etiam in Mediceo: & id Servius, ratione etiam adjecta, quod is mons protentus in Orientalem plagam in Septentrionalem mox reflectatur.

356. SPIRANTES FRIGORA CAURI. In Romano codice, *chauri*. In Longobardico, *chori*. Uti superius.

364. CEDUNTQUE SECURIBUS HUMIDA VINA. Saepe dictum, in antiquis codicibus, non adspirari huic vocabulo *humida*, contra omnium Grammaticorum praecepta. Quod vero Servius hic *humida* propter immixtam aquam dictum putat, quae in caussa sit, ut gelascant vina; Quintilianus vult hoc loco *humida vina* additum esse otiosum epitheton, sicut, *dentibus albis*.

365. ET TOTAE SOLIDAM IN GLACIEM VERTERE LACUNAE. In Romano codice legitur, *& totae in solidam*. Sed *solidam in glaciem*, omnino venustius est.

367. NON SECIUS AERE NINGIT. In antiquioribus omnibus: *ninguit*. Unde *ninguidus* Lucretio, & aliis veteribus, Capro reclamante.

 369. CON-

369. Consertoque agmine cervi. In Romano codice, *confecto* legitur: in Mediceo, & aliis omnibus antiquioribus, *conferto*: ut saepe legere est apud Historicos; *confertum agmen: confertissimos hostes*: & *confertum opus*, quod ita densum est, ut conjunctum videatur.

372. Formidine pennae. In Romano *pinnae*, more suo, contra Capri sententiam.

373. Sed frustra oppositum trudentes pectore montem. In Romano codice, *&* *frustra*.

377. Congestaque robora totas advolvere focis ulmos. *Totas* absque particula copulativa in multis veteribus codicibus legitur; sed in Romano, in Mediceo, & in Longobardico, *totasque* legitur: quae lectio & eruditior est, & elegantior. Item in antiquissimo, *atvolvere*, per *t*, loco *d*: ut pleraque alia quae ultro praeterimus.

383. Et pecudum fulvis velantur corpora setis. In Romano codice, *velatur* numero unitatis habetur: ut cum eo quadret, quod superius est, *tunditur*. In altero etiam pervetusto, *velatur* legere erat, sed altera inde manu *n* superaddita.

384. Si tibi lanicium curae, primum aspera sylva lappaeque, tribulique absint. In Romano codice, *lanitium* per *t*: *silva*, per *i* Latinum, & *triboli*, per *o* in pene ultima. Neque praeterierim illud, quod Laberius, *lanitia*, *lanitiae*, genere foeminino usus est: *Nihil refert molle, e lanitia Attica, an pecore ex hircorum, vestitum geras.*

394. Lotosque frequentes ipse manu salsasque ferat praesepibus herbas. In Romano, & in Mediceo codice, *Ille manu salsasque ferat*, scilicet, cui lactis amor: quamvis *ipse* majoris esse ponderis, diligentiorisque curae videatur.

411. Saepe volutabris pulsos sylvestribus apros latratu turbabis agens. In Romano codice scriptum est, *latratu terrebis*. Sed enim *turbabis*, pleniorem sententiam reddit.

415. Galbaneoque agitare gravi nidore chelydros. Lege *gravis*, quippe *chelydros*, ex veterum codicum testimonio, & structurae ipsius concinnitate.

416. Saepe sub immotis praesepibus. In Romano codice legitur, *ignotis*, quod nos scilicet ignoramus viperam sub illis delitescere. Sed *immotis*, melius.

420. Fovit humum. In codicibus aliquot manu scriptis, *fodit* legitur; sed *fovit*, Servius agnoscit, & vetera sic habent exemplaria.

429. Vere madent udo terrae, ac pluvialibus austris. In Romano codice: *& pluvialibus*.

431. Ranisque loquacibus explet. Plures ex antiquioribus codicibus *implet* legunt. Sed plus est, *explet*, dicere.

432. Postquam exhausta palus, terraeque ardore dehiscunt. In Romano codice, in Oblongo, in Longobardico, & aliquot aliis non indecenter: *exusta*. Sed enim *exhausta*, proprie dictum videtur: & ita erat in Mediceo: nunc *a* littera inde abrasa est. Sunt quibus magis placeat, *exusta*, ardore quippe deliccata, quam sententiam continuat, dum subjungit: *Terraeque ardore dehiscunt*. Paludes porro exhauriri etiam possunt, absque calore aëris aut exustione terrae.

433. Exilit in siccum. In codice Longobardico, atque etiam in Mediceo, *exit* habetur, sed id nimis segniter. Concitatius vero mihi videtur, *exilit*.

441. Turpis oves tentat scabies, ubi frigidus imber altius ad vivum. In Romano codice: *Temptat scabies, cum frigidus imber Altius ad vivum.* Ex his non rejecerim, *cum*: licet *ubi*, non displiceat: nam sequitur: *Vel cum tonsis illotus adhaesit sudor*. Addam illud, in Romano codice, *illutus* legi. In aliquot plerisque codicibus, *adlutus*, quod non probatur. In aliis dictio est magis corrupta.

449. Et prunas miscent argenti vivaque sulfura. In Romano codice scriptum est: *argenti & sulpura viva. Sulpura* quidem, quia Graecam esse dictionem arbitrati sunt, & in similibus non adsuefuerint adspirationem admittere: ut ut *triumpus*, *Pilippus*, & *Hypsipyle*. Quod vero pertinet ad numerum, in Mediceo, atque etiam in Longobardico codice legitur: *& sulfura viva.* Sed membrana abrasa; ita tamen, ut duos illos dactylos, *vivaque sulfura*, prius fuisse conjectes. In Longobardico, Librarius quid faceret ambiguus fuisse videtur, & utramque miscuit; videtur tamen adonium recepisse, & *ac* non *&* adscripsit: *argenti ac sulfura viva.* Sed enim acquieverim ego Servio, & aliis quibusdam Grammaticis antiquis, Dactylicum esse versum asserentibus.

456. Et meliora deos sedet omnia poscens. In Romano codice, *aut*, pro *&*. Pro, *omnia*, *omina* legitur, quod non aeque placet.

465. Aut summas carpentem ignavius herbas. In Romano codice: *segnius*. Sed *ignavius* agnoscit Servius.

467. Et serae solam decedere nocti. In antiquis codicibus: *sera nocte*. Sed dativo melius.

468. Continuo ferro culpam compesce. In Romano, in Mediceo, & quibusdam aliis pervetustis codicibus dictionum ordo est: *continuo culpam ferro*.

475. Et Iapidis arva Timavi. Non nega-

rim

rim *lapidis* legendum, & *lapidiam* Venetiae proximam regionem appellatam: quo vocabulo etiam Sallustius fit usus. Non tamen rejiciendum est, quod in Romano codice, atque etiam in Mediceo legitur: *Iapygis*: quamvis improbetur a Servio, qui *Iapygiam* ab *Iapidia* scriptione distinguit. Nam Hecataeus duas ponit *Iapygias*, quarum una sit in Apulia, altera in Illyrico, a quarum utraque *Iapix*, & *Iapygius* derivetur.

481. CORRIPUITQUE LACUS. In Romano, in Mediceo, & antiquis aliis codicibus *corrupit* habetur.

487. LINEA DUM NIVEA CIRCUNDATUR INFULA VITTA. In Mediceo, in Longobardico, & quibusdam aliis antiquis codicibus *lanea* legitur, quod agnoscit Servius.

488. INTER CUNCTANTIS CECIDIT MORIBUNDA MINISTROS. In Romano codice, *magistros* legitur. De Sacerdote enim loquitur, qui ferire cunctaretur.

500. CREBRA FERIT. In Longobardico, *crebro ferit*. Neque timendum syllabae, quum Carisius *tertio*, adverbium, pro dactylo agnoscat, & *fero* trochaei dimensione sit apud Statium.

502. ET AD TACTUM. In Romano: *at*, ut solet. In Longobardico: *& ad tractum*.

513. ERROREMQUE HOSTIBUS ILLUM. In Romano: *ardorem*. Nam de morbi genere dictum est, ardebant.

520. NON GRAMINA POSSUNT GRATA MOVERE ANIMUM. Legendum ex veteribus omnibus codicibus: *Non mollia possunt prata movere animum:* quae lectio maxime probatur ab eruditis omnibus.

528. ET VICTU PASCUNTUR SIMPLICIS HERBAE. In Longobardico, *victum*, non ineleganter.

543. INSOLITAE FUGIUNT IN FLUMINA PHOCAE. In Longobardico legitur: *ad flumina*. Sed si *in flumina*, intelligimus eas immergi, neque audere in siccum prodire. Si *ad flumina*, subaudiendum, a quibus auxilium petere viderentur.

555. ARENTESQUE SONANT RIPAE. In Romano codice: *horrentesque*, ob terros, scilicet, mugitus animalium. Si, *Arentes*, erit, ut illud: *Aridus altis montibus audiri fragor*.

558. AC FOVEIS ABSCONDERE DISCUNT. In antiquissimo quidem codice: *fossis* legere est; sed ad valla & muros pertinent fossae. Hoc tamen loco non toleranda tantum, verum etiam decoris, & dignitatis plurimum habere videtur improprietas hujusmodi, ad cadaverum multitudinem, quae magno numero congregabantur, indicandum: quibus condendis capaciore opus esset loco. Nemo vero ignorat fossas amplioribus spatiis produci solere, cum fovea quid angustius significet, ut puta scrobem, vel luporum decipulas, vel quid hujusmodi ad modicos usus.

563. VERUM ETIAM INVISOS. In Romano codice legitur, *Quin etiam invisos*.

566. CONTACTOS ARTUS SACER IGNIS EDEBAT. Vulgata quaedam exemplaria legunt: *contractos artus*. Sed in Romano legitur mutato etiam numero, *contactos sacer artus*. Ac quantum ad contactum pertinet, quod de contagiosa vi pestilentiae dicitur, apud Livium etiam in codicibus antiquis legas: *Vulgatique contactu in homines morbi*: quod in impressis *attactu*, non ita proprie habetur.

LIBER QUARTUS.

TOTIUSQUE EX ORDINE GENTIS. In Romano codice, atque etiam in Mediceo, legitur absque *ex* praepositiva particula, *totiusque ordine*. In aliis antiquis codicibus, *ex*, habetur: in quo animadvertendum, esse Synizesin ex duabus ultimis syllabis, in *totius*, si lectio ea, *totiusque ex ordine gentis*, admittatur. Verum ego crediderim *ex* insertum ex Paraphrasi, recteque legi, *Dicam ordine*.

5. MORES, ET STUDIA, ET POPULOS, ET PRAELIA DICAM. In Romano, *proelia* per *oe*: & in antiquissimo alio codice uno minus *&* legitur, quam in vulgatis habeatur exemplaribus: in hunc modum, *Mores, & studia, populos & proelia dicam*. Voluerunt enim studia suspendere, & absque *&* conjunctivae particulae interjectu, sententiae reliquum subjungere. Sed enim particula illa ter iterata me nihil offendit: & praeter id, quod numerosiorem versum facit, figuram etiam non inelegantem adstruit.

14. MEROPESQUE ALIAEQUE VOLUCRES. In Mediceo codice non est geminata particula *que*, sed *merops aliaeque* legitur; magis tamen placet geminari, ut in aliis codicibus habetur.

15. ET MANIBUS PROGNE PECTUS SIGNATA. In Romano codice, & aliquot aliis antiquissimis, *Procne* scriptum est, veluti Graeci faciunt Πρόκνη. Quos & Romani sequuti sunt, ut ex antiquis inscriptionibus, quas Romae observavimus, videre licet. In Quirinali enim haec ita habentur:

P. VALERIUS BASSUS PRAEFECTUS FABRUM

ET

ET CAECILIA PROCNE DIANAE VALERIANAE.
D. D.

Quod Epigramma ideo libuit adnotare, quia memineram Jovianum Pontanum, litteratissimum priori aetate Virum, solicitum super hac dictione fuisse: quia *Prochne* per *ch* in Apulia scriptum reperisset. Quod vero malunt nunc *Progne* per *g* septimam litteram scribi, non difficulter admiserim, quia *c* cognationem habere cum *g*, & saepe eas invicem succedere, alibi demonstratum est.

20. Aut ingens oleaster obumbret. In Romano codice, & in quibusdam aliis pervetustis codicibus, *inumbret* legitur; sed plures *obumbret* habent.

23. Vicina invitet decedere ripa calori. In Romano codice, *discedere* est. Sed *decedere* magis probatur, & signatissime positum est.

31. Serpilla. In Romano codice, *serpulla*, de qua scriptione plura diximus in Alexi.

34. Seu lento fuerint alvearia vimine texta. Quamvis *alvearia* quinque syllabarum numero per Synizesin dictione integra scribendum esse nonnullorum codicum consensu, & Capri grammatici observatione monemur; pleraque tamen exemplaria vetera *alvaria* legunt, quam lectionem Flavius Sosipater agnoscit, ubi dicit: *Alvaria neutraliter dicuntur. Virgilius, Seu lento fuerint Alvaria vimine texta: quamvis Cicero dixerit: Apes in alvearium concesserant, in Oeconomico, singulariter.* Advertendum vero, nunquid apud Sosipatrum codex mendosus sit ea dictione, *neutraliter dicuntur*, *pro pluraliter*, ut respondeat ad illud, quod Cicero singulariter protulit. In antiquo sane codice Carisii *neutraliter* legi, & *Alvaria* quadrisyllabum.

40. Collectumque haec ipsa ad munera gluten. Observat Carisius *gluten* a Virgilio dictum, quod alii *glutinum* dixere: ut apud Scaurum legere est, *Daedalum invenisse glutinum*; & apud Sallustium: *Quasi glutino adolescebant.*

43. Sub terra fodere larem. Sunt codices, in quibus *sub terram* sit. In Mediceo, *sub terras*: atque etiam *fovere larem*, quod satis videbatur superiore versu, ac eodem membro dictum, *Effossis latebris.*

44. Exesaeque arboris antro. In codicibus nonnullis manu scriptis legere est, *arboris alvo*. Sed *antro*, per hyperbolem longe melius videtur, ac figuratius.

47. Neu propius tectis taxum sine. In Oblongo codice Vaticano legere est: *Neu propius taxum tectis sine*. Propter sibilum vero duorum *ss* crediderim ea transposita.

85. Victor dare terga coegit. In omnibus iis codicibus antiquis, quos habere potuimus: *subegit* scriptum observavimus pro, *coëgit*.

87. Pulveris exigui jactu compressa quiescent. In Mediceo, & antiquis plerisque codicibus, *quiescunt*, praesenti tempore legitur: ut praecepta haec magis asseverare videatur.

88. Verum ubi ductores acie revocaveris ambos. In antiquis plerisque codicibus, *ambo* per *o* legitur: quam synceram, & emaculatam lectionem Sosipater Carisius agnoscit, addita etiam ratione: quod hoc Graecos sequuti dicimus: quia illi τὺς δύο, τὺς ἄμφω dicunt. Neque respuit Terentius eundem hunc modum, ut in Andria: *Hem, Charine, ambo opportune vos volo*: quod vero in Adelphis est: *Usque a pueris curavi ambos sedulo*, Helenius Acron in eadem fabula locum ex Sallustii libro quarto Historiarum citat: *Inter me atque Lucullum prope inopia rursus ambos incessit*; Verriumque dicit errare, qui putat *hos ambo* dici debere. Indifferenter autem locutos veteres, ex multis Auctorum exemplis Carisius ostendit.

97. Cum venit et terram sicco spuit ore viator. In antiquis aliquot codicibus: *& sicco terram spuit.*

120. Quoque modo potis gauderent intyba rivis. In Longobardico, versus ita legitur: *Quoque modo positis gauderent intiba fibris*: quanquam *fibris* superadditum, eadem tamen manu, & atramento non dissimili. No. Marcellus in libro de Indiscretis generibus, hoc citato versu, *rivis* agnoscit. Hic enim loquitur de sativo. Non nescimus vero alibi dictum: *Et amaris intyba fibris.* Sed enim Priscianus, ubi *potus* per syncopam a *potatus* melius dici docet, Virgilii locum hunc citat: *Quoque modo potis gauderent intuba fibris.* Velut illud: *Huc ipsi potum venient per prata juvenci.* Quod vero Virgilius & Plinius *Intubum* genere neutro protulere, Lucillius, & Pomponius genere masculino ponere maluerunt. Sed & illud non praeteribo, codices plerosque ex antiquioribus, legere *intuba* per *u*, & apud Plinium in vetustis codicibus, *intubum* passim haberi: & ita dubio procul scribendum est apud Latinos; quum *Intubum*, & Dioscoridis, & Galeni, & aliorum quorundam Auctorum attestatione, sit Romana dictio. Litteram vero *y*, nequaquam esse Romanam manifestum est. Verum Graecos *u* breve praesertim ex dictionibus nostris ea littera scribere instituisse: quare, qui Ἴντυβον apud Graecos legerant, ut puta apud Galenum: Κιχόριον τὸ Ῥωμαιστὶ λεγόμενον ἴντυβα, λάχανον, apud Dioscoridem vero Ῥωμαῖοι ἴντυβον ἀγρέστεμ, & ita apud alios, nihil animadvertentes eam Latinam esse dictionem, Graece scribere maluerunt, quam eam Romanae scriptioni reddere.

122. Nec sera comantem Narcissum. Superius dictum est, *crebro* ultima brevi positum in Longobardico exemplari, ita etiam hoc loco: *sero*

sero comantem, tam in eo, quam etiam in Mediceo codice habetur: nam & apud Statium: *Sero memor thalami* legas. Et adverte etiam apud Servium legi debere: *sero flores habentem*. Hoc enim ille tantum dixit, non taciturus quidem si *sera* pro *sero* figuratam elocutionem agnovisset.

130. HIC RARUM TAMEN IN DUMIS OLUS. In Longobardico codice legere est *hinc*, hoc est, ex paucis illis jugeribus, quae nec pabulo, nec segeti, nec vitibus etiam oportuna. In reliquis *hic*.

135. ET CUM TRISTIS HYEMS ETIAM NUNC. In codicibus nonnullis: *etiamnum*, quae dictio frequentissima apud Plinium; ex eo, quod Graeci ἔτι καὶ νῦν dicunt.

146. JAMQUE MINISTRANTEM PLATANUM POTANTIBUS UMBRAM. Veteres omnes codices *umbras* habent, numero multitudinis, forte ut spaciosius aliquid ostendat, quod memoria proditum plures olim turmas sub una platano condi solitas. De hac autem Varro: *Jucunda ejus umbra haud alia laetius operiente teres.* Plinius: *Platanus arbor nulli rei, nisi umbrae, utilis.*

147. SPATIIS DISCLUSUS INIQUIS. Veteres omnes codices *exclusus* habent, quod & Columellae parodia confirmatur: *discludere* enim aliud significat.

148. ATQUE ALIIS POST COMMEMORANDA RELINQUO. In codicibus aliquot legas: *post haec memoranda*. Sed *commemoranda*, Longobardicus, & aliquot alii codices habent. Sunt qui *post memoranda* legant, ut in Mediceo codice habetur, quam lectionem videtur agnovisse Columella.

155. ET PATRIAM SOLAE ET CERTOS NOVERE PENATES. In codicibus aliquot legere est: *A patriam solae, & certos novere penates.* Non enim *a* semper dolentis interjectio, sed admirationem interdum significat. Scribi vero *a* fine adspiratione ex Probo alibi notatum. In Longobardico, non est *&*, secundo loco. Legitur vero: *Et patriam solae certos novere penates.* Sed enim qui dictionem *&* hinc auferunt, venustatem etiam omnem a versu auferunt.

160. NARCISSI LACHRYMAM, ET LENTUM DE CORTICE GLUTEN. In codicibus aliquot antiquis, & praesertim in Longobardico, *lectum* legitur, non *lentum*. Plurimarum enim arborum cortices gluten exsudant, ut resinam, & succinum, quibus utuntur apes in opere suo construendo ad firmitatem. Sed, & *Lentum* placet, quod proprium est *glutinis* epitheton.

169. REDOLENTQUE THYMO FRAGRANTIA MELLA. In Longobardico, *flagrantia* scriptum est, quod non probatur, ex Grammaticorum distinctione.

171. CUM PROPERANT ALII, TAURINIS FOLLIBUS AURAS ACCIPIUNT. In Longobardico, totum hoc desideratur: *alii taurinis follibus auras:* quae lectio nimis detruncata esset.

173. GEMIT IMPOSITIS INCUDIBUS AETNA. In Longobardico, in Mediceo, & aliquot aliis codicibus antiquissimis, non *Aetna*, sed *antrum* habetur.

198. QUOD NEC CONCUBITU INDULGENT. In Romano codice, & aliquot aliis, *neque*. Observandum vero est, *concubitu*, casu tertio per abjectionem litterae ultimae positum, ut alias saepe: *Teque aspectu ne subtrahe nostro:* quem casum neque M. Tullius aspernatus, ut eo loco: *Quibus subito impetu, ac latrocinio parricidarum resistat.* Praeterea Caesar in hujusmodi omnibus, I litteram censuit abjiciendam: *Dominatuque*, ac *ornatu*, & ita reliqua esse & scribenda, & proferenda.

200. VERUM IPSAE FOLIIS NATOS, ET SUAVIBUS HERBIS. In codicibus aliquot mutato numero legas: *ipsae natos foliis*. In Romano vero: *ipsae e foliis:* non invenuste.

202. ET CEREA REGNA REFIGUNT. Quid sit *refigere*, nulli puto non innotuisse, qui legerit in Virgiliano carmine: *Fixit leges precio, atque refixit*. Quare placet, quod in Romano codice, in Mediceo, & quibusdam aliis antiquioribus exemplaribus, *refingunt* legitur. Est enim superius: *Et Daedala fingere tecta.* Quare fortasse & Servii codex corrigendus. Advertendum etiam ex loco desumptum argumentum, quod in Longobardico exemplari sic habet: *Alvorum & cerea regna:* quod in vulgatis: *cerea tecta:* legitur.

206. ERGO IPSAS QUAMVIS AUGUSTUS TERMINUS AEVI. In Romano codice, in Mediceo, & aliis omnibus codicibus, quotquot habere potui, uno consensu: *angusti terminus aevi*, legitur. Res enim, quae terminatur, aut angusta, aut lata est.

211. ET INGENS LYDIA. In codice: *Ludia:* ut, *cumba*, *murta*, *corulus*, & similia.

224. QUEMQUE SIBI TENUES NASCENTEM ARCESSERE VITAS. In codicibus aliquot antiquis: *accersere* habetur. Terentius Scaurus utcunque scribatur, sive *accerso*, sive *arcesso*, ad eandem significationem pertinere putat, ut alibi dictum.

227. SYDERIS IN NUMERUM, ATQUE ALTO SUCCEDERE COELO. In Romano: *alto se condere coelo*, pro, *succedere*.

228. SIQUANDO SEDEM AUGUSTAM. In Longobardico, & in aliis aliquot codicibus legere est: *angustam*. Sed enim Servius *augustam* agnoscit, & *nobilem* interpretatur.

229. THESAURIS. In Romano codice, *thensauris:* de quo dictum in Alexi. PRIUS HAUSTUS SPARSUS AQUARUM ORE FOVE. In Romano codice: *haustu* legitur, & in Longobardico prius ita fuisse videtur, quia *s* littera alieno est atramento

to illita. In eodem legitur: *ora fove:* quod agnoscitur a Servio: quanquam *haustus* accusativo casu videatur approbare.

236. **Illis ira modum supra est.** In antiquis aliquot codicibus: *modum super est*, legitur; sed *supra*, castior lectio.

238. **Affixae venis animasque in vulnere ponunt.** In perveteri codice legi: *adfixa venis:* quippe spicula. Syllabae enim locus in Trimimeri communis est, ut: *Pectoribus inhians:* & similia. In Oblongo tamen codice: *adnixae.* Praeterea in Romano codice, & aliquot aliis legere est: *in volnera:* quarto casu, numero multitudinis; quod nescio quid efficacius habet. Servius *vulnere*, ablativo casu omnino legit. In hanc sententiam Plinius: *Aculeo infixo, aliqui eas mori putant, aliqui non; nisi ita infixo, ut intestini pars adhaeserit; sed fucos postea esse, nec mellificare.*

239. **Sin duram metues hyemem.** In codicibus aliquot: *metuens* legitur, participii forma, cui duo supponantur verba, *parcesque futuro. Contusosque animos, & res miserabere fractas.* Tum ea fuerint peragenda, quae subjungit: *suffire thymo, cerasque recidere.* Quo vero pacto haec accipiantur a Prisciano, viderint alii. *Quandoquidem* (ait ille) *Parcesque futuro, pro parce, & miserabere pro miserator, indicativis positis, exponi debere.* Mihi quidem non displicet: *metues, parces,* & *miserabere*, una continuatione eodem modo & tempore legi. Sane vero in codice Longobardico: *mirabere* prius legebatur. Mox *se* syllaba secunda superaddita est, quod reliqui habent codices.

241. **Aut suffire thymo.** In codicibus aliquot antiquis: *at*, non *aut* legitur, &c: *subferre*, pro *suffire*, omnino id corrupte. Sed enim *at*, periti plerique viri non expungunt, quae lectio etiam codicis est Medicei.

242. **Nam saepe favos ignotus adedit Stellio.** In Romano codice *adhesit*, corrupte (ut mea fert opinio) legitur: nam de his loquitur, quae depascendo mel exhauriunt. Advertendum vero codices omnes legere subsequentem versum per Creticum pedem primo loco: *Stellio, & lucifugis congesta cubilia blattis.*

246. **Aut durum tineae genus.** Sunt codices admodum veteres, in quibus legatur: *aut dirum tineae genus.* Sed *durum* magis placet, ut abrodendi vim, quae tinearum propria est, indicet: quamvis *dirum*, non rejecerim, ominosum epitheton, & iis praecipue omnibus aptum, quae damnum inferant. Sane quidem in Mediceo codice *durum*, prius scriptum fuit, mox parte primae vocalis abrasa, *dirum* factum est.

247. **In foribus laxos suspendit aranea casses.** Antiqua omnia exemplaria, quae versavimus, hoc numero legunt: *laxos in foribus suspendit aranea casses.* Superior quidem numerus elegantior: sed hic alter pressior stilo, cujusmodi in Didascalico requiritur argumento, magis accommodatus: & ita Nonius Marcellus legisse videtur in libro de Discretis generibus, ubi *aranean* foeminino genere positam a Virgilio ait, quam Plautus non semel virili genere appellarit.

251. **Si vero (quoniam casus apibus quoque nostros vita tulit) tristi languebunt corpora morbo.** In Oblongo codice, *sin* legitur: quod si admittas, superius *si duram* legendum erit: nam quum ex duobus caussis melli calamitas inferatur, vel quia furto pereat, vel quia apes morbo languescant: prioris detrimenti remedium, *suffire thymo* dixit. Ita enim fugari noxia animalia. Post haec ad reparandas exhaustas opes sufficere ipsarum Apum solicitudinem, & habundantem mellificationem. Quod vero pertinet ad earum morbos, nostrum esse negotium, ut convalescant: unde sequitur: *Hic jam Galbaneos suadebo incendere odores.* Quare, ut haec omnia connectantur, legere *sin* secundo loco non displiceat: nam Periodus illa quae incipit a *Siquando sedem*, ibi claudi videtur, *animasque in volnera ponunt.* Praeterea parenthesis quaedam longior, & in decem versuum numerum producta, non temere videtur observanda: quippe ab eo versu: *Continuo est aegris alius color*, usque ad: *Aestuat, ut clausis rapidus fornacibus ignis*, ea comprehenditur: estque ordo: *Sin vero tristi languebunt corpora morbo; Quod non jam dubiis poteris cognoscere signis.* Ut jam praeteream parenthesim alteram: (*Quoniam casus apibus quoque nostros vita tulit*). eo usque procurres: *Hic jam Galbaneos suadebo incendere odores.* Quantum vero pertinet ad sententiae varietatem, in hac periodo adnotatur, *casus apibus quoque nostros.* In aliquot antiquis codicibus, *nostris*, quod ad ablandiendum dictum esset, ac nimirum humiliter. Castior autem lectio, & erectioris sententiae est legere, ut vulgata habent exemplaria, *casus nostros.* Quae enim humano generi accidunt, mortaliumque mores, & effectus statim enumerat.

257. **Aut illae pedibus.** In codicibus aliquot antiquis, *atque illae.*

259. **Ignavaeque fame.** Legitur & *ignava*, quae scilicet aut ignavis accidat, aut ignavos reddit.

261. **Frigidus ut quondam sylvis immurmurat auster.** In Longobardico: *sylvas:* quippe murmurat in silvas.

262. **Ut mare solicitum.** In Mediceo codice: *aut mare* legitur. Sed quia sequitur tertium membrum per *ut*, *Quippe aestuat ut clausis rapi-*

dus

-dus fornacibus ignis: magis probatur, *ut mare*, particula ea ter repetita.

264. HIC JAM GALBANEOS. In antiquis aliquot codicibus: *calbaneos*, per *c*: propter cognationem scilicet, ut *Gortynia*, & *Cortynia*.

273. NAMQUE UNO INGENTEM TOLLIT DE CESPITE SILVAM. Ut veteres praeteream codices, in quibus *de vertice* scriptum est, id minime dissimulandum, quod in plerisque manu scriptis exemplaribus, *imo ingentem tollit de cespite*, scriptum invenimus.

278. ET CURVA LEGUNT PROPE FLUMINA MELLAE. In Romano codice, *per flumina* legitur. Est vero *Mella*, fluvius in Gallia Cisalpina, Brixiae opulentissimo municipio vicinus, emissus ex monte Breuno. Quod vero Servius de Lemano fluvio, unde Alemani populi dicti sint, sibi comminiscitur, lacum, non fluvium esse scimus, quem magna ex parte Helvetii, Sequanique circundant. Populique ad Lemanum, vulgo mox Allemani vocari coepti, a quibus id nominis in totam inde Germaniam propagatum est, ut apud eosdem Itali a viciniore regione Longobardi omnes nuncupantur.

280. PABULAQUE IN FORIBUS PLENIS APPONE CANISTRIS. In Romano codice, & aliquot aliis, *expone* legitur: quod ideo probaverim, quia dixit, *in foribus*. Nihilo secius & *adpone*, idem significabit.

281. SED SI QUEM PROLES SUBITO DEFECERIT OMNIS. In Mediceo, & aliquot antiquis codicibus legere est: *Sed siquidem proles subito defecerit omnis.*

291. ET VIRIDEM AEGYPTUM NIGRA FOECUNDAT HARENA. Versus hic in Romano codice locum habet post versum: *Usque coloratis*, hoc scilicet ordine:

> *Quaque pharetratae vicinia Persidis urget,*
> *Et diversa ruens septem discurrit in ora:*
> *Usque coloratis Amnis devexus ab Indis*
> *Et viridem Aegyptum nigra foecundat harena.*

297. PARIETIBUSQUE PREMUNT ARCTIS. Quantum ad versum pertinet, quaerunt multi, quae sit hujus metrici numeri ratio, *parietibus*. Sed ut aliorum opiniones praeteream, satis nunc fuerit eam posuisse, quam FL. Sosipater Carisius comminiscitur: *Fieri quippe syllabam positione longam, etiam si post brevem vocalem subjuncta sit consonanti vocali: & correptam vocalem habeat consequentem, ut: Parietibus textum coecis iter.*

304. THYMUM CASIASQUE VIRENTES. Antiqua omnia exemplaria, quotquot legi, *recentis* habent, pro *virentes*: puto vero *recentis*, Paraphrasin fuisse.

306. ANTE NOVIS RUBEANT QUAM PRATA COLORIBUS, ANTE GARRULA QUAM. In antiquo codice legere est: *coloribus, & aute*, facta ex *u* & *s* collisione, more veterum, quod apud Virgilium, & insequentem aetatem inventu rarissimum. Eloquutio haec praeterea absque ulla copula elegantior est, nec dignitatis expers.

310. MOX ET STRIDENTIA PENNIS MISCENTUR, TENUEMQUE MAGIS, MAGIS AERA CARPUNT. In antiquis aliquot codicibus *pinnis*, uti saepe dictum, reclamante Capro: *Et tenuemque magis, ac magis*, Peonico primo tertia sede posito *emque magis*: vel secundo, quarta: quod in hac eloquutionis figura copula semper interponi consuerit. Neque mirandum alios pedes praeter Dactylum, & Spondeum, ingredi versum Heroicum. Missum enim facio Proceleusmaticum, qui ratione temporum cum Dactylo, & Spondeo consentit. Sed de his loquor, qui temporibus quinque constant, quos Terentianus adnotavit: sed enim haec locis quaeque suis recitabuntur. Illud, quod majoris est momenti, referam, scriptum esse in antiquo codice: *aëra captaut*, pro *carpunt*: uti: *Frigus captabis opacum:* &: *Captavit naribus auras.* Quanquam &, *Auras vitalis carpis*, alibi legatur.

313. ERUPERE: AUT UT NERVO. In codicibus aliquot antiquis *eripuere* legitur, Imperfecto sensu. In aliquot aliis, *erupere velut*. Hoc suavius, illud vero primum numerosius.

315. QUIS DEUS HANC, MUSAE, QUIS NOBIS EXTUDIT ARTEM? In codice Longobardico, & in Mediceo, *extudit*, & agnoscit Servius. Sunt etiam veteres codices, in quibus *quis* non geminatur, sed *qui uobis*, habetur.

319. TRISTIS AD EXTREMI SACRUM CAPUT ASTITIT AMNIS. In codicibus aliquot antiquis legere est: *ad extremum:* quippe caput: solent enim flumina pluribus esse capitibus praedita: quod vero extremum est, nomen plerunque solet indere: quamvis idem significat *ad caput amnis extremi*, quod pluribus est in exemplaribus.

322. PRAECLARA STIRPE DEORUM. In Romano codice *a stirpe* legitur, in quodam aliquo *a* cum circunflexo accentu cernitur.

327. QUEM MIHI VIX FRUGUM ET PECUDUM CUSTODIA SOLERS OMNIA TENTANTI EXTUDERAT. Quattuor dictiones in hoc membro aliter, quam vulgata habeant exemplaria, leguntur. In codicibus antiquis primum est *pecorum* pro *pecudum:* ut armenta etiam complectatur. Alterum *sollers* duplici *ll*, ut plerisque aliis locis Tertium *temptanti* inserto *p*, ex cujusdam aetatis consuetudine. Quartum *exstuderat*, *s* post *x* apposita, quum verbum ab *s* non incipiat. Id quod Scaurus, & Velius reprehendunt. Sed ut alia, quae per abusum invaluere, missa faciamus, non est id praetereundum, quod *sollers* duplici *ll* recte scribi ex eo con-

conjicimus, quod *follum* Oscum nomen, a quo, & *arte*, deductum nomen fatentur omnes, duplicato *ll* scribi Verrius Flaccus ostendit, ubi de immolatione, quae Solitaurilia dicebantur, disputat, cur nomen id tantum ex iis, quae a *follo* veniunt, unico *l* scriptum inveniretur. Sed enim ejus verba ex antiquo Pomp. Festi codice subjunxisse minime videatur importunum: *Quod si a follo & tauris, earum bestiarum ductum est nomen, antiquae consuetudinis per unum l enuntiari non est mirum. Quia nulla tunc geminabatur littera in scribendo. Quam consuetudinem Ennius mutavisse fertur, utpote Graecus Graeco more usus: quod illi aeque scribentes, ac legentes duplicabant mutas, & semivocales.*

333. AT MATER SONITUM THALAMO SUB FLUMINIS ALTI SENSIT. In codicibus aliquot antiquis, *sentit* est, praesenti tempore, quod non ita placet.

335. CARPEBANT HYALE SATURO FUCATA COLORE. *Satyro* est per *y* in media syllaba, scriptione Graeca: nam quum non inficietur Servius *saturum* colorem ab oppido *Satureo* juxta Tarentum, nuncupari: Graeci oppidum id Σατύριον dicunt: Ἔστι δὲ χώρα πλησίον Τάραντος, apud Stephanum. Inde Virgilius *saturum*, *y* in *u* Latino more verso: quod Graeci Σατύριον, ϗ Σατύρειον denominavere.

336. LIGEAQUE. In Longobardico, & in Mediceo, *Legea* legitur; λιγεῖα tamen per ἰῶτα prima syllaba scribitur apud Graecos.

338. NESAEE, SPIOQUE, THALIAQUE, CYMODOCEQUE. In codicibus aliquot totus versus desideratur: qui tamen non sine carminis injuria demi potest.

339. CYDIPPE ET FLAVA LYCORIAS. In Longobardico: *Cydippeque, & flava Lycorias:* quae phrasis est Virgiliana, & figura Graecanica, ut illud apud Hesiodum: Νησαίη τε ϗ Ἀκταίη, & illud: Πουλυνόμη τε ϗ Αὐτονόμη.

343. ATQUE EPHYRE, ATQUE OPIS, ATQUE ASIE, ET DEIOPEA. Qui versum corrigere voluere, ita scripserunt: *atque Asia Dejopeja*, sublato &. At non adverterunt ex antiquis codicibus legi debere: *Atque Ephyre, atque Opis, & Asia Deïopea.* In *Ephyre* enim nulla Synaloepha, sed spondeus est *re at*. Inde Dactylus: *q' opis &:* inde alii duo Dactyli cum pede bissyllabo finali: *Asia Deio pea.*

345. INTER QUAS CURAM CLYMENE NARRABAT INANEM. In antiquo exemplari: *curas inanis*, numero multitudinis.

346. VULCANI MARTISQUE DOLOS. In antiquo codice: *Volcani*, pro ut ejus exigit etymologia.

347. AQUE CHAO DENSOS DIVUM NUMERABAT AMORES. In vetustis aliquot exemplaribus, *atque* legere est. Quod etiam habetur in exemplis Arusiani; sed enim mihi non satisfacit. Caeterum *eque chao* legendum esse colligitur ex Servio: ubi in Bucolicis versum hunc citat in ejusdem eloquutionis argumentum, quae est Ecloga septima: *Eque cava resonant examina quercu.* Ait enim: *Eque sacra* & de sacra, ut: *Eque Chao densos divum enumerabat amores.* Id est, a Chao: ultimum hoc multi postea in contextum recepere. Illud etiam observatione dignum, quod *enumerabat*, non invenuste legitur a Servio, qui numerus in hoc genere carminis multum decoris, & venustatis habet. Placet tamen *aque chao*, ut pleraque habent exemplaria.

352. PROSPICIENS SUMMA PLACIDUM CAPUT EXTULIT UNDA. Mirifice placet, quod in plerisque codicibus antiquioribus *flavum caput* legitur: Epitheton quidem cultui muliebri congruum: nam placidum, hic otiosum videretur: quod alibi Neptuno signate est attributum, procellosa dispulsa tempestate tranquillitatem inducturo.

356. HUIC PERCULSA NOVA MENTEM FORMIDINE MATER. In Mediceo, & nonnullis aliis codicibus pervetustis, *percussa* legitur: de quo alibi.

368. ET CAPUT, UNDE ALTUS PRIMUM SE ERUMPIT ENIPEUS. In Romano codice legere est: *primum se rumpit*. In Oblongo illo, quem Pomponius Laetus delitias suas est apellare solitus: *primum erumpit*, sine ulla prorsus collisione, & ita erat prius in codice Mediceo. In aliquot aliis: *Enipheus* est, per Φ. Sunt enim, qui *Eniphea*, fluvii nomen ab Enipeo Trojano viro, cujus Homerus mentionem fecerit, hac scriptura distinguant.

370. SAXOSUMQUE SONANS HYPANIS MISUSQUE CAICUS. In Romano codice, *saxosus* legitur, quod improbat Servius, ne duo sint epitheta: quod apud Latinos vitiosum est. Erat tamen in illo Oblongo perveteri, atque etiam in Mediceo, *saxosus:* aliena inde manu, *saxosum* est repositum. Sed quod Servius ait de duobus epithetis, videtur *sonans* loco verbi potius quam pro epitheto positum. Neque hujus elocutionis exempla desunt. Quod vero *Misus* per ἰῶτα scribitur in codicibus nonnullis, Antiqui aliquot per *y* scribunt: Μυσία τῆ χώρα ϗ πόλις apud Stephanum reperitur. Quod autem ad denominativum pertinet, & *Mysi*, & *Mysii*, populi dicuntur. Et Aeolum lingua *Mysadi.* Illud addam, in Longobardico pro *Hypanis*, *Hypanus*, per *u* legi ultima syllaba: ita etiam in Mediceo.

373. IN MARE PURPUREUM VIOLENTIOR INFLUIT AMNIS. In Romano, & in codicibus perveteribus *effluit* legitur, quod veriti sunt *in* geminatum vitiosum esse; quum tamen hujusmodi exempla pleraque etiam apud Oratores inveniantur, quae longum esset enumerare.

399. O-

399. ORANDO FLECTES. In Mediceo codice, *orando vinces* legere est. Alterum ex his paraphrasis omnino fuit.

400. DOLI DEMUM CIRCUM HAEC FRANGENTUR INANES. In Mediceo, dictionum ordo ita habet: *doli circum haec demum:* meliori numero.

406. TUM VARIAE ILLUDENT SPECIES. Hoc loco plurimum variatur: nam in Romano codice: *ludent.* In Oblongo perveteri: *eludunt*, praesenti tempore. In Longobardico, in Mediceo, & plerisque aliis: *eludent* futuro. Neque vero reticenda sunt hoc loco, quae de Proteo Augustinus contra Academicos disputat in hunc modum: *Proteus enim ille, ut Vos adolescentes non penitus Poëtas a Philosophia contemnendos videatis, in imaginem veritatis inducitur. Veritatis, inquam, Proteus in carminibus ostentat, sustinetque personam, quam obtinere nemo potest, si falsis imaginibus deceptus, comprehensionis nodos, vel laxaverit, vel dimiserit. Sunt enim istae imagines, quae consuetudine rerum corporalium, per istos, quibus ad necessaria hujus vitae utimur, sensus, etiam quum veritas tenetur, & quasi habetur in manibus, decipere, atque illudere moliuntur.* Hic vides D. Augustinum Paraphrasi hac *illudent* agnovisse: quod si *ludent* legas, non nihil sententia remittet.

415. HAEC AIT, ET LIQUIDUM AMBROSIAE DIFFUDIT ODOREM, QUO TOTUM NATI CORPUS PERDUXIT. Utrumque verbum in Romano codice diversum est, ubi legitur: *depromit odorem:* &: *corpus perfudit.* In aliquibus etiam *ambrosia* ablativo casu. Integrum autem Lectoribus sit, quam maluerint lectionem admittere, quum neque haec, neque illa, mihi reprehensione digna videatur.

417. SPIRAVIT CRINIBUS AURA. In Romano codice, *Auras* est, quod non placet.

423. AVERSUM LUMINE NYMPHA COLLOCAT. Romanus codex, & plerique perveteres: *aversum lumine*, absque *a* praepositione separativa legunt. In aliquot *aversum a limine* habetur.

424. IPSA PROCUL NEBULIS OBSCURA RECESSIT. Vetera omnia exemplaria, quotquot habui, *resistit* legunt. Hoc est, retro, vel in recessu sistit.

425. JAM RAPIDUS TORRENS SITIENTIS SIRIUS INDOS. *Sirius* forsitan negotium facessat, quia *Serius* in codicibus aliquot antiquioribus legitur. Sed enim id ea de caussa factum, quod quum Σείριος, Graece per ει diphthongum prima syllaba scribatur, ex Latinis alii, primam ex diphthongo, alii secundam vocalem acceperint: syllaba tamen nihil imminuta. Quia vero sunt, qui *Sirium* hoc loco importune insertum a Poëta suspicentur: his responsum facio, Virgilium ad antiquiorum eruditionem respexisse, siquidem Sol & Σείρ, & Σειρὸς, & Σείριος, apud veteres appellabatur: quin etiam Ibycus, poëta Lyricus, astra omnia *Siria* vocat.

431. DISPERGIT AMARUM. In Mediceo, & aliquot aliis, *dispersit* praeterito legitur.

432. STERNUNT SE SOMNO DIVERSO IN LITTORE PHOCAE. In Romano codice, & aliquot aliis de meliore nota, *diversae:* quod & venustius, & doctorum sermoni accommodatius videtur.

435. AUDITIQUE LUPOS ACUUNT BALATIBUS AGNI. Hoc etiam placet, quod in Romano, & in Mediceo codice legitur: *auditis*, quippe *balatibus.*

436 CONSEDIT SCOPULO MEDIUS. In Romano codice legere est: *consedit*, mutatione solita ejus manus. Sed quid illud, quod in Longobardico *recensit*, pro *recensuit*, utcumque scribere voluerint, versu dactylico reperitur: Aristaeo enim statim irruente, jam munus ipse senex suum peregerat: seque tradiderat quieti. Sed enim *recenset* in probarioribus habetur exemplaribus.

443. VERUM UBI NULLA FUGAM REPERIT FALLACIA. In aliquot codicibus *pellacia*, & *fallacia* notatum est.

444. ATQUE HOMINIS TANDEM ORE LOCUTUS. Nimirum, *est*, quod in codicibus aliquot antiquis post *tandem*, habetur, importune inculcatum est: quum hujus suppositi, quod est *locutus*, verbum *inquit*, tertio sit versu collocatum.

447. SCIS PROTEU, SCIS IPSE Sunt antiqui codices manu scripti, in quibus legitur *Proteus*, vocativo casu, Atticorum idiomate, ὦ Πρώτευς; sed *Proteu* κοινῶς receptum est Latinis.

448. DEUM PRAECEPTA SECUTI VENIMUS HUC LAPSIS QUAESITUM ORACULA REBUS. In Romano & aliquot aliis codicibus antiquioribus, non *huc*, sed *hinc* legitur: membraque ita disposita sunt, ut *Deum praecepta secuti venimus*, continenter legatur: mox hypodiastole signata: *hinc lapsis quaesitum oracula rebus*, subjungatur: quamvis in Oblongo *lassis* legatur, & aliquot aliis *labsis*, per characteristicon praesentis. Erat etiam in Mediceo prius *hinc* scriptum, aliena inde manu factum *huc*, altera lectione abrasa.

450. TANTUM EFFATUR AD HAEC VATES. Quod in Longobardico legitur, *Tantus ad hoc fatus vates*, in memoriam mihi adduxit Terentium Scaurum super hoc solicitum fuisse, quo pacto *effatus* scribendum esset, ubi semivocales ait geminare, ideoque *effatus*, non *exfatus*, vel *ecfatus*, dicendum. Sane crediderim aliquid hujusmodi fuisse prius in eo codice, unde Longobardicus exscribebatur, datamque inde ansam reliqua subvertendi.

460. AT CHORUS AEQUALIS DRYADUM CLAMORE SUPREMOS IMPLERUNT MONTES. In Romano codice, & aliquot aliis *supremo* legitur: ut cla-

clamoris magnitudo declaretur. Sed enim *supremos*, quippe *montes*, Servius agnoscit, ut illud, *Pro Supreme Jupiter.*

462. Altaque Pangaea, et Rhoesi Mavortia tellus. In codicibus aliquot antiquis *Panchai* legitur, ut sit: *alta tellus Panchai, & Mavortia tellus Rhoesi.* Sed enim Πάγγαιον, est montis nomen; casta igitur lectio *Pangaea.* Panchaia enim pertinet ad Arabiam, de qua libro secundo Georgicon: *Totaque thuriferis Panchaia pinguis arenis.*

463. Atque Getae, atque Hebrus, atque Actias Orithya. Hic quoque versus in codicibus omnibus antiquis, quos versare potuimus, eodem modo habet, quo superior ille: *Atque Ephyre, atque Opis, & Asia Deiopea*, ita enim legitur: *Atque Getae, atque Hebrus, & Actias Orithyia:* nulla in tritimemeri collisione facta: cujus pedes ita discludi debent: *atque Ge tae atq'Hebrus & Actias Ori thyia:* si cui tamen *atque* illud ter repetitum magis placeat, quod ita versus scriptus sit in Val. Probi codicibus, malitque in pentimemeri potius brevem pro longa positam, ut locus ille communis est, non laboro. *Orithyiam* vero quadrisyllabam esse dictionem, ea dimensione, qua paeonicum quartum a majori circumscribimus, duabus mediis syllabis per diphthongum notatis, indicant Homeri versus: Μαῖρα καὶ Ὠρείθυια: & alibi: Εὐπλόκαμός τ' Ἀμάθεια καὶ Ὠρείθυια.

466. Te veniente die, te decedente canebat. In Mediceo. & aliquot aliis antiquis *discedente* habetur; sed enim *decedente* receptum est.

467. Taenarias etiam fauces. In antiquis aliquot, modo *falces*, modo *valles* inveni: quae consulto praetereo, quum omnino, *fauces*, scribendum videatur.

471. At cantu commotae Herebi de sedibus imis Umbrae. In codicibus nonnullis antiquioribus, *cantum* legas, nempe quod *at* conjunctionem, vel eo modo per *t* scriptam, praepositionem esse crediderint. Sed enim *cantu*, lectio castior habetur. In Mediceo, *&* copulativa erat prius, inde *at* factum.

473. Quam multa in silvis se millia condunt. In antiquis omnibus exemplaribus, quae versavimus, *in foliis*, non *in silvis*, legitur: & *milia*, unico *l*, tam hic, quam in veterum monumentis saepe legitur. Sunt qui substantivum *mille*, & adjectivum scriptione distinguant. Praeterea in Romano codice tres versus superhabundant, ex Aeneidos sexto huc importune translati, quodque magis indigneris, corruptissime scripti.

479. Tardaque palus inamabilis unda. Sunt codices, in quibus *innabilis* legatur, sed enim probatiores omnes *inamabilis* legunt. Et Aulus Gellius eandem hanc lectionem agnoscit: dum dicit Virgilium, Stygiam paludem inamabilem dixisse κατὰ στέρησιν amoris, sicut illaudatum, κατὰ τὴν ἐπαίνου στέρησιν: sed enim de hoc dictum loco suo.

480. Alligat et novies. In codicibus aliquot manu scriptis, *atligat:* in aliis, *adligat* observes: quam antiquam non esse scriptionem, ex eo possumus conjectare (Neque enim hic antiquitatem intelligo vel Ennii, vel Pacuvii temporibus; sed quae circa Octavii Augusti tempora vigebat) quod Terentius Scaurus Antiquos, *pellego*, non *perlego: colligo*, non *conligo: alligo*, non *adligo*, dixisse asserit: hujusque pronuntiationis exempla sibi ex Virgilio desumit. Quare *alligat*, geminato *ll* scribere deberemus.

482. Caeruleosque implexae crinibus angues. In codice Longobardico, & aliquot aliis *amplexae* legitur. In Oblongo, & altero admodum carioso: *implexae.* In Romano: *innexae:* quem praetuleris, non laboro.

483. Tenuitque inhians tria Cerberus ora. In antiquioribus aliquot codicibus legi: *tenuit inhians*, nulla interposita particula copulativa: nam & locus semiquinariae communis est: si quis syllabae timeat, & sententiae concinnitas ipsum quodammodo hiatum repraesentat; cui, si *que* illud inserueris, fauces propemodum videberis obstruxisse. Non praeteribo etiam *tenuitque minans*, alicubi legi, sed id inemendate.

484. Atque Ixionei vento rota constitit orbis. In codicibus aliquot *cantu rota* legitur; sed agnoscit *vento* Servius.

488. Cum subita incautum dementia cepit amantem. In Romano codice, & in aliquot aliis, *subito* legitur, quod quidem adverbium eo loco non displicet.

493. Terque fragor stagnis auditus Avernis. In Romano codice legitur: *Terque fragor stagni est auditus Averni.* Caeterum in eo litterae omnino aliquot superfluae. In Mediceo *avernis* erat, nunc *s* ultima littera abrasa est, ut cum Servio sentiret lectio.

504. Quid faceret, quo se rapta bis conjuge ferret. Nonnulli veteres codices legunt, *quo se bis rapta conjuge:* ut evitarent vocem in continuatione sermonis, quae communis est, cum *raptabis*, a *rapto*, *raptas;* sed monosyllabum *bis* plerisyllabicis illis dictionibus interjectum, modulatius videtur adsonare.

505. Quo fletu manes, qua numina voce moveret. In Romano codice legere est: *Quos fletu manis, quae numina voce moveret:* nam illi amplius adeundi non erant, a quibus durissimae conditionis leges acceperat. Quanquam non displiceat: *quo fletu:* & *qua voce.*

507. Septem illum totos perhibent ex

EX ORDINE MENSES, RUPE SUB AERIA DESERTI AD STRYMONIS UNDAM FLEVISSE. In Romano codice legere est: *flesse sibi*: quippe solitarium *deserti ad Strymonis undam*, non amplius ad Manis, Deosve inferos exorandos: non ad contrahendas feras, & supervolantes aves: non ad agrestium hominum fera corda mitiganda: moresque componendos, expoliendosque; sed sibi; sed ad calamitatis suae lamentationem; sed ad inferorum duritiem incusandam. *Flesse sibi*, ut tanti doloris lenimentum aliquod inveniret Musarum beneficio, cum quibus ortas ait Hesiodus: *λησμοσύνην τε κακῶν, ἄμπαυμά τε μερμηράων.*

509. ET GELIDIS HAEC EVOLVISSE SUB ANTRIS. In Romano codice, & aliquot aliis *sub astris* legitur. *Astra* nimirum *gelida* appellat Septentrionalia: sequitur enim: *Solus hyperboreas glacies Tanaimque nivalem, Arvaque Riphaeis nunquam viduata pruinis Lustrabat*: quae omnia loca in Septentriones deflexa sunt.

511. QUALIS POPULEA MOERENS PHILOMELA SUB UMBRA. *Philomelam* Servius pro ave qualibet positam ait: sed cur non proprie de Luscinia intelligamus, cui a lugubri cantu nomen inditum: eademque flet noctem: nisi ea de caussa dictum a Servio quisquam opinetur: quia nonnulli volunt ex duabus sororibus Procnem in Lusciniam, Philomelam in Hirundinem esse conversam, ut eo loco habetur: *Et manibus Procne pectus signata cruentis*: quod etiam tradit Varro.

516. NULLA VENUS, NULLIQUE ANIMUM FLEXERE HYMENAEI. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis legere est: *Nulla Venus, non ulli animum*.

520. SPRETAE CICONUM QUO MUNERE MATRES. Aliquot antiqui codices *spreto* legunt, ut sit, spretis ab Orpheo nuptiis. Servius mavult, *spretae matres*.

521. NOCTURNAQUE ORGIA BACCHI. In codicibus aliquot antiquis, *nocturnique* legitur, per hypallagen: quamvis nonnulli ex peritioribus *nocturna* receperint: qua lectione nulla fiet collisio in *nocturnaque orgia*. Sane vero in Mediceo, *nocturni* scriptum est.

538. QUATTUOR EXIMIOS PRAESTANTI CORPORE TAUROS. In Romano codice legitur, *eximio praestantis corpore*: quod tantundem est.

540. DELIGE ET INTACTA TOTIDEM CERVICE JUVENCAS. In Longobardico *dilige* legitur, quod etiam superius habuimus eodem significato. Sed & *intactas*, quippe *juvencas*, per syllepsim legitur in Romano codice, sermone magis poëtico. Quanquam & illud venuste dictum: *Intacta cervice*, quod agnoscit Servius.

545. INFERIAS ORPHEI LETHAEA PAPAVERA MITTES. In Romano tantum codice, *Orpheo* Latino declinatu scriptum est: quod per synizesin accipietur, ut, *alvearia*: & *Ferreique Eumenidum thalami*. In aliis tamen *Orphei*, per diphthongum est, ut Graece Ὀρφεῖ: cujusmodi illud etiam apud Catullum: *Qualis adest Thetis, qualis concordia Pelei*. Subsequitur inde versus: *Placatam Euridicem vitula venerabere caesa*, post hunc: *Et nigram mactabis ovem, lucumque revises*. Hoc ordine habentur in codice Longobardico: & ita disponendos esse nemo non videt, quum praesertim haec rite perfecta, quo praeceptum fuerat ordine, cognosci possit ex eo versu, qui totam periodum complectitur: *Inferias Orphei mittit, lucumque revisit. Quatuor eximios praestanti corpore tauros Delige, & intacta totidem cervice juvencas.* Eodem modo quo superius: *eximio praestantis*, & *intactas*; & ita *inferias Orphei*, in Romano codice.

563. ILLO VIRGILIUM ME TEMPORE DULCIS ALEBAT PARTHENOPE. Non alienum fuerit a suscepti operis negotio, si, quo modo Virgilii nomen sit scribendum, ipse quoque cum tot aliis, qui argumentum hujusmodi amplexi sunt, quaesiero: *i* siquidem, an *e* potius sit hujus nominis vocalis prima, litteratissimis illis, qui superiori aetate claruere, Viris, haud parum negotii facessit. Atque illud in primis non ierim inficias, in Romano codice passim *Vergilium*, & *Vergili* per *e* vocalem secundam scribi: sed enim id ea ego de caussa factum crediderim, quod mutatio litterae *i* in *e*, atque itidem *e* in *i*, sit toto eo codice frequentissima, ut: *sublimes in aethere nisus*, pro, *sublimis*. *Quique novas alites*, pro, *alitis*: aut, *Phyllides ignes*, pro, *Phyllidis*. Tum, *regidas motare cacumina quercus*, pro, *rigidas*. Fuerunt enim saecula, quae *i* litteram odio quodammodo prosequi visa sunt; contra, quae libentius *e* per *i* litteram proferre mallent. Hinc *Mircurius* ab antiquis dictus, Varrone teste, qui nunc *Mercurius*: & ex eadem originatione *commircia* illi per *i* secunda syllaba, quod nos *commercia* per *e* libentius enuntiare voluimus. Quid quod *eliganter*, secunda syllaba per *i* scribendum praecipit Caper, quod ab *eligo* descendat. Nemo unus tamen dictionem ita proferre nunc audeter. Pari modo idem auctor, *exinteravit*, quod ex interioribus verbum emanarit, & scribendum, & pronuntiandum monet; quum nos tamen τὰ ἔντερα dictionem Graecam agnoscamus, unde verbum id conformaverimus. Et, ne taedium afferat singulorum nomenclatura, sexcenta hujusmodi praeteribimus. Ut minus me moveat, quod in Pandectis quoque illis, quae nunc Florentiae publice asservantur, libro ipso Justiniani Principis, ut creditur, archetypo, non aliter quam per *e* nomen id notetur. Sint Commentaria Tiberii Donati grandioribus notata characteribus. Sint co-

codices alii, atque alii hujus, vel illius Auctoris, in quibus *Vergilius* per *e* scriptum inveniatur, aetatis quippe id consuetudine, non ratione factum contenderim: tot aliis nominibus, quod ad has litteras pertinet, pro temporum varietate variantibus. Quod si aliqua reperiantur monumenta, in quibus *Vergilii* nomen per *e* notatum sit: certe longe plura sunt, in quibus *Virgilius* per *i* legatur. Et ne de Marone dictum dubitemus, visebatur in Foro Trajani proximis his annis monumentum id, quod HONN. IMPP. in Claudiani Poëtae luculentissimi memoriam erexerant, in quo praeter Latinam inscriptionem, quae facti consilium, & Claudiani meritum indicaret, Graece insuper κατ' ἐπιτομὴν incisum distichon legebatur hujusmodi:

ΕΙΝ ΕΝΙ ΒΙΡΓΙΛΙΟΙΟ ΝΟΟΝ ΚΑΙ ΜΟΥΣΑΝ ΟΜΗΡΟΥ
ΚΛΑΥΔΙΑΝΟΝ ΡΩΜΗ ΚΑΙ ΒΑΣΙΛΕΙΣ ΕΘΕΣΑΝ.

Ex quo manifestum est *Virgilii Maronis* nomen in monumentis publicis per *i* notatum fuisse. An vero memorem Graecos codices, in quibus Virgilii nomen habeatur? Sane apud Stephanum in dictione Μάντυα nomen hoc per ἰῶτα legitur, non per Ἐψιλόν: Ὃς αὐτῆς ἦν Βιργίλιος ὁ ποιητής. Sed haec perquirere non est consilium: nam objicient in Suidae collectaneis *Virgilii Maronis* nomen per *e* legi in dictione Ἀρριανός, qui Virgilii Georgicon metaphrasin fecit. Sed id magis absurdum, quod in eodem loco *Vergillius*, *ll* geminato, legitur, Βεργίλλιος, uti etiam in antiquis aliquot monumentis non negarim inveniri: quanquam id ea ratione factum est (de vocali tantum loquor) quod *Virgilium* a *virga* plerique dictum agnoscebant, id scilicet a matris somnio desumptum. *Virgam* vero recentiora illa tempora per *e*, ut nunc quoque vulgo dicitur, *vergam*, primo dicere; inde *Virgilium*, eadem stribiligine scribere coeperunt. Sed enim, si ab etymo nominis hujus rationem petamus, *Virgilio* nomen a *Virginali facie*, vel modestia, inditum, Interpretes affirmant, eumque *Partheniata* vocatum, tam Veterum scripta quam inscriptiones librorum ejus ostendunt: in quibus tot codicibus vetustis notatum inspicitur:

P. PARTHENIATIS VIRGILII MARONIS.

Accedit huc epigramma Graecum, quo Dido queri videtur, alienum quid Virgilium a sui nominis significatione fecisse, quum pudicissimae foeminae tam foedas impudicitiae notas inussit; ad id enim adludit finis ille:

Πιερίδες, τί μοι ἁγνὸν ἐφεπλίσατε Μάρωνα;
Τοῖα καθ' ἡμετέρης ψεύσατο σωφροσύνης.

Quare sive etymon a *virgo*, sive a *virginali specie*, unde illi tam celebre nomen, *Virgilius*, per *i* scribi debere videtur. Quod vero apud Romanos in Antiquorum monumentis nomen id per *e* nonnunquam notatum inveniatur, ut apud Angelum Colotium in ejus hortis:

C. VERGILLIUS MARTANUS COLONUS.

hos, aequo aliquo dato judice, percunctari velim, si tantum illis monumentis tribuunt, ut quicquid in illis inspexerint, pro lege habeant, cur non & reliqua eodem modo scribenda censent, quo singula eodem marmore scripta sunt? quippe *Vergillius*, *ll* geminato, *bone*, & *care* absque diphthongo in acquisitivo casu. Cur, quia in alio marmore pervetusto Romae Q. BERGILIUS legitur, non itidem praecipiunt *Bergilius*, per *b* mutam, non per *v* digammon scribendum esse? Nam quod alibi legatur:

M. VERGILIUS NARCISSUS VIXIT ANN. XIIII.

non magis me moverit, quam VERGINIA, & VERGINIUS, praeter analogiae rationem per E, quodam in monumento scriptum. Pari sententia, hodie haudquaquam ego DEANA scripserim, quod ad D. Eustachii legerim DEANAE. D. D. Neque MENERVA, LEBER, & MAGESTER, quae per *e* protulisse Veteres, Fabius attestatur. Neque *Jove* dativo casu: tam etsi Aquileae intra aedem sancti Secundi notatum sit:

JOVE OPTUMO MAXUMO T. PETTIUS T. F.

Neque itidem *die*, & *victore*, pro *dii*, & *victori*, quae idem apud Veteres Quinctilianus agnoscit. Verum ego plurima, quae super hoc dici possent, de industria praetermitto, qui certo sciam clarissimos litteratura Viros, quorum lucubrationes propediem in lucem spero prodituras, satis superque iis, qui *e* litteram in eo nomine adamarunt, respondisse. Nos lucubrationibus nostris in Bucolica, atque Georgica modum imponemus, si duo tantum ex antiquis codicibus addiderimus, *oti* in aliquibus legi, in Romano, hoc tantum loco, *oci*. Sed super hoc Ecloga prima disputatum. Est & illud, *Tityre te patulae cecinit sub tegmine fagi*, mutato ordine, verbique persona in codicibus aliquot antiquis haberi, *Tityre te cecini patulae sub tegmine fagi*. De se enim totum hoc loqui Poëtam, id ostendit, quod superius dixerat: *Illa Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope.*

JO. PIERII VALERIANI

CIVIS ROMANI

CASTIGATIONES

IN PRIMUM

AENEIDOS VIRGILIANAE.

ILLE EGO QUI QUONDAM GRACILI MODULATUS AVENA. In nobilissima, maximeque celebri Poëmatis Virgiliani parte, non otiose plerique omnes quaerunt: Sit ne inde exordiendum, a quatuor illis versibus, quos veterum quorundam censura constat esse detractos: an, illis praeteritis, ab eo loco incipiendum: ARMA VIRUMQUE CANO. Sane quantum ad antiqua pertinet exemplaria manu scripta, nullum adhuc inveni, ubi principium Aeneidos a quattuor illis versibus desumeretur: verum separatim in codicibus aliquot praescripti habentur. In plerisque vero, iisdemque antiquioribus, ne inveniuntur quidem. Sed fuerint sane Tuccae Varique censura sublati; eo tamen consilio fuerunt a Virgilio praepositi, ut legerentur. Id quod in aliis etiam operibus non incuriose factitasse deprehenditur, dum in Bucolicis Eclogarum, quas prius ediderat, mentionem facit: ut in Daphnide: *Haec nos: Formosum Corydon ardebat Alexin. Haec eadem docuit: Cujum pecus, an Meliboei?* Et quum Georgicon libris finem imponeret, Bucolica a se scripta citavit: *Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventa, Tityre, te cecini patulae sub tegmine fagi.* Et ne cui de nomine quoque ambigendum esset, id in carmine curavit inserendum:

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope.

Nam nisi ea fuisset cura, satis erat dixisse: *Illo me tempore dulcis alebat Parthenope.* Pari ratione visum est illi tertium hunc ingenii felicissimi conatum duobus illis prioribus adnectere, ut unum quasi corpus insolubili vinculo colligatum, cum nominis sui aeternitate a furacitatis injuria, quae tunc nimium impudenter in aliorum labores grassabatur, incolume servaretur. Visum tamen est posteritati, confirmata jam tanti Poëtae fama, in Tuccae Varrique sententiam descendere: bonaque hominum pars nimirum, ARMA VIRUM, Aeneidos principium agnoscunt, eo potissimum argumento, quod citaturus Persius Poëta Virgilianam Aeneida dixerit: *Arma virum, nonne hoc spumosum.* Quodque Val. Martialis: *Protinus Italiam concepit, & Arma virumque.* Quod Sex. Propertius: *Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma.* Multa illi praeter haec ex aliorum Poëtarum tam Graecorum quam Latinorum parodia afferre solent, ut Virgilium in exordiendo, non tam Veteres imitatum ostendant, quam alios etiam imitatores habuisse. Sed enim fuerit ea Persii sententia: intellexerit illud Aeneidos esse principium Valerius Martialis: censuerint eos versus quatuor tollendos Augusti Octaviani temporibus eruditi viri; magis tamen ego unius Virgilii judicium aestimarim, quam Criticorum omnium censuras quantumlibet acris: quum is praesertim ex eruditorum praeceptis, non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitaverit. Adde, quod versus illi, a Persio & Martiale citati, non sunt idonei, qui tale esse principium indicent. Sex. vero Propertium quis non videt, dum is scriberet: *Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma*, ad conjunctum illud Virgilianum carmen respexisse, quod iisdem pene verbis est: *At nunc horrentia Martis Arma, virumque cano?*

6. ITALIAM FATO PROFUGUS, LAVINAQUE VENIT LITTORA. Anxie quidem, ac diutissime quaesivi, ubinam gentium antiquissimus ille codex delitesceret, in quo *Lavinia venit littora*, plerique non illiterati viri scriptum asseverarunt: citato ex Vaticana bibliotheca vetustissimo, qui nusquam invenitur, codice: Regula etiam adinventa,

venta, qua denominativum ea forma deducere necessarium putent. Sed enim, ut multa praeter eam, quae contra oggeri possent, ad ejus regulae infirmitatem coarguendam, cur *Lavina* dimensione Bacchii legendum sit, non contemnendam mihi rationem Servius videtur attulisse. Nam quod apud Dionysium Alicarnasseum legamus *Populos tris*, *Lavinienses*, *Laurentes*, *& Laviniatas*, nequaquam ostendit Virgilium *Lavinia*, non *Lavina*, formare debuisse. Non enim Graecitatis usu nostrorum, quae esse cum decoro potest, licentia coarctatur. Quid vero, quod apud Sex. Propertium, *Lavinis*, dimensione Molossi positum videmus, eo versu: *Jactaque Lavinis moenia litoribus*: nisi quis factam ibi synaeresin dicat, ex *Laviniis*: quod in *Lavina* alterius formae casu fieri non possit: si vetusti codices ambiguitatem ipsam firmare non possunt: nullum ego neque in intima bibliotheca Vaticana, neque in ea, quae omnium commodo patescit, neque in aliis, quos alibi viderim, codicem inveni, qui lectionem ejusmodi contineret: in omnibus vero, quotquot enanciscі potui, atque etiam in Ti. Claudii Donati commentariis antiquis, *Lavinaque venit*, eodem exemplo scriptum inspexi. Addam & illud, *litus*, unico *t*, in antiquioribus plerisque codicibus haberi: ut etiam in veterum monumentis inspicitur: de quo libro VII. plura.

8. Vi superum saevae memorem Junonis ob iram. Vulgati plerique codices *et* particulam inserunt: *vi superum & saevae*. Antiquiores absque *et* legunt: quod longe venustius, & gravius videtur.

14. Tot adire labores Impulerit. In Romano codice, *impulerat*, indicandi modo, & exacta specie legitur. Quasi jam hinc ad conciliationem, quae Jovis precibus subsecuta est, Poëta respexerit. Sed enim codices reliqui tam veteres, quam recentiores, *impulerit* legunt. Hac tamen forma pleraque alia sic mutata reperiemus.

24. Tyrias olim quae verteret arces. Antiqui aliquot codices, *everteret* legunt; quod nonnulli ajunt majorem prae se ferre conatum; sed enim Ti. Donatus *vertere* eam habere intellectus expressam rationem dicit, ut nihil post excidium supersit: huicque illud simile subjungit: *Quae te, genitor, sententia vertit*: hoc est, sic mutavit, ut nihil pietatis remanserit in sensibus Jovis. Additque etiam illud ex alio loco: *Tum vero om. mi. vi. con. in ig. Ilium, & ex imo verti Neptunia Troja*: quoniam (ait Donatus) constabat nihil ejus remansisse post flammas: ideoque haec principalis fuerit caussa: quae etiam si sola existeret, sola posset adversus Trojanos animum Junonis urguere.

29. Nec dum etiam causae irarum saevique dolores Exciderant animo. Supervacuum videtur veterum monumenta in testimonium afferre, consuesse priscos *caussam* duplicato *ss* passim scriptitare, quum tot Romae marmora spectemus, quae dictionem eam per *ss* geminatum notatam ostentent. Scriptionis vero hujusmodi rationem hanc afferri solitam ait Terentius Scaurus, quod *caussa* dicta sit a *cavillationibus*, vel a *cavendo*, *cavissa*: deinde κατὰ συγκοπὴν *caussa*, ita *s* litteram geminandam putaverunt, ut appareret originatio: aliter tamen ipse sentit, qui dicat, *s* litteram non solere geminari, nisi praecedente vocali correpta: quare *causam* unico *s* scribi mavult. Nos tamen libentius *s* in *caussa* geminamus: quia sic Virgilii & Ciceronis manu scriptum asserit Quinctilianus. Ubi vero *saevique dolores* legitur in vulgatis codicibus, vetera exemplaria quaedam cum Longobardico *labores* habent: quos scilicet contra Trojanos antea susceperat, toto eo decennali bello: nam quod sequitur, *manet alta mente repostum Judicium Paridis*: & quae sequuntur, ad exaggerationem posita sunt. Sed neque illud dissimulandum est, emendatiores codices *alta mente* absque *in* praepositione legere. Quam quidem particulam Virgilius libenter praeterire solet. Quod vero ad *dolores* pertinet, in veteribus plerisque codicibus altera illa sublata lectione *dolores* superinductum est, non omnino male, si quae sequuntur inspicias, quae dolendi caussam darent.

32. Rapti Ganymedis honores. Quod in codicibus aliquot antiquis duo illa verba *rapti Ganymedis* per incolas alio atque alio loco ductas distingui videtur; nempe in aliquot ante, & post dictionem *Ganymedis*, hoc pacto: *Rapti Ganymedis, honores*; in aliquot inter particulam copulativam & participium *rapti*, hoc modo; *&, rapti Ganymedis, honores*: in memoriam suggerit, varias itidem hujus hemistichii sententias apud Interpretes esse. Nonius enim Marcellus, *honores*, pro integritate & pudicitia vult hoc loco intelligi: quare, *rapti honores*, legere videtur, hoc est rapta pudicitia. *Honores*, alii pro dignatione, qua fuerit Ganymedes honestatus, exponunt: quippe quod Mythologi eum dicunt in zodiaco sedem sortitum esse, quod quidem dictu foedum ait Donatus. Servius, qui *honores Ganymedi habitos* interpretatur, *rapti*, hoc est, stuprati exponit, ut: *Rapta Garamantide Nympha*. Cui Ovidii etiam subscribit parodia VI. Fastorum: *Caussa duplex irae, rapto Ganymede, dolebam, Forma quoque Idaeo judice victa mea est*. Sed haec alii viderint.

34. Troas relliquias Danaum, atque immittis Achilli. Sunt, qui ex Poëtarum veterum exemplis *reliquias* unico *l* recte scribi contendant, ut in bona codicum antiquorum parte notatum invenitur. Ajunt enim *re* particulam pro communi habitam a veteribus, hinc apud Ovidium;

vidium: *Quod in ipsum recidat orbem*, quam tamen Valerius Probus semper brevem dicit ubicunque loquelaris sit: ideoque juniores *ll* geminari censuere. Quam quidem quaestionem ita Comminianus absolvit: ut in nomine *relliquias* barbarismum esse dicat adjectione litterae, perinde ac *Italiam fato* temporis adjectione: nam *Italiam* Probus quoque primam correptam habere contendit: & vitium in eo nomine spatio factum, ait Quinctilianus. Quare in altero consonantem geminare necesse est, alterum vi quodammodo sua crassescit, nulla parenthesi. Ut vero praeteream, quod minime placet, *atque*, ex hoc versu sublatum aliquot in codicibus, ut sine copula legatur: *relliquias Danaum immitis Achilli*, prout apud Catullum: *Juppiter ut Calibum omne genus pereat:* & apud Tibullum: *Cimmerium etiam obscuras accessit ad oras:* quo nonnulli offensi, *Cimmerium obscuras etiam concessit ad oras*, legendum censuere: alterum vero locum Graece scribendum curavere. Hoc tamen loco, siquis eam conjunctionem, quae est *atque*, demat, venustatem carminis demere videatur. Est & illud varie tam in veteribus quam in recentioribus exemplaribus positum, *immitis Achilli*. Nam *Achilli*, in Oblongo habetur codice, quo declinatu usus est Horatius: *Matronisque Phrygum classis Achillei:* atque alibi: *Heu pervicacis ad pedes Achillei*, sicut etiam *Ulyssei*. Idem: *Laboriosa nec cohors Ulyssei:* quae quidem forma Graecanica est, & nominativum habet in *eus*, *Achilleus*, *Odysseus*, *Orpheus*. Ut in veterum monumentis M. VALERIUS ACHILLEUS LICTOR. Inde autem putent *Achilli* factum κατὰ συναίρεσιν. Servius detractam *s* litteram ad ὁμοιοτέλευτον evitandum putat: pleraque demum exemplaria ita scriptum ostendunt. Quidam dativum pro genitivo positum ajunt, more veterum. Nomina quaedam agnoscit Probus in Arte, quae in genitivo casu num. sing. in uno vocabulo suo duabus his formis finiantur *i*, & *is*, ut puta, *hujus Achilli*, & *hujus Achillis*. Carisius inveniri ait apud veteres ex nominibus in *es* rectum efferentibus, quae sine ratione genitivum faciant per *i*, ut apud Sallustium in prima Historia: *Bellum Persi Macedonicum*. Item apud Virgilium: *Immitis Achilli:* & alio loco: *Fallacis Ulyssi*. Priscianus veteres ait frequentissime dativum pro genitivo protulisse, *Aristoteli*, *Demostheni*, *Thucydidi*, *Eurypidi*, pro *Aristotelis*, *Demosthenis*, *Thucydidis*, *Eurypidis:* desumitque sibi ex Virgilio exempla: *Nunc acris Oronti:* &: *Immitis Achilli:* &: *Miles Ulyssi*. Item ex Terentiano *Arconidi filiam*, pro, *Arconidis*. Ex Cic. in II. Verr. *In Timarchidi potestate:* qui eadem voce usus est etiam in dativo: *Neque in praesentia Timarchidi quid responderet, habuit:* ne aliam quis esse declinationem putet: & *Achilli* absque *s* sciant omnes praeter usum non esse.

45. UNIUS OB NOXAM ET FURIAS AJACIS OILEI. In Oblongo codice sane quam vetusto *furiis* legitur, casu septimo, quod non aeque placet: utrumque enim cadit sub praepositivam particulam *ob*.

49. SCOPULOQUE INFIXIT ACUTO. Sunt, qui legant *inflixit*, ad majorem quandam ultionem ostendendam: quod ego nusquam in veteribus codicibus observavi. Sane vero Ti. Donatus *infixit* agnoscit, dum ait: *Figi enim non potuit, nisi urgente turbine: cum pondere, atque magno ictu, saxo fuisset illisus*. Et inferius: *Hic etiam illud intelligi potest, idcirco eum infixum scopulo, ne delatus fortassis ad litus, sepulturae saltem beneficium reperiret*. Verum haec & alia ejus scripta in impressis codicibus passim mutilata, laceraque, & majori sui parte depravata sunt.

51. ET SOROR ET CONJUNX. In plerisque veteribus exemplaribus *conjux*, absque *n* littera in ultima syllaba legitur: sicuti Scaurus melius putat dici, & scribi. Et a Sosipatre Carisio *conjux* inter ea nomina recensetur, quae *ux* litteris finiuntur: ut *nux*, *Pollux*. Neque vero hic veterum inscriptiones recensebo: quum in nulla pene dictione variata magis scribendi ratio, quam in hoc nomine reperiatur.

52. ET QUISQUAM NUMEN JUNONIS ADORET. In codice Longobardico, & aliquot aliis antiquioribus, *aut quisquam* legitur: quam lectionem Servius agnoscit. Est autem Graecorum imitatio, qui τὸ ἢ disjunctivam, & interrogativam particulam usurpant. In aliquot aliis, *ecquisquam*. In aliis, *aut quis jam:* quae lectio sit ex his castior judicanda, aliorum judicio relinquimus. Idque potius dicemus, *adorat*, praesenti tempore indicativi modi tam in Romano, quam in codicibus aliquot antiquis haberi. Et quod subsequitur: *aut supplex aris imponat honorem*, in eodem Romano codice, *imponet* futuri temporis esse. Alii quidam codices non contemnendi *imponit* legunt, eadem synchronia, qua lectum est, *adorat*. Utriusque verbi lectio eodem tempore Donato agnita, qui totum hoc de Trojanis dictum putat; eos scilicet Junonis numen non adorare, aut aris ejus non imponere sacrificia: quod se sperarent eam renitendo superaturos. Neque tamen contemnenda est vulgata lectio, *adoret* & *imponat*, figura loquendi Graecanica & eleganti: magis enim indignationem exaggerat, si ad nationes reliquas referatur: quippe, nisi supplicium de Trojanis sumat, nisi eos perdat, aut ulciscatur, futurum, ut numen suum apud omnes gentes & nationes despicatissimum habeatur.

73. INCUTE VIM VENTIS, SUMMERSASQUE

OBRUE PUPPES. Sunt qui *subversas* legendum autument, ne ordo in sensu sit confusus: obrui enim prius accidit quam immergi. Mihi tamen displicere non potest, quod in antiquis omnibus exemplaribus, quae versavimus, legitur: tum *summersas*, tum *submersas*: quod etiam si non accipiamus pro submergendas, ut Grammatici nonnulli interpretantur, certe Poëtarum mos est, haec de industria saepe confundere.

74. AUT AGE DIVERSAS, ET DISJICE CORPORA PONTO. In antiquis omnibus exemplaribus de meliore nota, *diversos* legitur, virili genere, ut de Trojanis intelligatur: quam lectionem aperte Donatus etiam agnoscit, ubi super ordine hoc plurima disputat, quae in vulgatis codicibus non habentur. Ideo vero ait cupere Junonem, Trojanos diversos agi, quoniam sparsi nihil audere posterius poterunt, nec ad Italiam pervenire. Et inferius: *Aut age diversos*, impleri non posset, nisi venti, ut supra dictum est, impugnantes sese, discretos Trojanos per diversa distraherent.

76. QUARUM QUAE FORMA PULCHERRIMA, DEIOPEIAM. In Romano codice, in Oblongo, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis, *Deiopea* nominandi casu scriptum est, pulcherrima elocutionis figura. Nam alibi etiam Virgilius utitur antiptosi.

80. TUUS, O REGINA, QUID OPTES. Etsi placet *quid*, indefinitum, in plerisque tamen codicibus vetustis *quod* habetur: idque alicubi per *t* finale non ut numerum significet, sed quia *t* & *d* indifferenter poni tam in tabulis aeneis, quam in marmorum monumentis, apud veteres observatum.

99. QUIS ANTE ORA PATRUM. Valerius Probus versum hunc citans *queis* iambum esse dicit, passimque dativo & ablativo casu pro iambo accipi debere. Quare non alienus sum ab eorum opinione, qui *queis* per *ei* scribendum censent, ut aliquot habent marmora: sed hoc loco cadit in unam syllabam, κατὰ συνίζησιν.

103. SAEVUS UBI AEACIDAE TELO JACET HECTOR, UBI INGENS SARPEDON, UBI TOT SIMOIS CORREPTA SUB UNDIS. Ut praeteream *saevos* per *o*, & *correpta* praepositione incolumi, veteribus in aliquot exemplaribus notata, quae Scaurus ferre non potest, id attingam, quod in antiquiori quodam codice legere est, *Hector & ingens*, pro, *ubi ingens*. Nempe quod satis illis visum sit repetere bis tantum adverbium *ubi*: ne, si ter prolatum sit, oratio loco tam moesto lascivire videatur. Mihi vero perplacet ea triplicata repetitio: quippe quae majorem quandam vim ad excitandum pathos habeat. Et bona antiquorum codicum pars *ubi* ter ponit: & in antiquis Prisciani codicibus ita citatos versus inveni, dicente eo: *ubi* relativum gravari debere, ut hoc loco: *ubi Aeacidae, ubi ingens, ubi tot Simois.*

108. TUM PRORA AVERTIT. In Romano codice, *proram* legitur, accusativo casu: cujus suppositum erit procella. Quanquam Servius longa disputatione *avertit*, pro *avertitur*, legendum censet. Quare itidem *prora* casu recto ponendum: quae quidem magis poëtica elocutio est.

115. IN BREVIA ET SYRTES URGET. In antiquis plerisque codicibus, *urguet* est, *u* post *g* addita: Attiano more. Et hoc loco *syrtis* in accusativo plurali tantum fieri docet Priscianus, sicut & *Alpis*, propterea quod Graece declinata *ει* diphthongum habeant: ejus vero sonum apud Latinos esse per *i* longum. Est & Velii Longi sententia, ut *syrtis* per *i* scribatur, citato versu: *Et vastas aperit syrtis.* Nostra autem aetate litterati pene omnes diphthongum Graecam recepere: atque ita dictionis hujus casum *syrteis* per *ei*, ut pleraque alia scriptitant: quod in codicibus antiquis inventu rarissimum: quodque supervacuum esse, quod *i* tam longae, quam brevis naturam habet, tum incommodum aliquando, judicat Quintilianus. Sed de hoc genere plura alibi recitantur.

121. VORAT AEQUORE VORTEX. Mirum est, quam saepe invenias *vortex*, & *vertex* indifferenter scribi in antiquis codicibus, quod idem esse vult Arusianus Messus: Capro tamen non temere *verticem* per *o* vocalem quartam in prima syllaba, a *vertice* per *e* vocalem secundam distinguente. Praeterea Sos. Carisius *vertex* a *vertendo*, *vortex* a *vorando* dicta putat. Vult autem Plinius *verticem*, immanem vim impetus habere, ut: *Ingens a vertice Pontus. Verticem* vero circumactionem undae esse, ut: *Rapidus vorat aequore vortex.*

133. FLUCTIBUS OPPRESSOS TROAS COELIQUE RUINA. In Romano quidem codice, *ruinam* legitur per *m* finalem litteram: ut sit: *Videt Neptunus oppressos Troas, coelique ruinam.* Servius tamen *ruina* ablativo casu una cum fluctibus agnoscit: & ita veterum codicum bona pars legit: nam & imbres, & tempestas ea, vento, tonitru, & crebris ignibus horrenda coelitus incubuerant.

151. ATQUE ROTIS SUMMAS LEVIBUS PERLABITUR UNDAS. Non temere *pellabitur*, in codicibus aliquot antiquis legitur: siquidem ex Velii Longi sententia, *per* praepositio omnibus integra praeponitur: nisi quum incidit in *l* litteram. Malle enim elegantioris sermonis viros in praepositione *per*, geminare *l* litteram (ait ille) quam *r* exprimere: ut quum *pellabor* malunt dicere, quam *perlabor*: ita enim in emendatis ejus auctoris codicibus habetur.

160. CURRUQUE VOLANS DAT LORA SECUNDO. In Romano codice, & aliquot aliis legere est, *fluctuque volans*: ut sit, *fluctu secundo.*

Sed

Sed *curru* magis placet eruditorum auribus, ut figuratum magis.

166. GEMINIQUE MINANTUR IN COELUM SCOPULI. Servius exponit *gemini*, *pares*. Sed cur non *duo*? quum praesertim in hac descriptione Virgilius Homerum sequatur, apud quem legere est: Δύο δὲ σκόπελοι ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει.

178. AC PRIMUM SILICIS SCINTILLAM EXCUDIT ACHATES. Arusianus Messius in Virgilianarum elocutionum exemplis, *Excudit huic*, dativo casu eleganter dici, carmine hoc ex Virg. citato, contendit approbare: & *silici* a Poëta scriptum agnoscit: & ita habetur in eo codice, ubi integra Ti. Donati commentaria leguntur. Sed & *excussit* praeterito tempore positum est, ut cum altero *suscepit* quadret in synchroniam. Ea vero dictio *suscepit*, in veteribus aliquot codicibus *succepit* geminato *cc* scripta est, ut *succumbo*, *succedo*. Sed enim omnino ex *sub* & *capio*, *succipio* prius fuit: inde alterum *c* in *s* abiit, consuetudine pronuntiationem hujusmodi magis adprobante.

185. ANTHEA SIQUA JACTATUM VENTO VIDEAT. In Longobardico, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis exemplaribus, *siquem* legimus. Quod elocutionis genus aliorum etiam Poëtarum testimonio Servius agnoscit. Sed & *siqua* in veteribus codicibus aliquot scriptum animadverti: eamque lectionem a veteribus Grammaticis defendi. Atque Sosipater quosdam ita legere: *Anthea siqua jactatum vento videat:* quemadmodum legitur: *siqua fata sinant*, pro, si quo, aliquo modo. Aliud autem esse in illo: *siqua fata aspera rumpas*, *Tu Marcellus eris:* quanquam & ibi, si quo modo, sit audiendum.

189. HOS TOTA ARMENTA SEQUUNTUR. Vetera aliquot exemplaria, *quos tota* legunt: a nemine tamen, quod sciam, adhuc recepta lectio: perinde ac illud etiam, quod antiqui codices nonnulli, *tot armenta* scriptum habent: sive ea olim fuerit apostrophe, qua Latinos etiam aliquando usos monumenta plurima declarant: sive *tot* numerale nomen ratione communis loci producatur. Sed *tota*, passim agnoscitur a Grammaticis.

190. A TERGO ET LONGUM PER VALLES PASCITUR AGMEN. Errare eos Ti. Donatus ait, qui comma statuunt, *sequuntur a tergo:* quum absque ullo interjecto puncto legendum sit uno eodemque membro: *A tergo & totum per vallis pascitur agmen:* ut sit: Longum agmen a tergo pascitur per vallis: cujus elocutionis exempla ponit: *Thestilis & rapido fessis messoribus aestu.* Item: *Puppibus & laeti nautae imposuere coronas.* Item: *Subito cum tabida membris:* hoc est, cum subito.

197. CORPORA FUNDAT HUMI. In Romano codice, in Oblongo, & aliquot aliis minime malis, *humo* legitur, dandi casu. Sed *humi*, adverbialiter positum magis placet nostri temporis eruditis viris: veluti etiam in quinto: *Fusus humi.* Quanquam & ibi quoque variam esse lectionem apud veteres ostendimus.

199. VINA, BONUS QUAE DEINDE CADIS ONERARAT ACESTES LITORE TRINACRIO, DEDERATQUE ABEUNTIBUS HEROS, DIVIDIT. Sunt, qui magis approbent lectionem illam: *Deinde bonus quae vina cadis onerarat:* cujus quidem appositi verbum est *dividit*, non *partitur*, ut Servius putat. Sed enim illam adverbii transpositionem in primum locum nusquam in codicibus antiquis observavi. Agnitam vero Donato lectionem eam, quae vulgo habetur, inde patet, quod in ordinando sensu ita scribit: *Deinde dividit vina, quae bonus Acestes oneraverat cadis litore Trinacrio, atque abeuntibus dederat.* Est praeterea in codice Mediceo pro *heros*, positum *hospes: Dederatque abeuntibus hospes:* ut muneri conditio accrescat, quod hospitale fuerit.

202. NEQUE ENIM IGNARI SUMUS ANTE MALORUM. In veteribus omnibus exemplaribus distinctas inveni dictiones, in nonnullis puncto etiam interjecto: *ante-malorum*, quae quidem Graeca est figura: τῶν πρὶν κακῶν ut illud, τῶν νῦν ἀνθρώπων. Subintelligitur quidem in hoc, quae passi sumus ante: in illo ὄντων, qui nunc sunt: ejusmodi sexcenta in singulis Graecorum libris invenias. Quod si quis subunionem magis adamet, ut apud Catullum: *Postphasellus:* & in Pandectis: *Postdomus:* non laboro: non enim institutum est nostrum aliorum improbare sententias, nisi error manifestus occurrat; sed varias codicum veterum lectiones recitare. Cujusmodi ea etiam est, quae, *neque enim immemores sumus*, scriptum ostendit in codice Mediceo: nimirum ex Paraphrasi Serviana desumpta, ac aliena etiam manu inculcata lectio.

205. VOS ET CYCLOPEA SAXA. Antiqui plerique codices *Cyclopeïa*, pentasyllabum legunt: sed repugnante syllaba, quae non tantum ω μέγα est, sed etiam ex altera vocali coalita in Crasin, quae non nisi in longum fieri potest. Quod si quis etiam Syncopen malit, Κυκλώπεος, Κυκλωπος, o itidem parvum, ut pote minus validum, elidetur. Ὢψ vero ὠπὸς Grammatici notant per ω μέγα, pro facie, & oculo; ὀπὸς vero per ο parvum, si vocem significet. Sunt tamen, qui nomen originationi reddi posse putent. Ὢψ enim παρὰ τὸ ὄπτω, cujus futurum ὄψω, unde ὄψ ἀποβολῇ τοῦ ω. Alterum vero illud ὤψ, κατ' αὔξησιν factum. Vel ω μέγα in ο μικρὸν secundum Dores, quos Latini bona sermonis parte sunt imitati, mutari posse dicant: eademque proportione, qua pene ultimam in ἀθάνατα, & ἀθάνατοι corripimus, ex eodem fonte haustis, ita licere etiam in *Cyclopeïa* fieri, dictione maxi-

maxime in denominativum excrescente. In hoc autem ad exempla confugiendum duxerim, quorum nullum hactenus ex antiquis auctoribus reperi, qui *Cyclopa* pene ultima longa non poneret. Quidam tamen ex recentioribus, magni omnino viri, quorum auctoritas pro ratione sufficiat, indifferentem protulere: rationes nimirum, quas supra memoravimus, secuti.

209. Sedes ubi fata quietas Ostendunt. In perveteri codice legere est, *quietis*, quippe *nobis*. Nam *sedes*, per se plenum est ad otium indicandum, etiam sine alio epitheto. Sed enim Grammatici, plurium codicum veterum consensu, *sedes quietas* agnoscunt: & Poëtarum est, ita res epithetis exornare. Sunt etiam codices, qui legant, *sedes ibi fata quietas ostenduut.* Veluti etiam sequitur, *illic*, indicative. Sed enim magis receptum ab omnibus est, ut relative positum sit *ubi*.

213. Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem. In Oblongo codice perveteri, & aliquot aliis manu scriptis, *premit alto corde* legitur: quae quidem lectio non admodum aliena est ab Donatiana paraphrasi. Nam *angebatur*, inquit, *dolore quam maximo: & hunc altis sensibus retinebat abstrusum.*

216. Veribusque trementia figunt. Est ubi *verubus*, neque uno quidem codice, per *u* in pene ultima legatur: neque desunt litterati, qui lectionem ejusmodi probent: quam tamen per *i* vocalem tertiam scribi debere, tam vetustiorum Grammaticorum auctoritas, quam inscriptio quaedam in termino Areae illius, quam Domitianus post Neronianum incendium dedicavit, in D. Petri Basilica paucis ante annis, oculis nostris inspeximus: ita enim incipit:

HAEC AREA INTRA HANC DEFINITIO
NEM CIPPORUM CLAUSA VERIBUS.

& quae sequuntur. Grammatici sane de hujus nominis pene ultima solliciti fuere, quum nollent *verubus*, ex quorundam abusu, per *u* admittere. Nam quum veteres omnino *veru*, *ossu*, & *genu* dicerent, in numero multitudinis, *verua* & *ossua* proferebant, ut *genua:* neque desunt veterum monumenta, in quibus adhuc *ossua* scriptum legatur: quod ab *ossu* agnoscit Asper: inde *verubus*, *genubus* faciebant. Sed enim Fl. Sosipater, *vera* dicendum, non *verua*, & *verum*, & *veribus* contendit: citata etiam Plinii sententia ex dubii sermonis libro sexto, dicentis manifestum esse, *veribus*, *genibus*, *ossibus* dici per *i* in pene ultima.

224. Nunc acris Oronti. Servius pro *Orontis* positum ait: nempe ad cacophoniam declinandam. *Orontis* tamen habetur in antiquis aliquot exemplaribus: sed omnino suavior est lectio Serviana. Sosipater Carisius declinat, *Orontes*, *Orontae*, ut *Achates*, *Achatae*. Apud Graecos enim 'Ορόντα, ut Ἀχάτα: cujus nominis inculativum ait in *am* desinere, si rectus *Oronta* Latine reformetur: nisi vero reformetur, *Orontem* posse nos dicere, ut Virgilius: *Fidumque vehebat Orontem:* ut etiam: *Praemittit Achatem.*

239. Revocato a sanguine Teucri. In Mediceo codice, & aliquot aliis antiquis, absque praepositiva particula legitur, *revocato sanguine.*

251. Hic tamen ille urbem Patavi. Variae quidem fuere olim Grammaticorum sententiae super ejus genitivi scriptione, qui declinationis secundae ratione, in *ii* geminatum enuntiari debet. Neque ipsos tantum Grammaticos diversa in hoc sentire; sed alias atque alias aetates modo simplici, modo geminato scriptitasse comperio. Sane Priscianus ait, veteres in hujusmodi genitivis geminantibus *ii* frequenter solitos alterum ex iis subtrahere, Virgiliano hinc exemplo citato: *Hic tamen ille urbem Patavi:* perinde ac illa etiam: *Nec cura peculi:* neque non: *Pauperis & Tuguri.* Citat idem alibi per Synaeresin, *Fata Lyci*, pro, *Lycii: & urbem Patavi*, pro, *Patavii.* Sed enim quod Priscianus Poetarum tantum innititur exemplis, multa veterum inscriptionum exempla commemorare possem, quibus appareat Oratores etiam eandem scriptionis rationem secutos esse: scriptores vero indifferenter, nunc unum, nunc geminatum in iisdem nominibus posuisse, ut illud apud Lucretium: *Nec ratio remedii communis certa dabatur.* Apud Ovidium ad Cottam, antiquo codice, qui apud me est: *Sacrificii genus est, sic instituere priores:* idque ea caussa factum, quod quum tres sint figurae, quae syllabam ex duabus unam conficiunt, Crasis, Synaeresis, atque Synizesis: deque his duae, Crasis & Synaeresis, unam scribant vel vocalem, vel diphthongum, syllabamque unam enuntient; Synizesis vero, duas quidem vocales ipsasque distinctas scribat, sed unam tantum dimensioni pedum imputet: cujusmodi exempla apud Lucretium & Virgilium sexcenta inveniuntur: quorum bona pars locis suis indicabitur: alii Synizesim, ut recta declinationis forma appareret, adamarunt: alii Crasin, aut Synaeresin, ut quae minus offensionis in versuum enuntiatione prae se ferrent, sequi maluerunt. Inde factum ut in veterum monumentis unico *i* pleraque scripta inveniantur: cujusmodi unum hic tantum apposuisse sufficiat.

INTER DUOS
PARIETES
AMBITUS PRIVAT.
FLAVI SABINI.

Quam

Quam quidem inscriptionem proximis hisce diebus vir Opt. atque litteratissimus Jacobus Sadoletus Carpent. Episcopus in hortis suis, quos habet in Quirinali, effodit, Templo etiam gentis Flaviae adinvento, & signo Palladis, quam Domitianus dedicaverat: omnia haec in alta semita. Fuit vero hic ille Flavius Sabinus Vespasiani frater major, facundia nobilis: qui Praefecturam Urbis annos XII. obtinuit, penes quem ante Vespasiani principatum decus Flaviae gentis erat. Sed ut inscriptionibus, quae innumerae sunt in hunc modum, praeteritis, ad Virgilii locum revertamur, Carisius, qui genitivum numero syllabarum minorem esse nominativo non posse contendit, magis eos denotatos ait, qui maluerunt per unum *i Imperi*, *Ingeni* dicere, quam secundum regulam, *Imperii*, *Ingenii*, geminata *i* litera. Neque tamen inficiatur placuisse Virgilio, per unum *i* scribere: *ille urbem Patavi*. Quare ita demum inferius ait: *Plus in hac ratione geminandi in masculinis animadvertimus*, *ut* hic Aemilius, hujus Aemilii. Atque: *Ut eorum interim opiniones dissimulemus*, *qui non genitivos tantum*, *verum etiam vocativos*, o Antonii, o Julii *geminato* ii, *enuntiari debere scriptis prodidere*: Quaeque de praeterito *perii*, aut *peri*, & plura id genus, in Tytiro recitavimus. Nos *Urbem Patavi*, ex recepta jam consuetudine, & plurimis veterum inscriptionum exemplis unico *i* scribamus.

273. TRIGINTA MAGNOS VOLVENDIS MENSIBUS ORBES. In codice Longobardico non *orbes*, sed *annos* scriptum inveni, quam puto fuisse paraphrasin. Nisi quis magnum annum Solarem velit appellare, Lunaris anni ratione habita: eaque de caussa interjectum esse, *volvendis mensibus*, ut distinctio appareret. *Orbes* tamen docti omnes, ut castiorem lectionem, admittunt.

274. REGNUMQUE A SEDE LAVINI TRANSFERET. Leve hoc, sed eruditis auribus non ingratum, in Romano codice scriptum esse *ab sede*. Ejusdem judicii est, quod statim subsequitur: *Et longam multa vi muniet Albam*. Variat numerus in his codicibus antiquis, quatuor ultimis pedibus solutis in hunc modum: *& longam vi multa muniet Albam*. Sed enim tetrametri tome venustior est.

284. QUAE MARE NUNC TERRASQUE METU. Vetera quaedam exemplaria legunt: *Quae mare*, *quae terrasque metu*. Multi vulgatam lectionem magis approbant.

287. SIC PLACITUM VENIET. Vetustissimi quidam codices, *placitum est*, habent: quae pars mihi videtur a Paraphraste adjecta: nam absque substantivo verbo hic oratio omnino gravior & augustior quodammodo videtur.

289. AC VICTIS DOMINABITUR ARGIS. In antiquis aliquot exemplaribus *cunctis*, pro *victis* est: quod mihi ridiculum videtur.

297. COMPAGIBUS ARCTIS. In veteribus pene omnibus codicibus, non Virgilianis tantum, sed aliorum etiam auctorum, plerunque invenias *artis* adjectivum nomen absque *c* scribi. Sane vero Valerius Probus, *artus*, pro angusto, & *artus*, pro membris, sola internoscit declinatione. Juniores tamen in altero, *c* additum voluere, ut appareret originatio ab arcendo.

301. ET MAJA GENITUM DEMITTIT AB ALTO. In Romano codice, *Majae* legitur: quare nonnulli *gnatum*, non *genitum* legere volebant: eam ego lectionem nusquam in antiquis codicibus observavi. *Dimittit* vero per *di* fere passim: quod verbum est nuntios delegantium, ut ibi: *Equidem per littora certos Dimittam*. In quo forte diligentiam interpretum desideres, qui *di* vacare dicunt.

302. UT TERRAE, UTQUE NOVAE PATEANT. In antiquioribus aliquot exemplaribus legere est, *atque novae*: sed longe venustius est *utque*.

304. VOLAT ILLE PER AERA MAGNUM. In codice Mediceo, *per aethera* legitur: sed *aëra* magis receptum.

313. SOCIISQUE EXACTA REFERRE. Non placet, quod in Longobardico, & aliquot aliis legitur, *sociis exacta*, absque copulativa particula, quae necessario hic expetitur. Membra enim haec ita colligata sunt, ut particula copulativa sit pro redditione caussae: ideo enim exit, ut exploret; ideo quaerit, quas vento accesserit oras, & qui teneant, ut sociis exacta referat.

323. DEDERATQUE COMAS DIFFUNDERE VENTIS. In veteribus omnibus exemplaribus, quotquot habere potui, *comam*, unitatis numero, scriptum animadverti: in plerisque etiam: *defundere*; sed id vitio temporum. Porro, *suspendere arcum*, & *comam ventis dare*, virginum esse speciem Donatus ait: siquis quod sit virginis os, qui habitus, quaesierit.

327. SUCCINCTAM PHARETRA ET MACULOSAE TEGMINE LYNCIS. Inveniebam quidem codices aliquot antiquos, in quibus *pharetram* loco hoc, accusandi casu scriptum esset; sed vulgatorum pene omnium turba oppressus ut me temporibus accommodarem, ne verbum quidem ulterius facturus eram. Sed quum Prisciani, Grammatici multorum opinione non indiligentis neque imperiti, sententia memoriae succurrisset: ne cuipiam cum auctorem neglexisse viderer, quid ille super hoc sensisset adnotare visum est. *Ubi enim copulativarum esse* ait, *casus eosdem sociare*; *quaedam tamen apud auctores his constructionibus contraria invenire*: cujus exempli Virgilianum hinc citat.

citat carmen: *ſuccinctam pharetram & maculoſae tegmine Lyncis.* Neque tamen inficiatur, melius in quibuſdam codicibus abſque *m*, *pharetra*, ablativo caſu inveniri. Alibi enim ab eodem Virgilio dictum: *Palla ſuccincta cruenta.* Quo vero accuſativum alii tueantur exemplum eſſe: *Magicas invitam accingier artis:* eam vero eſſe varietatis in constructione cauſſam ait, quod *ſuccingor hanc rem*, & *hac re ſuccingor*, dicimus: ſaepeque hoc de induſtria fieri ab auctoribus, ubi anceps ſit constructio dictionum. Addit etiam, quoſdam *Lyncis curſum* a communi accipere, ut ſit, *prementem Lyncis curſum*, aut *ſpumantis Apri.* Sed haec nos indicare nunc inſtituimus, non judicare.

329. SIC VENUS. AT VENERIS CONTRA SIC FILIUS. Antiqui ſane omnes codices, quos inſpeximus, *& Veneris*, non *at* habent.

333. AN PHOEBI SOROR, AN NYMPHARUM SANGUINIS UNA. Vetera quaedam exemplaria legunt: *Aut Phoebi ſoror, aut Nympharum.* Sed *an* Interpretes agnoſcunt. Inſuper Donatus ait, *o dea*, clauſulam eſſe ſuperioris membri: nam quum pronuntiatum fuerit, *o dea*, ſic debet dici, ut ille tradit, *certe an Phoebi ſoror, an Nympharum ſanguinis una, Sis felix.*

337. ERRAMUS VENTO HUC VASTIS ET FLUCTIBUS ACTI. Hic quoque numerus in Romano codice, atque etiam in aliquot aliis antiquis trimetro clauditur: *erramus vento huc &c.* Altero inde trimetro ſoluto: *vaſtis fluctibus acti:* quod majorem prae ſe fert contationem in rei magnae relatione percommodam, dum ſingulis dictionibus, quae una pedem claudant, ea interjicitur mora.

343. GENUS INTRACTABILE BELLO. In codicibus aliquot antiquis *inſuperabile*, legitur. Id apud Servium Paraphraſis eſt: apud Donatum contextus. Sed quia ſubjungit: *Meminerat enim Virgilius ſe ex perſona ſua dixiſſe: Studiiſque aſperrima belli. Hic autem non eſt repetitio ejuſdem rei: quoniam & dici neceſſe fuit, & ex alterius perſona nunc dictum eſt.* Quod ſi Donatus eandem rem utroque loco agnoſcit, nempe *aſperrimum* & *intractabile*, magis erunt ſimila, quam *inſuperabile.*

355. ET AEGRAM MULTA MALUS SIMULANS VANA SPE LUSIT AMANTEM. In antiquiſſimo quodam exemplari, *una ſpe luſit*, ſcriptum eſt, quae lectio forſan acutioribus ingeniis non diſpliceat, ubi conſideratum fuerit Pygmalionem, quum tam diu factum occultaſſet, multaque ſimulaſſet, amantem ſola tantum ſpe deludere potuiſſe. Nam quae cupimus, facile credimus. Poterat vero Dido fratris ingenium & perfidiam a teneris unguiculis exploraſſe: ac perinde figmentis, quae multa ille comminiſcebatur, dum ea de conjuge, ubi nam eſſet, percontaretur, nullam adhibuiſſe fidem. Dum vero Pygmalion eum, & vivere, & venturum brevi polliceretur, idque unum praecipue Dido concupiſceret, hac una ſpe decepta eſt. Si vero *vana*, cuipiam magis placeat, integrum unicuique ſit, quam malit lectionem ſequi.

357. IPSA SED IN SOMNIS. Frivola plerique dicunt, quae de geminandis aut ſimpliciter ſcribendis litteris diſputentur; veteres tamen Grammatici non incurioſam in hujuſmodi vel levibus obſervationibus operam inſumpſere. Quodque ad hunc locum attinet, Soſipater Cariſius *armaria*, *armariis* duplici *ii* ſcribendum obſervat. Quaeri vero ait de inſomniis, quoniam apud Virgilium non geminatur, *inſomnis*, ut ex hoc, neſcio quid, quod Servius etiam ambigit, videris.

361. PATRIAQUE EXCEDERE SUADET. In antiquiſſimis aliquot exemplaribus *patriam*, incuſandi caſu legere eſt: verba enim motum ſignificantia, ubi praepoſitionem de loco ſibi vendicaverint, ſui quaſi cujuſdam juris facta, ſolent ſibi adjungere accuſativum: ut quum dicimus, *ex domo eo*, mox, *exeo domum:* quamquam & *domo.* Ita illud comicum: *Cave ex iſtoc exceſſis loco*, non ineleganter dixeris: *Cave hunc excedas locum.* Sic apud Virgilium eſt: *exire tela.*

362. AUXILIUMQUE VIAE. In Mediceo codice *auxilio* legitur, acquiſitivo caſu; ut ſit ſententia: *Recludit theſauros, qui futuri eſſent auxilio viae.*

362. VETERES TELLURE RECLUDIT THESAUROS. Plerique non Virgiliani tantum codices antiqui, verum etiam Terentiani, *thenſauros* per *n*, ſcriptum oſtendunt: fuitque Servius ſuper ea ſcriptione ſollicitus, & ex veteribus quidam alii. Quo enim modo hic *thenſauros* legitur, ita & in antiquo Terentii codice Vaticanae bibliothecae ſcriptum eſt: *Atque in thenſauro ſcripſit cauſſam dicere unde eſſet thenſaurus ſibi.* Clamat Servius nomen hoc *n* litteram non habere, ſicut nec *Atlas*, *Gigas*, *Abas*, *Pallas:* licet in obliquis caſibus inveniatur, *Atlantis*, *Gigantis*, *Abantis*, *Pallantis.* Sicut nec *formoſus*, quia derivativum eſt a *forma*, ut a *ſpecie ſpecioſus.* Sed enim quae plurima de hujuſmodi ſcriptionis ratione dicere hic inſtitueramus, explicata ſunt in Alexi, verſu primo. Hic tantum monere voluimus, ſi *thenſauros* per *n* ſcriptum invenias, id olim eruditis etiam viris negotium faceſſere ſolitum.

373. QUIBUS AUT VENISTIS AB ORIS. Vulgati omnes codices excuſſi formis, *aut veniſtis*, per disjunctivam particulam legunt: neque deſunt codices aliquot manu ſcripti, in quibus eadem lectio habeatur; ſed in Romano, in Oblongo, in Mediceo, & aliquot aliis, *quibus adveniſtis*, legitur:

tur: neutram ego lectionem improbarim; sed, cum particula disjunctiva, figuratiorem esse dixerim; *advenistis* vero candidiorem. Non enim in hac interrogatione quicquam disjungitur; sed ea tria simul quaeruntur: Qui sint, unde ad ea loca venerint, quo tendant.

377. ET VACET ANNALES NOSTRORUM AUDIRE LABORUM. In perveteri codice, manu scripto, *annales nostrorum audire parentum*, legitur; quod forte non displiceat, si, quantum interrogationi congruat, responsum perpenderimus. Tria enim percontata fuerat Venus: Qui nam essent: Unde degressi in Lybiam advenissent: Et quo demum essent profecturi. Cujus interrogationis pars prima, *sed vos quinam estis*, duplicem requirebat responsionem, a genere, vel a specie. Nam quo quis celebris habeatur, aut majorum nobilitas, aut virtus propria debet efficere. Aeneas vero, qui se hujusmodi distinctioni obligatum intelligit, angustia temporis circumseptus videt longum & importunum esse majorum suorum gloriam recensere, festinandumque esse ad speciem, & ad individuum, ut, quod nunc instat, interrogantem sibi conciliet: itaque prudenter ea, quae ad majores suos pertinent, nolle se recitare per occupationem dicit: fuisse vero nobiles eo comprobat argumento, quod tot & tam magnae sint a majoribus suis gestae res (id enim significant *Annales*) ut vix dies narranti sit suffectura. Reliqua vero responsa, quum manifesta sint, praetereo, ut minime ad commemorandum necessaria. Donatus tamen cum aliis codicibus, *laborum*, non *parentum*, videtur agnoscere, dum ita exponit: *Quia narrationem malorum unius anni, diei tempus expleri non patitur:* ita enim *Annales* videtur interpretari, & *malorum* paraphrastice pro *laborum* posuisse: ea tamen curta sunt in vulgatis exemplaribus.

378. ANTE DIEM CLAUSO COMPONET VESPER OLYMPO. In codicibus aliquot antiquis non invenuste, *componat*, habetur.

380. DIVERSA PER AEQUORA VECTOS. In perveteri quodam codice, *jactos*, legi: quod pro jactatos intelligi oporteret: ut illud: *Quo primum jactati undis.* Sed major pars veterum codicum *vectos* habet: idque omnino melius.

384. ET GENUS AB JOVE SUMMO. In Romano codice, *ab Jove magno* legitur. Utrunque epitheton *Jovis* est, sive *Olympus*, sive *Aether* pro *Jove* intelligatur.

387. VIX SEPTEM CONVULSAE UNDIS. In Romano codice, & aliquot aliis pervetustis: *convolsae*, per *o* syllaba media: ita *revolsus:* ita *avolsumque humeris caput:* ut similia. Praeterea Victorinus *convulsus*, per *u* litteram scribi praecipit, qui *v* digammon eandem habere vim censeat, quam habeat *b* muta: parique ratione, si praecedat *n* ex aliqua compositione, in *m* mutari. Sed haec viderint alii. Illud ego potius referam, notari ab Donato, *vix septem*, quasi pro nihilo positum: & quum numerum navium diceret, ambitiosum fuisse dicere *bis denis*, longe magis quam si *viginti* dixisset: Versus enim nihilo secius stetisset, si *viginti Phrygium con. navibus aequor*, posuisset.

398. JOVIS ALES APERTO TURBABAT COELO. In antiquis aliquot codicibus, *turbarat:* exacta specie legitur; sed *turbabat*, imperfecto praeterito, magis placeat; ut res jam tum oculis subjecta videatur.

405. ET QUA TE DUCIT VIA. In codice Longobardico legere est: *quo te ducet*, per verbum futuri temporis, & adverbium ad locum; vulgata tamen lectio castior habetur.

410. AGNOVIT, TALI FUGIENTEM EST VOCE SECUTUS. In Longobardico exemplari mutato numero legitur: *fugientem tali est voce secutus.* Sed prior numerus ex tetrametro longe magis placet: quia non ita languidus.

413. AUDIRE ET REDDERE VOCES. In codicibus aliquot vetustioribus, *redere*, unico *d*, scribitur; sed enim geminativum *d* in eo verbo Velius Longus asserit: non ita autem in *reducere*. Quod ideo fuit adnotandum: quia sunt hodie, qui clamitent ex publicis cathedris, *redo*, simplici *d* scribendum.

418. AUT VENIENDI EXPOSCERE CAUSSAS. In aliquibus antiquis codicibus, *exquirere*, legitur; quod majori diligentia quaerere significat. In Longobardico, & aliquot aliis: *discere*. In Romano, in Mediceo, & antiquioribus plerisque, *poscere*, habetur, quod magis placet. Porro quod *exquirere* fecerunt, id ex Donatiana paraphrasi desumpsere: ubi est: *Vel certe veniendi caussas exquirens properantibus moras afferret.*

419. IPSA PAPHUM SUBLIMIS ABIT. Vetera quaedam exemplaria, & *Paphon*, & *adit*, scribunt. Ut *Paphon* non rejecerim, ita *adit* nunquam scripserim.

421. THURE CALENT ARAE, SERTISQUE RECENTIBUS HALANT. *Thus* multi nunc cum aspiratione scribunt; sed Fl. Sosipater *tus* a *tundendo* dictum vult, ideoque adspirationem non admittere: quamvis Julius Modestus, ἀπὸ τοῦ θύειν, quod est, *rem sacram facere*, nomen deduci velit. Habent praeterea plerique codices manu scripti: *alant*, absque adspiratione; sed hoc imperite: quum natura ei verbo insit adspiratio.

429. PARS APTARE LOCUM TECTO. In veteribus fere omnibus exemplaribus legi: *aptare lacum*, τουτ' ἔστι τὸ ἁρμόζειν: tametsi Servius agnoscit, *optare*.

431. HIC

431. HIC PORTUS ALII EFFODIUNT. In Longobardico, & aliquot aliis codicibus antiquis legere est: *Hic portas alii effodiunt.* Sed enim *portus* magis placet: quod ad salutem salutisque subsidium pertinere Donatus ait: seu quia Virgilius alludat ad portum, quem effodere Carthaginienses intra muros obsessi ab Romanis, divisoque repente muro subitaria eruptione Romanos fugavere. HIC ALTA THEATRI FUNDAMENTA LOCANT ALII. Non displicet, quod in Romano codice, & in quibusdam aliis pervetustis legitur: *hic alta theatris:* eo modo quo inferius posuit: *scaenis decora alta futuris.* Sed & pro, *locant*, codices nonnulli, *petunt*, habent: quod non aeque placet.

440. REDOLENTQUE THYMO FRAGRANTIA MELLA. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis, *flagrantia*, legitur: & in Georgicis eodem modo. Grammatici tamen utriusque verbi significata distingunt.

444. PER MEDIOS, MISCETQUE VIRIS. Sunt, qui legant unico membro: *per medios miscetque viros:* quae tamen lectio, neque a veteribus, neque a junioribus, quod sciam, recepta.

448. CAPUT ACRIS EQUI. Ne levis adeo cuipiam observatio videatur, in vetustis pene omnibus exemplaribus, *capud*, per *d*, scriptum esse, sciendum eam esse inter *d* & *t* cognationem, ut plerunque sibi invicem succedant. Et Carisius, ubi *ad* nonnunquam pro *at* positum citat, in hujusmodi nominibus, aut dictionibus, vocali sequente suavius per *d* proferri putat. Est & *quot* relativum per *t* saepissime tam in libris quam in marmoribus notatum: *quot regia Juno:* & in venustula quadam inscriptione Romae in aedicula Divi Basilii, quae ad Horologium Augusti sita est, *quot*, ita scriptum inspexi:

APUSULENA GERIA VIXI ANN. XXII.
QUOT QUISQUE VESTRUM OPTAVERIT MIHI
ILLI SEMPER EVENIAT VIVO ET MORTUO.

SIC NAM FORE BELLO EGREGIAM. Quod nonnulli legunt: *signum fore:* dictionem ego illam in abrasis tantum codicibus suppositam animadverti. In integris autem: *sic nam:* quam lectionem ut castiorem Pontanus etiam agnoscit, ubi ait in poëticis numeris dictiones monosyllabas binas simul, maxime post dactylicam aliquam properationem numerosas esse in medio collocatas, ut Virgilius: *Monstrarat caput acris equi. Sic nam fore bello.*

455. HIC PRIMUM AENEAS SPERARE SALUTEM AUSUS. In Longobardico legitur: *hoc:* ut sit repetitio illius pronominis demonstrativi, *hoc primum in luco: Hoc primum Aeneas.* Magis tamen placet *hic* adverbium.

462. ET SAEVUM AMBOBUS ACHILLEM. Scribendum est *Achillen*, per *n* finalem, ut Probus in Arte monet. Dissimulabo nunc *saevom*, per o. *Ambobus*, hic pro utrisque positum ait Arusianus. Donatus vero speciem esse comparationis putat: ut sit, saevior fuit Achilles Agamemnone, & Menelao.

481. LORA TENENS TAMEN. In codicibus aliquot *tenet*, est. Sed *tenens*, participium, castior est lectio: quam etiam agnoscit Fab. Quintilianus.

484. CRINIBUS ILIADES PASSIS. Vetusti aliquot codices, *sparsis*, habent; sed ea forte paraphrasis fuit: quum *passis*, in emendatioribus habeatur. Quanquam etiam in Liviano codice veteri lib. VII. pri. Deca. *crinibus sparsis*, legitur, pro, *passis:* ut in vulgatis habetur.

492. SE QUOQUE PRINCIPIBUS PERMISTUM AGNOVIT ACHIVIS. Invaluit jampridem usus ut *mistus*, per *st* scribatur: quum tamen in codicibus omnibus antiquis uno consensu per *xt* scriptum inveniatur, *permixtum*. Praeterea in Romano codice, *agnoscit*, est, praesenti tempore: quod non displicet: quia spectaculum est in actu. Quod vero Servius proditionem ex hoc latenter tangi putat, omnes naris emunctioris viri eam rejiciunt opinionem: quippe quod honestius & magnificentius est intelligere, Aeneam se quoque agnoscere permixtum, in acie vel in pugna, in conflictu, procul a suis in medio Graecorum globo. Quam sententiam Ti. Donatus sequi videtur, dum ait: *versum hunc ad illam propositionem pertinere, qua dixit: Sunt hic etiam sua praemia laudi.* Nam qui ita se pictum advertit, ut principibus Graecis mixtum esse constaret, utique gloriosum fuit catervas hostium, & confertos primorum cuneos non timuisse. Verum haec in vulgatis codicibus improbe detruncata sunt.

496. AUREA SUBNECTENS EXERTAE CINGULA MAMMAE. Vidi ego codices antiquos, in quibus non *exertae*, sed *exsectae*, scriptum sit: aliena vero manu, *exertae*, factum. Sed enim vulgatam lectionem agnoscit Servius, & exponit: *nudatae.* Eandem sententiam Ti. Donatus latius interpretatur: quae, quoniam in impressis codicibus curta sunt, recitare non pigeat: ait enim: *Tanta autem fiducia venire videbatur, tantumque ardere in bellum, ut quod secretum esse virginibus solet, illa offerret videntibus: scilicet, quum exerta papilla pugnaret. Pertinet hoc etiam ad praeliantis audaciam, ut pugnaret foemina, nec munimine tegeretur armorum.*

501. MAGNA JUVENUM STIPANTE CATERVA. In Romano codice legitur: *comitante:* non ita in aliis. Plus tamen est, *stipante:* quia majorem indicat comitum frequentiam.

505. GRADIENSQUE DEAS SUPEREMINET OMNES. In Romano codice, & nonnullis aliis antiquis;

tiquis, legere est: *dea supereminet omnis:* ut *dea* sit κατ' ἐξοχὴν: nam ipse locus syllabam omnino communem reddit: caeterum hoc in medio sit.

510. SOLIOQUE ALTE SUBNIXA RESEDIT. Vetera quaedam exemplaria, *alto*, legunt: ut in undecimo: *Solio Rex infit ab alto.* In codicibus tamen probatioribus, Mediceo, & aliquot aliis, *alte*, adverbium est: quam lectionem Interpretes agnoscunt: praecipueque Donatus, qui ait: *Ubi ad mediam testudinem templi, hoc est, ad mediam aream, pervenit, ascendit solium, quod ipsius caussa fuerat collocatum, & primum alte consurgens, sedit.*

516. PENITUSQUE ALIAS ADVEXERAT ORAS. Ut missum faciam *adduxerat*, quod in uno tantum codice repertum minime placet, Mediceus, & reliqua fere omnia exemplaria, quae tractavi, *abvexerat* aut *avexerat*, uno consensu legunt: erant enim XI. Trojani, qui fuerant in diversum abacti.

517. OBSTUPUIT SIMUL IPSE, SIMUL PERCULSUS ACHATES. In Oblongo codice & quibusdam aliis, *obstipuit* habetur: ita superius, *dum stipet:* & passim eodem modo: quod verbum a *stipite* nonnulli deductum volunt, mutato tamen tempore; usu vero cessisse I in U, ut ex *contimaci contumax* factum; & hujusmodi pleraque: sed & *percussus* in Romano, in Mediceo, & plerisque aliis codicibus antiquis, & hic, & alibi semper habetur: quamvis Grammatici differentiam inter *perculsum*, & *percussum* statuant.

522. CUNCTIS NAM LECTI NAVIBUS IBANT. In Romano codice, in Mediceo, *cuncti*, nominativo casu legitur: eamque lectionem Interpretes agnoscunt Servius & Donatus.

525. MAXIMUS ILIONEUS PLACIDO SIC PECTORE COEPIT. Dicerem scribendum *maxumus* ex antiquis codicibus, & Augusti Octaviani consuetudine: nisi nunc mos adeo invaluisset, ut jam omnes malint hujusmodi nominum pene ultimam enuntiare per *i* vocalem tertiam. Hic vero animadvertendum est, quod Servius ait, Mercurium, eloquentiae deum, Phorbanti Ilionei patri plurimum favisse: non intelligas tamen hunc eundem esse *Ilionea*, qui Phorbantis filius ab Homero celebratur, sed ab ea eloquentiae commendatione fictam hic esse personam a Virgilio: quum satis constet Ilionea, Phorbantis, a Peneleo peremptum in bello Trojano, ut apud Homerum legere est, Ἰλ. ξ.

532. AUT RAPTAS AD LITORA VERTERE PRAEDAS. In antiquis aliquot codicibus, *a litore* legitur: hoc est, ab ora litorali in naves. Sed minime displicet *ad litora:* quia per continentem fieri solent excursiones; indeque praedam ad litus vertunt.

536. OENOTRII COLUERE VIRI. In antiquis codicibus fere omnibus, *Oenotri* per synaeresim scribitur: quia syllaba media est ω μέγα, Οἰνώτριος· hujusmodi vero Synaereses soluta etiam oratione fieri saepius in antiquis inscriptionibus observavi: ut illud Romae juxta aedem D. Basilii, VINICIA PRIMIGENIA MATER FILIS SUIS.

538. HUC CURSUS FUIT. Nequaquam placet, quod in codicibus aliquot legitur: *hic cursus fuit:* hoc est, haec navigatio: nam finis desideraretur, ad quem locum.

542. VESTRIS ADNAVIMUS ORIS. Frigidum & exile est, quod in plerisque codicibus antiquis *advenimus* legitur; sed in verbo *adnavimus* difficultas, calamitas, & clades apparent, quae miserationem commoveant.

546. SI GENUS HUMANUM, ET MORTALIA TEMNITIS ARMA. Vetera quaedam exemplaria legunt absque copulativa particula: *Si genus humanum, mortalia*, per appositionem, venustate tamen haud quaquam pari cum priori lectione.

551. AETHEREA NEC ADHUC. In bona codicum antiquorum parte, *neque adhuc* legitur: quod nescio quid mollius & suavius sonat.

552. NON METUS OFFICIO NEC TE CERTASSE. Mediceus codex, & aliquot alii, *nec metus* legunt; sed omnino *non* acceptius.

566. SOLVITE CORDE METUM, TEUCRI, SECLUDITE CURAS. In antiquis plerisque codicibus *metus* legitur, numero multitudinis: & in longe pluribus, *seducite curas:* tamen *secludite* agnoscit Servius.

570. VIROSQUE ET TANTI INCENDIA BELLI. Antiqui plerique codices, *aut tanti* legunt.

571. NON OBTUSA ADEO GESTAMUS PECTORA POENI, NEC TAM AVERSUS EQUOS TYRIA SOL JUNGIT AB URBE. Ut id praeteream, quod in Romano codice, *obtunsa* scriptum est, more suo *n* littera superflua: quodque in Longobardico, & aliquot aliis, *adversus*, non *aversus* legitur, contra peritiorum omnium sententiam: id me magis movet, quod ad explicationem sententiae, haec mihi videntur consideranda. Quae geruntur in aliqua orbis parte, triplici potissimum de caussa solemus ignorare: aut quia res ipsae, vel earum auctores, ob humilitatem, non satis digni sint, de quibus aliquis solicitus esse debeat: aut quia tam stupido & obtuso ingenio simus, ut nos mortalia non tangant: & res gestas magna quantumlibet admiratione dignas negligamus: aut propter locorum longinquitatem: unde fiat, ut ad nos fama nondum pervenire potuerit. His omnibus occurrit Dido, quum dicat, neminem jam esse, qui genus Aeneadum, qui Trojae nesciat urbem: quantaque virtute viri illi praediti fuerint, & quam late belli ejus incendium se diffuderit. Mox sub-

jungit, ſe corde praeſtare, & eo valere ingenio, ut res mortalium perpendere potuerit: idque illud eſt: *Non obtuſa adeo geſtamus pectora Poeni.* Quod vero tertio loco expetitur, de locorum intercapedine, addit Tyrum, ubi ſe poſtea de Trojanis audiiſſe dicet, Teucro narrante, non eſſe ita in extremis terrae partibus ſitam, nec tam circulo, quem Sol ambit, vel a Trojano parallello ſepoſitam, ut propter immenſa locorum intervalla fama tantarum rerum eo pervenire nequiverit: eoque ſpectat verſus ille: *Nec tam averſus equos Tyria Sol jungit ab urbe.* Haec memini M. Antonium Sabellicum, praeceptorem meum, ex Veneta cathedra docuiſſe. Ne tamen, etſi ea placeant, Servii ſententiam rejiciamus, Ovidii monet Parodia, qui in eandem ſententiam dixerit in Amoribus: *Averſumque diem menſis furialibus Atrei.* Quem enim diem poſuit Ovidius, Maro *Solem* apertius nominavit.

576. Vultis et his mecum pariter considere regnis? Millium facio, *conſiſtere* in codicibus aliquot antiquis ſcriptum, quod parum eſt in tantis pollicitationibus: nam *conſidere* omnino quid longe majus pollicetur. Id potius adnotandum, quod in Romano codice, non *regnis*, ſed *terris* legitur: nempe quod nonnulli pertinacius defendunt, ad aſperitatem evitandum, quae eſt in concurſu *re*, ſyllabae geminatae. Sed hoc etiam parum eſſet: quia potius viderentur in ſervitutem addicti: neque ille concurſus uniformium ſyllabarum in *re* praeſertim litteris duobus ultimis pedibus declinatur a poëtis, ut: *Avertere Regem: Toto certatum eſt corpore regni: Loricamque manu valida lacerare revolſam: Neque enim numero comprendere refert:* & ſexcenta hujuſmodi. Dicendo vero *regnis*, ſocietatem pollicetur, ut proclivius eos alliciat promiſſorum magnitudine: nam & Iarbas inferius lamentabitur ſua connubia repudiata, ac dominum Aeneam in regna receptum. Et ipſa etiam objiciet Dido: *ejectum, litore egentem Suſcepi, & regni demens in parte locavi.* Quare omnino *conſidere regnis* legendum.

584. Jamdudum erumpere nubem. In codicibus aliquot antiquis, *abrumpere* legitur. Sed quia conſilium eſt ex obſcuro clauſoque loco in apertum & clarum prodire, magis placet *erumpere*, ut in Mediceo, & pleriſque aliis. Signant vero Grammatici elocutionis genus, quum accuſativus jungitur verbo, cui ſit coalita praepoſitio, quae ablativum ſejuncta ſibi depoſcebat.

594. Caesariem nato genitrix. In Romano codice, *genetrix*, media ſyllaba per *e* paſſim ſcriptum invenias. Eandem ſcribendi rationem in titulis antiquorum, marmoreiſque monumentis non ſemel obſervavi, quin etiam in nummis, qui fuerint eruditis adhuc ſaeculis cuſſi, utpote Juliae Piae, ubi Venus eſt laeva haſtae innixa, dextera exporrecta cum inſcriptione VENUS GENETRIX. Romani enim genus a Venere propter Aeneam ejus filium ſe ducere aſſeverabant: & Julia gens, condente dicanteque Julio Caeſare, templum erexit VENERI GENETRICI; quod Plinius & Tranquillus tradidere.. Vidimus autem Romae ſcriptum, GENETRIX per E, non uno loco; in eo vero monumento maxime placuit, quod in hortis Caroli Siallae habetur undecunque mutilatum: cujus quidem eam partem tantum, quae ad rem, qua de loquimur, facit, hic inſeruiſſe ſufficiet.

PATER MEI ET GENETRIX GERMANA ORO ATQUE O DESINITE LU[illegible]TU QUESTU LACRUMAS FUNDERE SEI IN VITA JUCUNDA VOBEIS VOLUPTATEI FUEI VIRO ATQUE AMEICEIS NOTEISQUE OMNIBUS.

Ne vero quis hujuſmodi ſcriptiones ut jam obſoletas exigat, animadvertendum eſt, Probum Grammaticum non temere obſervaſſe, *genitor* per I, & *genetrix* per E ſcribi: non ita autem in *monitor* & *monitrix*, quorum utrunque per I ſcribi conſtet.

611. Dum montibus umbrae lustrabunt convexa, Polus dum sidera pascet. Saepe etiam accidit, ut & commae, & puncta alia, ſententiam non parum immutent huc vel illuc tranſlata: quare ſiquando circa haec quoque, ubi uſu veniat, immoremur, nihil ab inſtituto alienum feciſſe videamur. In Oblongo itaque codice, & in aliquot aliis antiquis, poſt dictionem *convexa*, punctus eſt, ut legas: Dum umbrae luſtrabunt ea, quae ſunt convexa montibus; montium quippe ambitus: tuberoſitas enim illa convexa in montibus umbram efficit. Quare ita ſeparatim membrum alterum accipiendum, *Polus dum ſidera paſcet:* quae lectio quadrat cum Ti. Donati ſententia dicentis: *Quam diu fluvii currendo miſcebuntur fluctibus maris; quam diu ſtabit cum ſideribus coelum; quam diu Solis umbra vel Lunae convexa luſtraverit montium.* Jam & *comvexa* per M ante U digammon ſcribendum eſſet, ex Victorini praeceptione, niſi obſtaret conſuetudo.

615. Ilionea petit dextra, laevaque Serestum. In Longobardico codice, pro *Sereſtum*, *Sergeſtum* ſcriptum eſt: nam ſuperius, Antea, Sergeſtum, fortemque Cloanthum viderat. Quod ſi admittas, vel erit verſus Scazontis hemiſtichius, more veterum, qui varios interdum numeros, alienique generis verſus Heroicis immiſcebant: vel Creticus ſede quinta ſtatuetur. Neque quidem exempla deſunt, praeſertim ex Lucretio, qui pedem hujuſmodi quinto loco poſuerit, ut lib. III. *Praeter enim quam quod morbis quom corpus*

egro-

egrotat. Peritiores enim nonnulli *egrotare*, eadem analogia, eodemque modo cum nomine *aeger*, primam producere syllabam ajunt: quam alii quidam communem statuunt in verbo *egroto*, eodem hoc ipso citato carmine. Poteram & ex VI. ejusdem exemplum proferre: *An coelum nobis intra natura corruptum*: quod in antiquis habetur exemplaribus. Sed obstabunt aliqui, vel detritam unam ex geminatis consonantibus, & corruptum factum, vel adhuc non constare, dicent: quia vulgatis in exemplaribus versus sex spondeorum dimensione legatur: *An coelum nobis natura ultro corruptum*. Non secus ac Ennianum illud, quod circumfertur: *Cives Romani, tunc facti sunt Campani*. Quae fuit rudis adhuc saeculi licentia. Sed ut ad Virgilium revertamur, posset quidem legi spondaico versu: *Ilionea petit dextra, leva Sergestum*, quum in eo codice Longobardico, *que* particula saepe superflua reperiatur. Quam lectionem ne quis superstitiosam nimis arbitretur, in Ti. Donati commentariis, *Sergestum*, non *Serestum* scriptum animadverti. Sed enim aliorum codicum auctoritas facit, ut vulgata sequamur exemplaria, in quibus *levaque Serestum*, habetur: qui & ipse primores inter enumeratur: ut lib. IX. *Conveniunt Teucri Mnestheus acerque Serestus*. Et eodem libro superius: *Instant Mnestheus acerque Serestus, Quos pater Aeneas, siquando adversa vocarent, Rectores juvenum, & rerum dedit esse magistros*. Ad reginam enim cuncti delecti navibus adcurrerant.

621. QUEM DARDANIO ANCHISAE ALMA VENUS PHRYGII GENUIT SIMOENTIS AD UNDAM. Sunt qui *Anchise*, casu septimo, legant: verum antiqua exemplaria *Anchisae* scriptum habent, acquisitivo casu.

640. MUNERA LAETITIAMQUE DEI. Minime mirum, si tot auctores diversi abeunt in hemistichii hujus interpretatione: quum veteres quoque codices diversissimi reperiantur: quorum quippe alii *die*, alii *dei*, alii *dii* legunt. Quod quidem, quum neque ab Au. Gellio, neque a Servio, neque ab alio quopiam, adhuc determinatum esset, litem ego quoque sub judice relicturus eram; nisi exemplaria fere omnia vetustiora reclamassent, *dei* legendum esse attestantia: VITEMQUE in sacris mystico sensu laetitiam significare sacerdotes Aegypti submonuissent: ut non infulsa sit interpretatio: *Munera Dei*, quippe *laetitiam*: cujus paulo post *Bacchus dator* appellabitur: quae quidem absque vino frigidiuscula fuisset. Verum de hoc latius in Sacris Aegyptiorum litteris. Huic porro sententiae subscribit Ti. Donatus, apud quem in integris ejus commentariis ita scriptum inveni: MUNERA LAETITIAMQUE DEI, *in vino tantum esse missum debemus intelligere, quantum congrueret caeteris: quae speciatim numerata sunt. Ordinatio sensus melius intellectum patefaciet: quae talis est*: Nec minus interea sociis ad litora mittit Munera: *& dicit quae sint ipsa munera*: Viginti *inquit* tauros, magnorum horrentia centum Terga suum: pingues centum cum matribus agnos, Munera laetitiamque Dei. Scribe vero, *laetitiam* per *t*, syllaba pene ultima, non per c: quod & aetatis eruditioris marmora, & ipsa nomismata declarant: in Faustinae enim Augustae nummo LAETITIA per T, scriptum observavimus. In Imp. Caes. LV. Pertinacis Aug. LAETITIA TEMPORUM, & eodem modo in plerisque aliis.

646. ANTIQUAE AB ORIGINE GENTIS. In Longobardico exemplari, & in Mediceo, *antiqua* legitur: quod & in aliis aliquot animadverti: idque forsitan non inepte. Malunt tamen multi, *antiquae gentis* legere: neque id indecenter.

655. INCONCESSOSQUE HYMENEOS. Historia de *Hymeneo*, adolescente Atheniensi, qui raptas a piratis virgines in libertatem vindicaverit, in antiquis plerisque Servii codicibus manu scriptis non reperitur: quare vereor, ne illa sint adulterina.

671. FRATER UT AENEAS PELAGO TUUS OMNIA CIRCUM LITORA JACTETUR ODIIS JUNONIS INIQUAE. Omnia prorsus exemplaria manu scripta, quae hactenus legerim, scriptum ostendunt, *jacteturque odiis*, particula *que* tantum ad sustinendum versum interjecta, ut plerunque alias. Nam quod ajunt quidam ita ordinem explicandum, ut dicamus: nota tibi, ut tuus frater Aeneas jactetur pelago, jacteturque circum omnia litora, nimium tortuosa mihi videtur oratio. Quare *omnia circum litora*, ampliationem potius esse dixerim, quod parum erat, *pelago* dixisse. *Jactetur* vero absque particula *que* libenter legerim. Nam pentimemereos locus omnino communis est, cui tamen isti passim ita consultum voluere, ut nullam pene reliquerint, cui non particulam eam obtruderent. Nisi dicamus figuram esse brevitatis per detractionem, quam alio loco Quintilianus adnotavit ab Aposiopesi diversam, quum scilicet unum tantum siletur verbum, Idque manifestum, ita hic detractum sit: *erret*, quippe *pelago*, *circum omnia litora, jacteturque odiis Junonis*: quod codicum antiquorum reverentiae concedamus. Demum quod in aliis legitur, *Junonis iniquae*, in Longobardico legere est, *Junonis acerbae*: quasi dicat implacabilis, quae nulla possit ratione mitescere. Sed enim id admittendum, quod in pluribus & minus corruptis exemplaribus habetur, *iniquae*: cui lectioni Ovidii etiam congruit parodia: *Dira lues populis ira Junonis iniquae*.

674. HUNC PHOENISSA TENET DIDO. In codicibus plerisque antiquioribus, *nunc* legitur: quod minime displicet: praesertim quum Ti. Donatus exponat, *jam tenet*.

680. Quo facere id possis. Servius legit *qua*, id est, quo modo. In veteribus tamen exemplaribus plerisque *quo* habetur. In Mediceo, *qua*: ut agnitum a Servio. Quod vero *posses*, in Romano codice est, vitium id familiare.

695. Placidam per membra quietem. Est ubi *placitam* legatur: quod non aeque placet. *Placida* enim proprium est quietis epitheton.

704. Stratoque super discumbitur ostro. Apud C. Julium Ro. ubi de praepositionibus agitur, quae a Suetonio Tranquillo in ordinem digestae fuerint, versus citatur ex Marone, ita scriptus: *Structoque super discumbitur ostro*. Nam *Extruimusque toros*, alibi dictum: Et: *Instruimus mensas*. Quanquam *strato* minime displiceat, quod de tapetis intelligendum est.

705. Dant famuli manibus lymphas. In Romano, in Longobardico, & aliquot aliis codicibus antiquis, transportatis dictionibus legere est: *dant manibus famuli lymphas*. Sed isti Lambdacismum evitare voluerunt, quum tamen auctores plerunque hujusmodi syllabarum concursum venustati ducant.

706. Tonsisque ferunt mantilia villis. Romanus codex, & hic, & in Georgicis, *mantelia* per *e* tertia a fine syllaba legit: ac ne quis putet ex familiari quodam scribendi more, quo plurima toto opere in eo codice, *i* in *e* mutant, ita hoc etiam loco factum esse, sciendum in aliis quoque veteribus plerisque codicibus, *mantelia* scriptum esse: nam in Oblongo apparet id manifeste: in Longobardico vero abrasa dictio est; sed enim *mantelia* omnino prius scriptum fuisse discernitur. Sane *mantellum* apud Plautum, & apud Lucillium *mantella* legitur: *Mappas mantella, merumque:* atque ita *mantelia*.

707. Quibus ordine longo Cura penum struere. Est & ubi *longam penum* legas. Dictum enim *longam penum* a Virgilio Fl. Sosipater auctor est: *Penum* porro foeminino genere Lucillium quoque dixisse constat, eo carmine: *Magna penus parvo spatio consumpta peribit*. Eodem genere usos Pomponium & Naevium, ait Nonius, qui non probari ait auctoritatem eorum, qui neutro genere dixerint, quamvis Festus ponat. Quantum vero pertinet ad vulgatiorem lectionem, quae est *longo ordine*, ea in pluribus ex vetustis exemplaribus habetur, & agnoscitur a Donato.

710. Qui dapibus mensas onerent et pocula ponant. In Romano codice, & plerisque aliis pervetustis, legere est utrunque verbum indicandi modo, numero etiam variato: scilicet hoc pacto: *qui dapibus onerant mensas & pocula ponunt:* quod nescio quid picturatius habet, quum res ipsa ita geri videatur: quod in priori illo indefinito modo significaret tantum paratos eos esse ad onerandas mensas, & ponenda pocula. Unicuique tamen integrum sit, quam maluerit lectionem sequi.

718. Et puero pariter donisque movetur. In antiquis plerisque omnibus exemplaribus legere est, hoc dictionum ordine: *& pariter puero donisque movetur*. Movebatur vero puero, quae jam animo agitare coepisset, posse se talem concipere ex Aenea. *Donis*, quia muliebre genus proclivius est in avaritiam: est enim magis infirmum, ac perinde magis opum appetens, & auxilii.

723. Insideat quantus miserae Deus. Sunt qui *insidat* trisyllabum legant: & ita apud Ti. Donatum scriptum est. Id ego nusquam alibi, neque in veteribus codicibus inveni.

725. Et vivo tentat praevertere amore. In Romano codice, *amorem* legitur, quod minime placet. Solet vero ea littera in fine ibi saepius habundare: tametsi in veterum monumentis tale aliquid saepe legas: ut in aede Lateranensi antiquo monumento: PRO SALUTEM IMPERATORIS. Quod in memoriam redigit Diomedis dictum, gavisos nonnunquam veteres quaedam per barbarismum proferre. Hoc autem loco omnino *amore* legas.

729. Vocemque per ampla volutant atria. Nonnulli codices antiqui, *perampla* unica dictione legunt. Sed in Longobardico, & aliquot aliis, *per alta* legitur: ut in quarto Aeneidos: *It clamor ad alta atria*. Vulgata tamen lectio receptior.

734. Tum facta silentia. In Longobardico, *dum*; sed *tum* melius.

738. Adsis laetitiae Bacchus dator. Antiqua omnia exemplaria quae versamus, *adsit*, vel *assit*, persona tertia legunt.

740. Dixit, et in mensa laticum libavit honorem. In Oblongo codice, quem Pomponii Laeti delicias fuisse dicunt, *immensum* legitur: idem in Longobardico, & aliquot aliis pervetustis. In Romano, in Mediceo, & nonnullis emendatioribus, *in mensam* habetur accusativo casu: ut in octavo eadem elocutione dictum: *In mensam laeti libant:* eandemque lectionem videtur Ti. Donatus agnovisse, dum in conviviis, cum hujusmodi honorificentia numinibus exhibetur, pro ara mensam succedere dicit. Sed enim vulgata exemplaria Donati, loco hoc valde corrupta habentur. De libatione vero hujusmodi lege apud Macrobium. III. Saturnalium.

743. Et pleno se proluit auro. In codicibus aliquot antiquis, *pleno se proluit ore*, legitur, non *auro*. Ti. Donatus super hoc ait Bitiam ideo se etiam perfudisse, quod avide biberet: & tantum infunderet, quantum fauces ejus transmittere non possent.

745. Do-

745. Docuit quae maximus Atlas. In Romano codice, & quibusdam aliis legere est, *docuit quem maximus Atlans:* sed cur *Atlans*, dictum superius, ubi de *Thensauro* disputatum. Quod vero legitur, *docuit quem*, mos est Poëtis praestantes aliqua doctrina viros a Diis, vel ab Heroibus doctos asseverare. In quinto talis elocutio: *Tritonia Pallas quem docuit*. Ti. Donatus *quae* legit: ait enim: *videamus qualia cavebat:* Docuit, *inquit*, quae maximus Atlans: *hoc est*, *non turpia*, *aut obscena*, *sed venientia ex philosophiae fonte*, *quae docuerat Atlans maximus*, *plenusque virtutum*.

746. Hic canit errantem. Scripsere nonnulli: *is canit*. Verum illi decepti sunt ex paraphrasi: si quidem hoc loco Sosipater Carisius in Soloecismo praepositivam particulam pro conjunctiva pronuntiatam ait: *Hic* quidem, pro *is*.

747. Unde hominum genus, et pecudes, unde imber, et ignes. In Mediceo codice, legere est: *Unde ho. ge. & pecudes genus unde ferarum*, sed cum vulgatis exemplaribus veteres plerique codices conveniunt.

749. Se tingere Soles. In antiquis dubio procul fere omnibus, *tinguere* legitur: *u* inter *g* & *e* litteras medias sita, ex instituto Attii: neque Grammatici plerique ab hoc verbo *u* litteram rejiciunt: quum in *urgeo*, & *ungo* eam nequaquam admittant: ut apud Velium Longum est. Adversus tamen cujus sententiam stat omnis pene veteris scriptionis consuetudo.

751. Ingeminant plausum Tyrii. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquissimis: *plausu*, casu septimo, quod nequaquam displicet.

760. Omnibus errantem terris, et fluctibus. In antiquis aliquot exemplaribus legere est: *omnibus errantem*, *& terris*, *& fluctibus*, quod sententiam reddit huberiorem.

LIBER SECUNDUS.

Sic orsus ab alto. In Mediceo codice una plus dictione scriptum est, *ab alto est*. Sed magis Virgilianum est, ut verbum id subintelligatur potius, quam adscribatur.

10. Si tantus amor casus cognoscere nostros. In exemplaribus aliquot antiquis, *agnoscere* legitur; sed *cognoscere* Servius agnoscit: neque non Donatus, & reliqua litteratorum collegia.

12. Luctuque refugit. In codicibus nonnullis sane quam vetustis, *luctum* habetur: quod ego factum credebam ob notam, productae syllabae signum, quae fuisset antiquitus supra syllabam ultimam dejecta: sed animadverti Ti. Donatum quoque *luctum* legere quarto casu: & apud Carisium, ubi versus is citatur, *luctus* scriptum esse.

21. Est in conspectu Tenedos. Quamvis nomina Graeca, praesertim locorum propria, multum in carmine venustatis habere, suo idiomate posita, non ignoremus: eaque de caussa vulgatos pene omnes codices, *Tenedos* scriptitare coepisse: in antiquis tamen aliquot, praesertimque in Romano scriptum est, *Tenedus*, Latina voce. Et in antiquissimis M. Tullii codicibus manu scriptis, *Tenedus* legi eodem modo: ut in Verrinis, quod ad hunc locum facit, libro tertio: *Tenem ipsum*, *qui apud Tenedios sanctissimus Deus habetur: qui urbem dicitur condidisse: cujus ex nomine Tenedus nominatur*. Caeterum in reliquis exemplaribus, *Tenedos* plurimum habetur.

24. Huc se provecti deserto in littore condunt. In antiquo exemplari Longobardico, *projecti* legitur: qui mos est sese occultantium, & in insidiis latitantium. Sed melius de navibus intelligere, quum in aliis plerisque omnibus codicibus, *provecti* legatur.

30. Hic acies certare solebant. Non displicet, quod in Romano codice, *acie certare solebant* legitur: quae quidem elocutio apud Caesarem frequentissima est, sicuti apud Livium, *acie confligere*, ut obiter locum apud eum ex veteri codice recognoscamus lib. III. de secundo bello Punico: *Cum sex consularibus exercitibus acie conflixisse*.

40. Primus ibi ante omnis. In vetustis aliquot codicibus, *ante alios* legitur; sed *omnis* agnoscit Servius.

48. Aut aliquis latet error equo ne credite, Teucri. Vulgata omnia exemplaria Servio adstipulata ita legunt, ut sententia sit, Equo non credendum, ideoque ante dictionem *equo* puncta adlinunt. Ti. Donatus distinguendum monet *ne credite* ab dictione *equo*, legendumque autumat: *Aliquis latet error equo*. Neque hoc tantum distinguit, verum etiam suspendit particulam *aut*, utpote qui asserat Laocoonta evidenter dixisse, quid primo & secundo loco sentiret: quippe aut Graecos eo ligno inclusos occultari; aut eam machinam in Trojanos muros fabricatam esse. Tertio vero dixisse, *aut:* & quum non suppeteret sequens dictum, confugisse ad generalem suspicionem, dixisseque, *aliquis laetet error equo:* quod quum ita sit, separandum est *aut*, & sic dicendum: *aliquis latet error equo*, ut de eo quod fuit incertius judicasse videatur: quo genere firmavit quicquid illud fuisset, esse debere suspectum: quia o-

riginem ducebat ab hostibus. Ex quibus Donati verbis illud etiam colligitur, *nae credite* affirmative legendum: *nae* enim hic non prohibentis, sed intensionis particulam esse. Illud quoque minime dissimulandum, licet paucissimos habeat fautores, quod apud Probum in Arte, ubi agitur de *ne* particula, pro, *Ne credite Teucri Quicquid id est*, scriptum habetur, neque quidem id semel: *Ne credite veri Quicquid id est*. Idne errore factum sit, an quia ita legeret Probus, mihi non constat. Id magis apertum, quod *Ne*, acuto accentu scribendum monet.

56. Trojaque nunc stares, Priamique arx alta maneret. In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *maneres*, persona secunda legi; quanquam Servius timet τὸ ὁμοιοτέλευτον: quare nonnulli *stares* potius legunt: & *maneres* in fine malunt; sed enim praeter antiqua, uti diximus, exemplaria, quae utrumque persona secunda legendum exhibent, apostropham hic, & cum ingenti dolore animi factam Donatus ait.

61. Fidens animi. In Romano quidem codice, *animo* legitur. Sed *animi* agnoscit Servius: & elocutionis figura hujusmodi apud auctores frequens.

62. Seu versare dolos, seu certe occumbere morti. In Longobardico codice legere est, *dolo*, casu septimo: quod Servius non improbat: subaudiendumque ait Trojanos. In eodem codice, ubi rarae admodum diphthongi sunt, hoc loco *certae* cum diphthongo scriptum est, ut *morti* adcommodetur, ergo firmae, & destinatae; alii tamen *certe* adverbium malunt.

64. Circumfusa fuit, certantque illudere capto. In Romano codice, *certat* est, unitatis numero, veluti *fuit*. Alii tamen figuram malunt.

65. Accipe nunc Danaum insidias, et crimine ab uno Disce omnes. Facile quidem adduci possim, ut ex Ti. Donati sententia *crimen* legendum credam, quam lectionem omnino Servius respuere non videtur, licet priorem magis approbet. dum exponit *crimine ab uno, hoc est, causa*. Ut: *crimen amor vestrum*. Praeter vero Servianam hujusmodi interpretationem, pleraque omnia venerandae vetustatis exemplaria, quae in manus nostras devenere, uno exemplo legunt: *crimine ab uno disce omnis*. Sed enim, quia litteratissimi plerique viri ultro in Donati sententiam eunt, libuit ex iis, quae ille super hoc commentatus est, quod in vulgatis codicibus desideratur, adponere: Accipe nunc Danaum insidias et crimen. *Duplici genere criminationis Graecos aspergit ex persona captivi: atque ut satiaret, addidit*: ab uno disce omnis: *unum quippe notabile vult esse in viro forti, ut non congressu, sed insidiis certet. Ostensurus autem Sinonem mendacem, perjurum, sacrilegum, ait* crimen, *ut non solus, sed qualis esset, tales esse omnes Graecos assereret*. In hanc sententiam nonnulli trahunt Catullianum illud ex antiqui codicis lectione: *Vatiniana meus crimina calvus explicasset*: hoc est, Poëma in Vatinii crimina.

71. Insuper ipsi Dardanidae infensi. In Romano codice, & plerisque aliis antiquis, legere est, *& super ipsi*. Quae lectio est codicis etiam Donatiani, neque non Medicei. In nonnullis utraque lectio habetur, una plus syllaba versu corrupto.

77. Cuncta equidem tibi Rex, fuerint quaecunque, fatebor Vera. Nonnullis in codicibus pervetustis legere est, *fuerit quodcunque*, singulari numero: quanquam non sum nescius plurimos esse, qui priori faveant lectioni: quia scilicet cuncta praepositum est nomen multitudinis. Sed enim Servius, *Fuerit quodcunque*, videtur agnovisse, dum exponit: quicunque me sequatur eventus. Cum Servio est Donatus, qui aperte *Fuerit quodcunque*, interpretatur, hoc modo: *Cuncta* inquit, *& quicquid fuerit fatebor*, ut fatebor *bis accipiatur, ne fiat per numeros vitium, ut sit*, fatebor cuncta: *item* fatebor quodcunque fuerit. In Mediceo codice, *cuncta quidem* legitur; sed *equidem* ex eorum sententia est, qui primam personam ei inesse adverbio volunt: ut sit, *equidem*, ego quidem, quum tamen Cato apud Sallustium dicat: *Quare vanum equidem hoc consilium est*: nisi & Sallustiani quoque codices corrupti sunt.

88. Regnumque vigebat Consiliis. Sunt qui *regum conciliis* legendum autument. Sed id licet ego nusquam in his veteribus legerim exemplaribus, inveni tamen apud Ti. Donatum *regum* interpretatum: hoc modo: *Deferebatur enim patri meo, quia in numero regum fuit, & plurimum viguit. Haec nobilitas generis idcirco composita est, ut Trojanorum misericordiam de praeterita, & praesenti fortuna provocaret ad lenitatem*.

90. Invidia postquam pellacis Ulyssi. In Longobardico, & in aliquot aliis antiquis codicibus, *fallacis* legitur: quam ego paraphrasin fuisse puto; quamvis ita etiam scriptum sit in codice Carisiano: quem Longobardicis characteribus scriptum Janus Parrhasius mihi legendum commodavit: versu eo loco citato, ubi de nominibus in e, quae sine ratione genitivum in i faciunt, disserit. Nam codicum referre varietates super hujusmodi terminatione jam supervacuum est. Sed quantum pertinet ad epitheton, utrum quippe *pellacis* an *fallacis* legendum sit, Velius Longus exemplum citat ex Virgilio, *pellacis Ulyxis*, ubi ex praepositione *per*, *r* litteram in *l* abire dicit, quoties *l* altera subsequitur: neque aliter unquam legi apud

apud Lucillium affirmat, quam *pellicere*, quod est inducere.

91. SUPERIS CONCESSIT AB ORIS. In codice Longobardico, *excessit*; sed *concessit* Donato agnoscitur, apud quem habes: *Non dixit, mortuus est, sed* concessit, *ut memoria ejus digna esset, quae post hominis finem vivere mereretur.*

99. IN VULGUM AMBIGUAS. Sane *volgum*, ea quippe scribendi ratione, qua usos veteres nemo inficiatur, non in Virgilianis tantum codicibus per o prima syllaba notatum inveni: verum etiam in Livianis manu scriptis, hisque pervetustis, ut lib. III. de II. bel. Pun *Huic non apud volgum modo fides fuit.* Quod vero super nominis genere disputatur, Virgilium, Sisennam, Attium, & Varronem, *volgum* masculino genere posuisse, neutro Lucillium, atque eo loco Virgilium, *Ignobile volgus.* Sosipater ex veterum grammaticorum opinione ait, *Volgus* masculini generis potius quam neutralis: quia nullum neutrale bissyllabum *us* litteris terminatum genitivo in I ultima exit syllaba. Sic ille.

102. NEQUIQUAM INORATA. In codicibus aliquot antiquis, & hic & alibi, *nequiquam* scribitur absque ulla alia consonante inter I & Q. Sed enim Victorini praeceptum est in haec verba: *Quidquam & quidquid & quodque prima syllaba quoties habuerint d, id vos producite, & supponite c. ne duae partes integrae esse videantur.* Ex hoc praecepto volunt *nequidquam* interjecto c notari Sed qui scriptionibus antiquis favent, *nequiquam* adverbium a casu ablativo desumunt, veluti etiam *nequaquam*, atque ita utrunque eodem modo sine c scribunt. Frigida haec omnino vel Fab. Quintilianus esse dicat, sed hoc temporibus eruditis. Nunc corrupta adeo loquendi scribendique ratione, minime vitio detur, siquis etiam talia perquirat.

114. SCITATUM ORACULA PHOEBI MITTIMUS. In Longobardico codice, *scitantem* legimus: quod agnoscit Servius: & participium pro participio positum ait, quippe pro scitaturum. Sed enim Sosipater Carisius *scitatum* legit in Soloecismo: proque sciscitatum positum ait.

118. ANIMAQUE LITANDUM ARGOLICA. In codice Longobardico legere est quarto casu, *animamque litandum Argolicam*: quod alii viderint: nam haec per septimum casum proferri potius consuerunt. Est etiam in Mediceo una plus dictione *litandum est*: quod quidem verbum etiam cum decoro reticetur.

129. COMPOSITO RUPIT VOCEM. In codice Longobardico, *compositam* legas. Sed enim *composito* adverbium eruditis magis auribus satisfacit. In Mediceo, *rumpit* praesenti tempore est: quae forma narrationi congruit.

146. ATQUE ARCTA LEVARI VINCLA. Antiqui plerique codices *arta* habent absque *c*: cumque id ita fieri solitum, Grammaticorum veterum dictata alibi citavimus.

156. VITTAEQUE DEUM, QUAS HOSTIA GESSI. In antiquis aliquot exemplaribus, punctum observavi ante *deum.* ut fit: quas gessi *deum hostia.* Servius tamen *deum vittas* mavult legere.

161. SI MAGNA REPENDAM. Sunt antiqui codices, in quibus *repandam* scriptum inveni; sed id potius inscitia librarii quam pro manifesta re sit positum: nam *magna rependere* pollicetur Sinon, qui jam vitae, ac libertatis praemia sit consequutus.

179. SECUM ADVEXERE CARINIS. In Mediceo codice, & aliquot aliis, *avexere* legitur: ut sit ex eodem loco, unde degressi prius auguria coeperant.

185. HANC TAMEN IMMENSAM. In Mediceo, *Hanc adeo immensam* legitur; sed *tamen* receptum magis.

191. PRIAMI IMPERIO PHRYGIBUSQUE FUTURUM. In codicibus aliquot antiquis, *Phrygiis* legitur; sed *Phrygibus*, emendatior omnino lectio est.

196. CAPTIQUE DOLIS LACRYMISQUE COACTI. Servius *coactis* legit, remque Terentii testimonio suffulcit. Nusquam tamen in veteribus exemplaribus id inveni, quanquam in Mediceo nescio quid hujusmodi abrasum in ejus dictionis fine discernitur. Quam vero Ovidii Synepeiam huc nonnulli citant: *Oculi lacrymis maduere coactis:* longe diversa est a Virgiliana sententia: nam ibi Ovidius de Procne loquitur: quae inspecto Ity filio coacta sit maternae pietatis impulsu lacrymare, foedae immanitatis, quam in eum parabat, conscia atque ideo dicit: *Invitique oculi lacrymis maduere coactis.* In Sinone vero, quum lacrymae dubio procul fictae essent, ideo cogi eas necesse fuit: quia neque dolor, neque affectus ullus erat, qui sponte soleat lacrymas ciere. Sed & Ti. Donatus *coactis* legit: si modo codex fidelis est. Utcunque tamen alii, atque alii senserint, minime absurdum mihi videtur, si legamus *Capti dolis, & coacti lacrymis*, quo etiam modo si legas apud Donatum, nihil quicquam ejus sententiam immutaveris.

207. JUBAEQUE SANGUINEAE EXSUPERANT UNDAS. In veteribus aliquot exemplaribus legere est: *superant undis.* In Mediceo: *superant undas*; sed enim *exsuperant* longe majus quiddam ostentat.

208. SINUATQUE IMMENSA VOLUMINE TERGA. In codicibus plerisque pervetustis legitur: *sinuant* pluralitatis numero: quippe *angues toti*: quae lectio carminis etiam tonum reddit canorum magis.

220. TENDIT DIVELLERE NODOS. Vetera quaedam exemplaria *devellere* habent; sed id vitio temporum.

223. Fr-

223. Fugit cum saucius aras. Antiqui codices pene omnes cum Mediceo *aram* unitatis numero legunt: quae quidem lectio mihi castior videtur.

246. Tunc etiam fatis aberit Cassandra futuris Ora dei jussu, non unquam credita Teucris. In Oblongo codice perveteri, *jusso* legitur, a recto *jussum*. Ut illud: *Et jam jussa facit*. Sed *jussu* magis placet, ut suave magis. Est vero illud animadversione dignum, quod in codicibus aliquot antiquis oratio eo loco punctis dissita est: *Aperit Cassandra futuris Ora dei jussu*. Ut sit ordo, Cassandra non unquam credita Teucris, tunc jussu dei aperit ora futuris fatis: non autem illud, *Non unquam credita Teucris Jussu Dei*. Cujus rei caussam Servius ex commodo suo comminiscitur. Et Donatus ait, responsa Cassandrae Apollinis jussione fuisse damnata. Atqui magis pium est dicere deum semper consulere humanis rebus, qui divinationem mortalibus elargitus est, ut mala cavere possemus: cumque ea lectione legere, jussisse deos, ut Cassandra tunc vaticinaretur. Praeterea sententia haec ita explicata rem auget: & fatorum vim majorem ostendit: quum dicat neque quidem deorum admonitu fieri potuisse, ut quae fata decreverant infortunia, vel scientes potuerint evitare.

254. Et jam Argiva phalanx instructis navibus ibat. Vetera quaedam exemplaria *ibant* legunt, numero multitudinis, quam lectionem agnoscas apud Ti. Donatum, si in integra ejus incidas commentaria. Ita enim illic habetur: *Iter per terram dicimus fieri. Hoc tamen loco ibant inquit, hoc est, navibus ferebantur: quoniam insulam dixerat Tenedum: ne, si navium non fecisset mentionem, putaretur immemor sui, ut terram poneret, quam secundum descriptionem superiorem nullam esse constabat.*

260. Laetique cavo se robore promunt. In Longobardico codice *produnt* legitur: quod minime displicet. Sed enim *promere* de iis dicitur, quae condita fuerint: de his autem superius dictum est; *Nota conduntur in alvo*.

261. Thersandrus, Sthenelusque duces. Quidam codices ex proximioribus editionibus, *Tisandrus* legunt: quum tamen passim apud Graecos celebre sit *Thersandi* Polynicis filii nomen. In Romano codice Vaticanae bibliothecae desiderantur paginae versusque omnes a captura Sinonis, usque ad versum, qui libro quarto incipit: *Instaurataque choros, mixtique altaria cir.* Et dirus Ulyxes. In codice Longobardico, *durus Ulyxes*, legitur: quem Horatius patientem; Homerus πολύτλαντα vocant: id vero duri hominis, ut: *Durum a stirpe genus*: &: *Dardanidae duri*. Inferius vero omnino legitur: *Dirus*: videturque proprium epitheton apud Maronem *Dirus Ulysses*; ut *immitis*, & *saevus*, *Achilles*. Sunt etiam antiqui codices, in quibus *divus* habeatur: nempe quia toties apud Homerum legere est, δῖος Ὀδυσσεὺς, καὶ θεῖος. Sed enim in hostili persona, ubi praesertim improbatur res gesta, non congruit epitheton illud honorificum. Quamvis Fl. Sosipater, ubi de tropis agit, haec ita: *Epitheton dictio est vocabulo adjecta ornandi, aut destruendi, aut indicandi caussa. Ornat, sicut Dius Ulyxes.* Ita enim in veteribus Sosipatri codicibus habetur. In aliquot & *divus*. Destruit, sicut, *Scelerumque inventor Ulyxes*. Indicat, sicut, *Larissaeus Achilles*. Sed hoc exemplum ita positum, loco non citato, non mihi tanti est, ut propterea lectionem *dirus* loco hoc immutare velim. Carisius enim ad id respexit: quod, uti diximus, Homerus *Ulyxem* θεῖον vocat.

262. Athamasque Thoasque. In Longobardico, in Mediceo, & quibusdam aliis codicibus antiquis, legere est, *Acamas*. Quod quidem nomen inter Graecorum proceres censeri apud Quintum Smyrnaeum invenias, qui Τὰ μεθ' Ὅμηρον scripsit. Fuit & *Acamas* Thesei. F. a quo Demosthenes agnoscit tribum Acamantida ἐν τῷ πρὸς Βοιωτὸν περὶ τοῦ ὀνόματος: quod observat Harpocration.

271. Largosque effundere fletus. In Mediceo codice, *refundere* legitur; sed *effundere* acceptius. Quin etiam nonnulli codices, *fluctus* habent; sed nulli *fletus* non castior lectio videtur.

275. Exuvias indutus Achilli. In antiquis exemplaribus *Achillis* habetur, recta declinatione, non enim hic ὁμοιοτέλευτον illud Servianum timendum est. Suntque aliquot exemplaria, in quibus *exuviis* legatur septimo casu. Utrumque Latinum est, sed *exuvias* quarto casu placere magis video eruditis viris. Demum & *inductus* ab *induco*, in pervetustis aliquot exemplaribus habetur. Sane scriptum ab Augusto Tranquillus ait: *Si mane sibi sinister calceus pro dextro induceretur*: & apud Plinium: *Divus Augustus prodidit sibi calceum praepostere inductum*. Placet tamen *indutus*, ab *induo*, ut vulgo habetur.

281. O Lux Dardaniae. In antiquis aliquot codicibus legere est *Dardanidum*. Tametsi non nescimus ex Mnasea *Dardaniam* regionem appellatam, quae *Teucris* prius vocabatur. *Dardanus* porro Troadis oppidum est Stephano. Spes o fidissima. Ut praeteream quod in antiquis codicibus scriptum est ex instituto Augusti, *spes o fidissuma*: illud me magis movet, quod in vetustissimo quodam codice litteris propter vetustatem caducis difficile est discernere utrum *fortissima*, an *firmissima* sit adscriptum. Sed enim, ut *firmissima* non improbarim, ita *fortissima* nunquam admiserim: decenter enim *spes* aut *firma*, aut *fida* ponitur.

290. Ruit

290. RUIT ALTO A CULMINE TROJA. In Mediceo codice non est *a* praepositio; sed supra *alto*, *ab καὶα παςάφιαση* notatum. Vulgara tamen lectio, quae est *alto a culmine*, satis pluribus facere videtur.

295. PERERRATO STATUES QUAE DENIQUE PONTO. In codice Longobardico & aliquot aliis *qui*, non *quae* legitur, ut sit: *Qui denique statues ea magna pererrato ponto*; sed enim magis placet, quod in vulgatis habetur exemplaribus, *quae moenia*.

301. CLARESCUNT SONITUS. In antiquissimo codice legere est, *concrescunt sonitus*, superaddita etiam paraphrasi, spissantur. *Crescere* enim & *concrescere* de sonitu non sine horrore dici potest. Hic vero non clamores tantum, sed & armorum concursationes, & corruentium aedium fragores audiebantur; ut opus esse videatur verbo plenius aliquid resonante.

311. JAM PROXIMUS ARDET UCALEGON. Ne quis dicat nos super antiqua scriptione curiosos nimis, si *proxumus* in ant. cod. scribi dixerimus, apud Carisium quoque ita scriptum invenimus antiquo codice: ubi locum citat Crispi ex III, unde Virgilius locum desumpserit: *Non tu scis, siquas aedis ignis coepit acriter, haud facile sunt defensu, quin & comburantur proxumae.*

321. CURSUQUE AMENS AD LITORA TENDIT. In Oblongo codice perveteri, & in Mediceo, & plerisque aliis *ad limina* legitur: quam lectionem Servius agnoscit. Attendendaque est Aeneae virtus, ad quem Sacerdos cum sacris & nepote parvulo confugeret. Eadem lectione, sententia diversa, Donatus ait: *Cursusque amens ad limina tendit. Tutis exclusus ad intuta confugiens, plenam testabatur amentiam, quum eo fugiens curreret, ubi cum ipsis diis potuisset incendi.*

332. OBSEDERE ALII TELIS ANGUSTA VIARUM OPPOSITI. In codicibus antiquis Mediceo, & aliquot aliis legere est, *oppositis*: quippe *telis*: & ita etiam est in Donatiano codice. Invenio tamen *s* litteram superfluam saepe alicujus dictionis fini adjectam; si praesertim dictio ab eadem incipiat, dictantium celeritate librariis deceptis: verum hic nihil est, quod offendat, si *oppositis telis* legere, antiquis magna ex parte codicibus adstipulantibus, cuiquam visum fuerit.

333. STAT FERRI ACIES MUCRONE CORUSCO STRICTA. Sunt codices, in quibus legere est, *stat pernicies mucrone corusco*: quod quia nonnullis alienum a Virgiliana phrasi videbatur, eram dissimulaturus: verum ubi in Ti. Donati commentaria incidi, animadverti hominem lectionem hanc agnovisse, longa etiam adjecta paraphrasi: ita enim est: STAT PERNICIES. *Omnia adversa sunt, & in eum desperationis cardinem ducta, ut nec consistere in patria quisquam sine pernicie possit, nec saluti fugiendo consulere.* Sed enim longe magis placet, *stat ferri acies*, ut agnoscit Servius, & aures adprobant eruditae.

339. ET MAXIMUS ARMIS IPHYTUS. In codicibus omnino plerisque, *armis* legitur. In aliquot vero aliis, *maximus annis* habetur, quod inferiori sententiae respondet: *Quorum Iphytus aevo jam gravior.* In nonnullis etiam ex his antiquioribus & hic & inferius, *Epytus*, scriptum est per *e* prima syllaba, & absque adspiratione: in aliquot *Ephytus* cum adspiratione; sed *Iphytus* receptum magis.

342. ILLIS QUI AD TROJAM FORTE DIEBUS VENERAT. In Mediceo & codicibus antiquis plerisque omnibus, absque relativo *qui* legere est, *Illis ad Trojam forte diebus venerat*: quae loquendi figura etiam alibi est apud Virgilium, relativo praeterito, ut: *Urbs antiqua fuit, Tyrii tenuere coloni*: subintelligitur, *quam* scilicet Tyrii coloni tenuere.

347. QUOS UBI CONSERTOS. Quamvis *confertos* in codicibus aliquot antiquis habeatur; ex codice tamen Mediceo, & ex Longobardico, atque ex aliquot aliis, neque non ex Donatiano exemplari, & Arusiano, *confertos* legerim, eo significató, quo apud Sallustium legitur: *Catilina memor generis, atque pristinae suae dignitatis, in confertissimos hostes incurrit*: & ita apud alios frequentissime.

349. SI VOBIS AUDENTEM EXTREMA CUPIDO EST CERTA SEQUI. Donatus *audendi extrema* videtur agnoscere; & in ordinatione sensus ita digerit structuram: Si vobis audendi extrema cupido certa sequi. Sed enim exemplaria vetera pene omnia *audentem* legunt: ut animositatis laus Aeneae praecipue deferatur: *audentem* quidem prius etiam in Mediceo scriptum fuit: inde aliena manu & atramento, *audendi* gerundii voce factum.

369. ET PLURIMA MORTIS IMAGO. Veteres aliquot codices *noctis imago* legunt; sed *mortis* omnino melius judicio doctorum habetur.

371. ANDROGEOS OFFERT NOBIS. Vetera exemplaria pleraque cum Mediceo *Androgeus*, idiomate Latino scribunt. In quo Tritimemeris observanda, ut: *Pectoribus inhians spirantia consulit exta.* Qui vero syllabae timuerunt, *Androgeos*, per Ω magnum Atticorum more scribere maluerunt: quod etiam nulla cogente necessitate inferius factum: *Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.* Alii satis imperite *se* pronomen intrusere superfluum, *Androgeus se offert nobis*: obliti pronomen id paulo supra positum. Nonnullis autem tanta fuit Graecitatis cura, ut alibi genitivum etiam eadem Atticorum scriptione scribendum curarent, ut eo loco: *Comantem Androgeo galeam*: Solipatre

tro Carisio reclamante: de quo loco suo dicetur: nam parva haec, ne plenius disputata fastidium faciant, pluribus locis dispescere melius visum: quanquam recte multi dicunt, quae faciant ad institutionem, eo utiliora esse, quo pluries repetita.

377. SENSIT MEDIOS DILAPSUS IN HOSTES. Ut missam faciam lectionem, *dilabsus ad hostis*, quae minime placet, in antiquis Prisciani codicibus hoc non uno loco citato versu legere est, *medios illapsus in hostis:* pro, se illapsum esse: quod ideo placet, quia *dilapsus* contrarium habere significatum videretur; quippe aut effugere, aut in diversas partes labi. Sunt, qui per *e*, *delapsus* legant, non sane improprie, ut in Carisiano habetur codice, dicente eo soloecismum hic esse transmutatione per casum in participiis: nam & is nominativum agnoscit pro accusativo.

383. DENSIS ET CIRCUMFUNDIMUR ARMIS. In codicibus plerisque veteribus legas: *circumfundimus:* quod minime displicet, quum praesertim legerim apud Ti. Donatum. *Irruimus*, inquit, *densis & circumfundimus armis, hoc est, in circulum fundimus, atque universos occidimus.*

386. ATQUE HIC EXULTANS SUCCESSU, ANIMISQUE COROEBUS. In Mediceo & antiquis codicibus pene omnibus ordo numerusque dictionum ita habet: *Atque hic successu exultans animisque Coroebus:* utrumque judicio meo aeque auribus adblanditur.

389. MUTEMUS CLYPEOS. Varium modo genus, modo diversa scribendi ratio, in hoc nomine *clypeus*, Grammaticos semper diversos egit: nam ex veteribus codicibus aliquot per *y clypeos*, aliquot per *i clipeos*, nonnulli per *u clupeos* scribunt. Sed enim inter *clipeum* per *i*, & *clupeum* per *u*, differentiam ponit Cornelius Fronto; *clupeumque* per *u* imaginis esse dicit; per *i* vero armorum. Quare si Frontonis admittenda sit differentia, quum subsequatur, *Danaumque insignia nobis aptemus*, ad imaginem respexisse videtur: nam & Servius ait in Graecorum clypeis Neptunum, in Trojanorum Minervam pictam fuisse; hic *clypeos* vel *clupeos* (idem enim est) scribendum non aegre consenserim. Sed enim alii sunt, qui genus, non scriptionem, differentiam facere putent: ait enim Labienus *clypeum* neutro genere imaginem significare; virili vero, inter arma poni. A quo diversus est Pomponius, dubii Sermonis libro secundo, ubi *clipeus* & *clipeum*, indistincto genere dici ait; sed littera differre: ut pugnatorium per *i*, *clipeum* dicamus: imaginem vero per *u*, *clupeum*. Ut etiam ex Cornelio dicebamus. Erant vero hujusmodi imagines, quales ad alicujus rei memoriam exculpi consueverunt. Eam vero differentiam improbat Carisius, quum *clipeus* per *i*, & *clupeus* per *u*, non alia ratione dicatur quam *maximus*, & *maxumus*, & *optimus* ac *optumus*, propter communionem *i* & *u* litterarum. Quum itaque inter se ita Veteres altercentur, resque parvi sit momenti, & majora nos interpellent, hoc nos interim in medio relinquemus.

390. DOLUS, AN VIRTUS, QUIS IN HOSTE REQUIRAT. In codicibus aliquot antiquis legere est: *quis ab hoste*, sed melius *in hoste*. Est & *requiret*; sed longe magis placet, *requirat*, ut in Mediceo & aliquot aliis emendatioribus exemplaribus habetur.

392. ANDROGEI GALEAM. Vetera illa exemplaria, quae *Androgeos* in recto posuere, paternum casum eodem hic idiomate scribunt *Androgeo*. Sed enim Sosipater, qui scriptum asserit a Virgilio libro sexto: *In foribus letum Androgeo:* loco tamen hoc, ut in Mediceo etiam est, agnoscit *Androgei*. Cujus haec sunt verba: *Si fuerit nominativus Androgeos, genitivus erit Androgeo: ut apud Virgilium:* In foribus letum Androgeo; *sed apud eundum invenimus* Androgei galeam; *sed non ex eodem nomine: nam si fuerit* hic Androgeus, Androgei *facit genitivo: ut idem Virgilius:* Penelei dextra divae armipotentis ad aram: *quum tamen hujus nominis* Peneleos *nominativus sit apud Graecos*, Βοιωτῶν μὲ Πηνελέως. CLYPEIQUE INSIGNE DECORUM. Sunt qui *decori* scribant, ut sit, *clypei decori*; sed longe melius *insigne decorum:* ut agnoscit Servius.

408. SESE MEDIUM INJECIT MORITURUS IN AGMEN. In Mediceo & plerisque aliis veteribus codicibus, *periturus* habetur. Dum vero haec publicari coepta essent, Camillus Porcius, Antistes Aprutinus, Romanae decus eloquentiae, Codicem veterem mihi obtulit, in quo tum alia vulgatis a lectionibus diversa, tum hoc ipsum *periturus* scriptum est: nam *perire* omnino plus est, quam *mori*.

415. DOLOPUMQUE EXERCITUS. Exemplaria quaedam antiqua *Dolopumve* legunt, & ita apud Ti. Donatum habetur, quum tamen *que* nihil offendat.

420. SI QUOS OBSCURA NOCTE PER UMBRAM FUDIMUS INSIDIIS, TOTAQUE AGITAVIMUS URBE. Antiqui aliquot codices, *sub umbram* legunt. Sed mihi non displicet *per umbram.* In Longobardico etiam legere est, *totamque agitavimus urbem:* ut sit, *fudimus per umbram:* & *agitavimus per totam urbem.* Sed enim vulgata lectio magis recepta est, *Totaque agitavimus urbe.*

422. APPARENT PRIMI CLIPEOS. In codicibus aliquot antiquis, eodem membro legas, *Adparent primi* disjunctim: inde, *Clipeos mentitaque tela Adgnoscunt.* Donatus mavult, *Primi clipeos, mentitaque tela Agnoscunt.*

424. ILICET OBRUIMUR NUMERO. Male

mul-

multi scribunt, *illicet* geminato *ll*: quod ex, ire licet, contendant *r* litteram in *l* abire, vocali *e* detrita. Ait vero Martius Salutaris, qui citatur a Carisio, *Illicet* loco hoc interjectionem esse graviter ingemiscentis: & ita accipendum illud ex Eunucho Terentii: *Actum est, ilicet, peristi.* Nam & hic non est in loco, aut statim, continuo, sed pro eo, quod est *hem*: ut sit, *Hem peristi.* Libro vero Aeneidorum XI. *Ilicet in muros tota discurritur urbe.* Celsus ait pro illico vel statim positum: antiquos pro, *eas licet*, posuisse. Pro Nunc, Afranium in Materteris: *An tu eloquens ilicet:* id est, subito, aut extemplo.

443. CLYPEOSQUE AD TELA SINISTRIS PROTECTI OBJICIUNT. Vetera aliquot exemplaria, *ac tela* legunt; sed *ad tela* agnoscit Servius, dum exponit: *contra tela.* Sunt & codices antiqui, in quibus, *ad tecta* scriptum sit; sed *tela* omnino castior est lectio: animadversum enim est in oppidorum expugnationibus, milites dum scalas scandunt sinistra manu ad tela clipeum objectare, dextera vero uti ad apprendendum: idque ipse Poëta graphice describit dum addit, *Prensant fastigia dextris.*

445. DARDANIDAE CONTRA TURRES AC TECTA DOMORUM. In antiquis aliquot codicibus, *turres & tecta* legas; sed hoc parvi est momenti. Illud potius dicendum, quod in Mediceo codice *tota domorum culmina* legitur: quanquam Servius *tecta* agnoscit.

448. AURATASQUE TRABES. Sunt antiqui codices, in quibus *aeratasque trabes* legitur; sed *auratas* magis Virgilianum videtur: libenter enim Poëta noster omnia solet auro decorare, ut illud: *Pendent Lychni laquearibus aureis:* &: *Barbarico postes auro.* Alia vero ratione alibi *nexas aere trabes* legas. Porro hic pathos est a rei preciosae perditione. DECORA ALTA PARENTUM. In codicibus aliquot antiquis, *decora illa* legitur, quod emphasin habet: alibi vero *scenis decora alta* lectum, quod quidem epitheton longe quid sublimius ostendit.

449. IMAS OBSEDERE FORES. In antiquis aliquot exemplaribus *unas* legitur, hoc est, solas: ut qui putarent non aliunde ingressum dari. *Imas* tamen, hoc est, interiores, magis placet, de quibus inferius dictum: *Armatosque vident stantis in limine primo:* posteaquam Priami & veterum penetralia Regum apparuere.

456. SAEPIUS ANDROMACHE. Sosipater Carisius ait Soloecismum esse, transmutatione qualitatis in adverbiis, *Saepius* pro *saepe*, hoc citato versu.

460. TURRIM IN PRAECIPITI STANTEM. Ridebunt fortasse nonnulli, qui stomacho sunt admodum delicato, si utrum *Turrim* per *i*, an *Turrem* per *e*, loco hoc scribendum sit, quaesierim; sed utcunque illi aegre ferant se doceri, nos quorundam ex Veteribus eruditissimorum hominum vestigiis inhaerentes, nihil qua liceat, praeterituri sumus, quod ad minimorum etiam vitiorum, quae usquam inoleverint, emendationem faciat. Ut loco hoc nullum ego exemplar ex vulgatis aspexi, in quo non *turrim* per *i* vocalem tertiam scriptum esset. Et causativum in *im*, semper mittere *Puppim*, *Sitim*, *Securim*, *Turrim* Sosipater ait: Observasse tamen se *turrem* apud Virgilium per *e* vocalem secundam, libro secundo, *Turrem in praecipiti stantem.* Hoc, tametsi haud magni alicujus momenti est; tam diligentis tamen Scriptoris observatio ostendit multa adeo esse, quae in hunc modum librariorum incuria lancinarit.

462. ET ACHAICA CASTRA. Adverte κατα-κισμὸν in opprobrium poni: veluti etiam superius *Dorica castra.* In codicibus tamen aliquot antiquis, *Achaia castra* legimus dissoluta diphthongo. 'Αχαΐα· ἀπὸ τῆς 'Αχαΐας τὸ ἐθνικὸν 'Αχαΐος: nam & in Mediceo codice eo versu, qui est in Quinto: *O miseras quas non manus, inquit, Achaica bello*, scriptum est *Achaia:* non tamen haec efficiunt, ut *Achaica* mutemus.

465. EA LAPSA REPENTE. In plerisque codicibus, absque pronomine ullo legitur, *elapsa:* quod nequaquam placet. De littera vero *b* in eo participio dictum alibi.

470. ET LUCE CORUSCUS AHENA. Notat Gellius vidisse se mirandae vetustatis codicem, qui quidem ipsius Virgilii fuisse credebatur, in quo, loco hoc *aena* scriptum esset, *h* littera supra addita, quum absque adspirationis nota prius scriptum esset: sic eo quoque loco: *Undam tepidi despumat aeni.* Verba Gellii nonnulli aliter interpretantur.

474. LUBRICA CONVOLVIT SUBLATO PECTORE TERGA. In perveteri quodam codice scriptum animadverti, *sublato pectora tergo*; sed longe melius, *lubrica terga:* quod Servius etiam agnoscit.

481. JAMQUE EXCISA TRABE FIRMA CAVAVIT ROBORA. In perveteri codice Longobardico, *cavabat* habetur: neque obstat quod praeteritum subsequatur: ostendit enim hoc celeritatem in conficiendo negotio; consentiunt tamen omnes in *cavavit*.

490. AMPLEXAEQUE TENENT POSTES. Hoc autem loco, *postis* plurimum in antiquis exemplaribus invenitur. Varie vero semper disputatum ab auctoribus, Utrum casus plur. hujusmodi nominum tertiae declinationis per *is*, an per *es*, enuntiari debeant: nam ex veteribus grammaticis non desunt, qui super hoc casu praeceptum hoc observandum esse sentiant: ut, quando genitivus casus numero plur. *um* litteris ante consonantem conclu-

 di-

ditur, tunc accusativus casus numeri plur. *es* litteris definiatur: ut puta, *horum parietum*, *hos parietes*. At vero tunc Accusativus casus numeri plur. *is* litteris concludatur, quum Genitivus casus numeri plur. *ium* litteris definitur: ut puta, *hos talis*: quoniam *horum talium* facere demonstratur. Quod praeceptum ut imperite datum redarguit Probus in Arte. Quando quidem sunt nomina, quae genitivo casu numero plur. *ium* litteris definiantur, & Accusativo casu numero plur. *es* litteris concludantur: ut puta, *harum nubium* (ait ille) *Non quidem has nubis*, sed *has nubes facere pronuntiatur*. Item sunt nomina, quae genitivo casu num. plur. *um* litteris ante consonantem concluduntur, & Accusativo casu numero plur. *is* litteris concludantur: ut puta, *horum parentum hos parentis*. Quo sono Sallustius *per liberos atque parentis vestros*, scivit esse pronuntiandum. Item sunt nomina, quae genitivo casu numero plur. *ium* litteris definiantur, & Accusativo casu numero plur. *es* & *is* litteris concludantur: ut puta, *horum postium*, *hos postes*, & *hos postis*: Qua ratione praecipuus Maro eosdem *postes* ex utroque sono pronuntiavit: *Amplexaeque tenent postes*. Item: *postisque sub ipsos nituntur gradibus*. Sane quidem in Mediceo casus hujusmodi plurimum per *is* scribuntur: hoc vero loco *postes* scriptum est, ex Probi sententia.

493. Emoti procumbunt cardine postes. No. Marcellus *emoto* agnoscit: ubi hoc versu teste Virgilium *cardinem* virili genere protulisse dicit: nulla enim alia dictio est, ex qua genus apparere possit: nam ex veteribus sunt, qui *hunc cardinem* dixerint: ut illud: *Sonat impulsa Regia cardo*.

503. Spes tanta nepotum. Sunt, qui dicant in codicibus aliquot antiquis scriptum esse, *spes illa nepotum*. Ego lectionem eam nusquam in exemplaribus, quae mihi versare contigit, inveni; sed *tanta* fere passim: quam lectionem Donatus agnoscit. In uno tantum, *quanta* per exclamationem habetur: & *ampla* scriptum in Mediceo codice vetusto. *Tanta* tamen melius.

508. Et medium in penetralibus hostem. Quia pluribus in codicibus antiquis legere erat, *mediis in penetralibus*, ea elocutione, quae sese etiam inferius offert, *Mediis hostem in penetralibus*, Grammatici, ut staret versus, *medium* quippe *hostem* correxere. Quod siquis versus quosdam exleges, vel anapesticos potius, alteriusque generis insertos Virgilio nolit condonare, aut elisionem *s* litterae cum vocali applicita non admittat: habebit is codices venerabilis antiquitatis Mediceum, & alios, in quibus *mediis penetralibus*, absque *in*, praepositione, legatur: elocutione Virgilio admodum familiari. Neque tamen hoc ita dicimus, ut lectionem vulgatam improbemus, quae recte & ipsa procedit, hoc modo: *medium in penetralibus hostem*.

511. Densos fertur moriturus in hostes. In antiquis aliquot exemplaribus, *ad hostes* legitur, non inepte: cui quidem lectioni adstipulatur etiam codex ille pervetus, in quo semper *ad* praepositio per *t* notatur: in eo enim, *at hostes* legitur; agnoscit tamen Ti. Donatus vulgatam lectionem *in hostis*.

517. Et divom amplexae simulacra tenebant. Mediceus, & antiqui fere omnes codices *sedebant* habent, quod est mulierum proprium, ut apud Homerum, saepe: pauloque infra, Hecuba Priamum ad sese recipit & longaevum in sede locat.

518. Juvenilibus armis. Multorum codicum, & auctorum testimonio, *juvenalibus* per *a* media syllaba legendum, alibi indicavimus.

529. Illum ardens infesto vulnere Pyrrhus insequitur. In perveteri codice Oblongo legere est, *infesto in vulnere*: saucius enim erat Polites. Sed enim Servius schema laudat, *Vulnere* pro telo: & absque *in*, in aliis codicibus habetur.

531. Ut tandem ante oculos evasit, et ora parentum. In quibusdam veteribus codicibus est, *Ante oculos evasit, & ante parentum*; sed omnino corrupte: inde autem emanavit error, quod ea praepositio addita legitur in plerisque codicibus superne pro paraphrasi.

532. Vitam cum sanguine fudit. In antiquis plerisque codicibus, *fundit* habetur: res enim hujusmodi per tempus praesens enarratae, magis movent.

542. Corpusque exsangue sepulchro. In aliquot ex antiquioribus codicibus *corpus exsangue* legitur absque particula *que*; sed enim ipsa versus dignitas eam particulam hoc loco videtur expetere.

545. Rauco quod protinus aere repulsum. In antiquis aliquot codicibus *sepultum est* legitur: in aliquot *sepultum* absque *est*: quod id videtur innuere, quod ad vivum non pervenerit, sed in summo clipei nulla efficacia pependerit. Sane vero, *Sepultum*, ab iis repositum est, qui olim quaestionem faciebant, non posse pendere, quod repellitur: adversus quos ita Donatus: *Nam & repulsum est, & pependit. Missum enim telum constabat, quod vetustatis vitio fuisset hebetatum, quod vigorem perdidisset illius temporis, quod in usu Priami fuit, cum adhuc juvenis esset: nunc emissum ab eo, qui omne virtutis robur cum ipsis juventae temporibus amisisset. Talis ergo teli effectus plenus esse non potuit, ut perforato penitus scuto ad hominis corpus, & exitium perveniret; nec tamen in totum inefficax fuit: repulsum est enim resistente*

flente aere; sic tamen, ut pendens inhaereret, penetrato scilicet aliqua ex parte scuti contextu. Legimus itaque cum Donato, *Rauco quod protinus aere repulsum est.*

548. ILLI MEA TRISTIA FACTA. *Illi* hic pro *ibi* adverbium positum dicit Donatus, interpres Terentianus, in Adelphis: *Ut ego illi maxumam partem feram:* & in Ecyra: *Nam illi non licebat nisi praefinito loqui.*

550. HAEC DICENS. Antiqua fere omnia exemplaria, *hoc dicens*, legunt: quippe, *nunc morere*: quod majorem quandam habet illusionis efficaciam.

554. HAEC FINIS PRIAMI FATORUM. Servius velle videtur *finis* foeminini tantum esse generis, quum tamen virilis etiam passim inveniatur. Virgilius: *Quem das finem, rex magne, laborum?* &: *Hic finis fandi*, quod agnoscit Nonius. Praeterea Probus in Arte quaerit cur hoc loco *finis* foeminino genere positum fuerit a Virgilio: quum veterum Grammaticorum regulae nomen id masculini generis esse velint: Poëtamque ait metro consuluisse: ita enim plerumque rationem musicam appellat. Sane vero Comminianus Soloecismum hic esse per genera nominum asseverat: *Haec finis Priami*, pro, *hic finis.*

555. PROLAPSA. Non temere quidem in antiquissimo quodam codice, participia haec a *labor, laberis*, per Thematis characteristicon scribuntur: *prolabsa, illabsus, labsantem*: nam Probus hujusmodi participia per *b*, non per *p* scribi debere praecipit.

562. SUBIIT DESERTA CREUSA ET DIREPTA DOMUS. In Mediceo, & in antiquis aliquot aliis exemplaribus, legere est: *subit & deserta*: neque dicendum ultimam in *subit* ex synaeresi longam esse, qui viderimus superius ejusdem formae praeteritum correptum: *Hectore, qui redit exuvias indutus Achillis.* Ibi enim pro *rediit*, dubio procul positum est bissyllabum *redit.* Est vero venustas aliqua in ea repetitione copulae: *Et deserta Creusa, & direpta domus*: quamquam neque illud invenustum, quod absque *&*, *subiit*, trisyllabum in plerisque habetur exemplaribus. Habemus vero in antiquis aliquot codicibus lectionem aliam, *ut direpta domus*, hoc est, venit in memoriam Domus, ut direpta: ea quippe specie, qua direpta esset, tali eam imagine concepi. Aliquot alii codices, *& deserta* legunt; sed hoc parum in tanta calamitate: quare longe melius *direpta.* Loquitur vero hic ex Epicuri sententia, qui omnium rerum, quae nostrae insiderent cogitationi, simulacra confingebat, eaque ad cerebrum volitantia species offerre, quibus praedita essent: memoriamque & excogitationem non aliunde in nobis esse. Quae lectio si faciat satis, non erit dicendum participium esse pro participio, & *direpta* positum pro *diripienda*, ut grammatici comminisci coguntur.

567. JAMQUE ADEO SUPER UNUS ERAM. Duo illa & viginti carmina, quae detracta esse constat, in nullo ex iis veteribus codicibus, quos versavimus, habentur; placuit tamen nonnullis impressoribus ea publicare. Donatus porro ita ea dissimulavit, ut sententiae continuationem longe aliter acceperit, quam fecerint alii: ea quippe de caussa Aeneam dextra prehensum a matre contentum esse, ne ipse sibi, quod in extrema ea rerum desperatione plerique fecerant, mortem conscisceret: quo loco Auctoris ipsius verba ponere non pigeat, ubi versus hos interpretatur.

Deseruere omnes defessi, & corpora saltu
Ad terram misere, aut ignibus aegra dedere.
Tum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma Parens, confessa Deam, qualisque videri
Coelicolis, & quanta solet, dextraque prehensum
Continuit. Roseoque haec insuper addidit ore.

Dixit omnes deseruisse quod agebant, quum defenderent domum Priami, & id frustra facerent. Ipse quo modo recesserit dicit: ne videatur etiam ipse operis labore fatigatus recessisse: Omnes inquit laborando fessi, & sine aliqua utilitate certando debiles redditi, tedio adversarum rerum mori maluerunt: & duplicem voluntariae mortis occasionem nacti, cum altitudo non deesset, & incendia dominarentur, aut praecipites dederant sese, aut petierant flammas: ne & ipse alterum facerem, aut, quod supererat tertium, hostis occideret remanentem, Mater mea, non ut facere solebat, dubia, aut incerta, sed manifestior veniens, me ab ipsis inefficacissimis actibus revocavit.

594. QUIS INDOMITAS TANTUS FUROR EXCITAT IRAS? In codicibus aliquot antiquis cum Mediceo legere est, *tantus dolor*, non autem *furor*: quid enim oportuisset statim subjungere *quid furis?* Sane *dolor* agnoscit Donatus: & in paraphrasi ait: *Quid tantum doles, irasceris, furis?*

597. SUPERET CONJUXNE CREUSA. Est quidem hic *superet*, ut, *Captae superavimus urbi.* In Longobardico tamen codice, *super est* legitur, elegantia haud quaquam pari. Illud etiam animadverti in aliquot ex antiquioribus codicibus, primam litteram, quae est in nomine *conjux*, inversam esse hoc modo, *ɔoujux*: ea quippe nota, qua ɔLIB. hoc est, *coniberta*, in monumentorum titulis passim cernitur. Inverti vero ita litteras, in Mulierum nominibus indicandis, plurimum mos fuit.

600. INIMICUSQUE HAUSERIT ENSIS. In antiquis plerisque codicibus legere est, *inimicus & hauserit ensis.*

602. Verum inclementia Divum Has evertit opes. Antiqua pleraque exemplaria habent, *sed enim inclementia*. Aliquot vero alia, & ea quidem castigatiora, legunt venustissima repetitione, *divom inclementia*, *divom has evertit opes*: ut illud: *Pallas te hoc volnere*, *Pallas immolat*. In Prisciani etiam codicibus antiquioribus manu scriptis, hoc citato versu, eodem exemplo passim geminari dictionem *Divum* observavi. Atque eandem hanc lectionem Ti. Donatus agnoscit. Et ut in ea persisteret sententia, qua superius dixerat Aeneam a Venere prohibitum, ne tentaret extrema: ita caussam Helenae conplectitur. Probatio hujus rei fuerat necessaria, ut hoc ipsum verum esse doceret: hoc enim genere potuit inhibere viri fortis impetum, & incitatos animos frangere, inania vacuaque sectantes. Fecit hoc Venus etiam propter se: noverat enim dici sibi posse: *Ut haec paternur, tu fecisti*. Ergo non immerito dixit: *Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacenae Culpatusve Paris*, *Divum inclementia*, *Divum Has evertit opes*. Est etiam haec eadem geminatio in codice Mediceo.

632. Descendo ac ducente Deo. Non sum nescius quot ea sint, quae Servius congerit, ut commune genus esse diis, ostendat. In veteribus tamen aliquot codicibus, *ducente dea*, legitur. In Donatiano: *descendo adducente dae*. Mox ita: *In domo enim Priami se dixerat fuisse constitutum*, *& in summa ejus parte*, *unde se aut praecipites dederant*, *aut tradiderant flammis*; *idcirco iratus dixit*: Descendo adducente dea, *voluntate matris adductus*, *& persuasione receptus*.

634. Ast ubi jam patriae. In Mediceo codice, *atque ubi*, legitur, quod suavius est.

646. Facilis jactura sepulchri est. In omnibus iis codicibus, quos prae manibus habui, *sepulchri* absque verbo *est*, scriptum animadverti.

656. Aut quae jam fortuna dabatur. In antiquis aliquot codicibus legere est, *aut mihi quae fortuna*; sed prior lectio magis recepta.

661. Patet isti janua leto. In Mediceo codice, & aliquot aliis antiquis legere est, *istic* adverbialiter, ut dicat non esse alio discedendum, si omnes velit perdere: quia jam aderit Pyrrhus, qui eum voti compotem reddet: *Qui natum ante ora patris*, *patrem qui ad arat obtruncabit*.

662. Jamque aderit multo Priami de sanguine. In codicibus aliquot antiquis mutato numero legitur, *Jamque aderit Priami multo de sanguine*; sed vulgata lectio longe venustior habetur iis, qui dactylum & spondeum alternos amant.

663. Natum ante ora patris. In antiquis pene omnibus exemplaribus, *gnatum* cum *g* littera praeposita legas: & ita veteres scribere solitos ostendit Victorinus, dum dicit: *Nos quaedam paucioribus litteris scribimus*, *quam antiqui scribebant*: *ut* narus, natus, navus, nosco: *nam illi has voces & similes istis* G *interposita scribebant*. *Cujus rei vestigia nos retinemus*, *cum scribimus*, *ignarus*, *cognatus*, *ignavus*, *cognosco*. Patrem qui obtruncat ad aras. Vetera quaedam exemplaria legunt, *patremque obtruncat*; sed pronomen illud relativum majoris omnino ponderis est.

664. Hoc erat alma parens. Prima hujus carminis dictio novos & veteres Grammaticos varie torquere consuevit. Priscianus in hunc locum: *Reliquis quoque casibus vetustissimi addebant eandem* CE *syllabam*, *ut* hicce, haecce, hocce: *unde vocali quoque sequente ablata per synalephen manentibus duabus* CC *solebant producere*. *Virgilius*: Hocc erat alma parens. *Sed scriptorum negligentia praetermisit unum* c. Dixerat vero prius idem hoc Velius Longus, qui dubitat versum esse acephalum, si *Hoc* unico *c* scribatur. Sed enim nullum ego ex antiquis codicibus codicibus adhuc inveni, in quo sit *hocc* duplicato *cc* notatum. Passim vero *hoc erat*: quo aequior sum Terentiano & Probo, c finalem in pronominibus producendi vim afferentibus habere, ut alio loco commodius disputatum est. Nam & Sosipater Carisius ultimum positionis modum ait, quum dictio desinit in consonantem c, qua pars orationis finitur, & excipitur a vocali, ut, *hoc erat alma parens*. Ne vero mirum sit quaeri a Grammaticis utrum *hoc*, an *hocc*, an *hocce*, apud Poëtam sit dicendum: quaerit quid hujusmodi in Cicerone Fabius: *Quippe cur hosce potius quam hos eo loco dixerit*, *neminem vestrum ignorare arbitror*, *Judices*, *hunc per hosce dies sermonem vulgi*, *atque hanc opinionem populi Romani fuisse*.

670. Nunquam omnes hodie moriemur inulti. In Mediceo & codicibus aliquot antiquis, *nusquam* habetur, hoc est quocunque loco cadere contigerit, haud quaquam inulti moriemur. Sed *nunquam* Donatus agnoscere videtur. Hujus vero sententiae similitudo locum memoriae subjicit apud Livium, aliqua dignum animadversione, libro quinto de II. bello Pu. *Utrum praesenti torpore pecorum modo inulti trucidentur*. Quod in veteri codice legitur: *utrum praebentes corpora pecorum modo inulti trucidentur*.

671. Hic ferro accingor rursus, clipeoque sinistram Insertabam. In antiquis exemplaribus legere est: *hinc ferro adcingor*. Et *clupeo* per *u*. Sed per *i* potius, ex Cornelii Frontonis sententia scribendum videtur. De armis enim est sermo; sed enim haec levia. Illud me potius moveat, quod antiquissimi quidam codices legunt *clipeumque sinistrae insertabam*, pro, *clipeoque sinistram insertabam*: Donatiana praesertim pa-

paraphrasi cum antiqua lectione faciente: ita enim est, *Jam induebam scutum humero meo.*

679. TECTUM OMNE REPLEBAT. Veteres aliquot codices, *replevit*, legunt; sed *replebat* melius esse judicant eruditi.

680. QUUM SUBITUM DICTUQUE ORITUR MIRABILE MONSTRUM. Veteres aliquot codices *subito* habent; sed *subitum* Interpretes agnoscunt.

683. TACTUQUE INNOXIA MOLLI LAMBERE FLAMMA COMAS. In antiquis aliquot codicibus *mollis* legitur: ut vel *mollis comas* dicas, vel *mollis flamma*, *tactu innoxia.* Sed enim Donatus in Paraphrasi sua *pueriles* ait *comas*, *perindeque mollis ac teneras.* Cum Donato est codex vetus Camilli Porcii, in quo *molles* omnino legitur.

688. ET COELO PALMAS CUM VOCE TETENDIT. In codicibus aliquot antiquis, *ad coelum palmas* legitur. Ut illud: *Ad coelum tendens ardentia lumina.* Praeterea non nihil decoris habere videtur repetitio illa: *Oculos ad sidera*, *ad coelum palmas.* Sicui tamen placeat, quod in Mediceo codice est, *coelo*, octavus casus, ut figuratior elocutio, non laboro.

697. TUM LONGO LIMITE SULCUS. In plerisque veteribus codicibus, *lumine* pro *limite* suppositum est; sed probatiora omnia exemplaria *limite* habent.

699. GENITOR SE TOLLIT IN AURAS. In codicibus aliquot antiquis, quippe Mediceo, & aliquot aliis legere est, *ad auras:* in aliis quibusdam *ad aras:* ut etiam in Donatiano, quod forte non displiceat: quia sequitur: *Adfaturque deos.* Sed & *in auras*, veteres habent codices aliquot.

701. ET QUA DUCITIS ADSUM. In aliquot antiquis codicibus, *quo* legas; sed in pluribus, *qua*, Interpretibus praesertim eam lectionem agnoscentibus.

709. QUO RES CUNQUE CADENT. Vetera quaedam exemplaria, *quo res cunque cadant*, habent, non invenuste.

710. MIHI PARVUS IULUS SIT COMES. In Donatiano codice scriptum est, *mihi solus Iulus sit comes.* Consiliumque esse Donatus ait, ut tutior fieret fuga: si enim plures congregarentur, non facile latere potuissent. Idque praecipue ea de caussa placet, ne tam paucis versibus, ter *Parvos Iulus* repetatur: paulo enim ante, *Cui parvos Iulus*, dixerat: & paulo post dicturus est: *Dextrae se parvos Iulus Implicuit.* Videmus enim Virgilium impendio evitasse illud Homericum τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.

718. ME BELLO E TANTO DIGRESSUM. Aliquot exemplaria vetera habent, *ex tanto.* Aliqua sine ulla praepositione, *bello tanto* legunt.

719. ATTRECTARE NEFAS. Mediceus & vetera alia exemplaria legunt, *adtractare*: neque desunt Liviani codices ita scripti: ut primae Decadis libro quinto: *Quod id signum more Etrusco, nisi certae gentis sacerdos adtractare non esset solitus:* quod ea de caussa potissimum adnotavi, ut admonerem lectorem, vulgata exemplaria *more vetusto* scriptum habere, quod in veteri codice Jani Parrhasii, quum is Romae summo doctorum applausu bonas litteras profiteretur, *more Etrusco* legi.

721. SUBJECTAQUE COLLA. In antiquis aliquot exemplaribus, *projecta* legitur; sed enim *subjecta* magis videtur inservire sententiae.

750. STAT CASUS RENOVARE OMNES. Antiqui nonnulli codices, *renovasse*, praeterito legunt tempore: alii quidam *revocare*; sed omnes magis approbant *renovare.*

760. PROTINUS AD PRIAMI SEDES. In veteribus aliquot exemplaribus, *protinus* omnino habetur: plura tamen ex illis *Procedo ad Priami sedes*, legunt. In Longobardico lectio est hujusmodi, *Procedo, & Priami sedes arcemque reviso.* Et ita habetur in Mediceo, & in Porcio, & aliquot aliis antiquis. Quam lectionem etiam Ti. Donatus agnoscit. Ait enim, *Procedo, hoc est, progredior, vel ulterius accedo. Et Priami sedes arcemque reviso: ne illa ad domum patris sui, aut ad munitum aliquem locum se contulisset.*

762. PHOENIX ET DIRUS ULYXES PRAEDAM ASSERVABANT. Hoc etiam loco nonnulli codices manu scripti legunt, *durus Ulyxes*; sed enim jam *durum Ulyxem* esse Virgilio diximus, ut *immitem Achillem.* Praeterea *observabant* cum Porcio aliquot alii habent codices: quae lectio variat etiam apud Livium ut lib. VII. de II. bel. Pun. *Pub. Scipio quum observari Numidam jussisset:* nam & *asservari* aliquot habent codices. Neque me fugit quid differentiae statuant Grammatici inter *adservare*, & *observare:* quam tamen ego non adeo acceptam ab auctoribus invenio.

774. OBSTUPUI, STETERUNTQUE COMAE. Jam saepe dictum, *obstipui* semper haberi in codicibus antiquis. Sed & *steterant*, exacta specie, aliquot habent exemplaria: quum tamen Probus *steterunt* agnoscat.

775. TUM SIC EFFARI. In antiquis codicibus *tunc* habetur: utrumque idem significat.

777. NON HAEC SINE NUMINE DIVOM EVENIUNT, NEC TE COMITEM HINC ASPORTARE CREUSAM FAS. Quia repererat Servius, *comitem hinc asportare:* quam varie versus a multis corrigatur, repetit. At esse sane versus aliquot, qui scandendi rationem tritam in Grammaticorum scholis non admittant, inficias non ierim. Inveni tamen in codicibus aliquot antiquis, *nec te comitem asportare Creusam fas.* Nam *asportare*, etiam

absque

absque adverbio locali *hinc*, per se plenum satis esse videtur. In Mediceo, & in Porcio, *comitem hinc portare* legitur; neque desunt ingenia eorum, qui *comitem hinc asportare*, recte legi contendant: versumque esse Pentametrum Choriambicum hypercatalecticum. Choriambum enim habere prima & quinta sede, tertia Anapaestum, paribus duobus locis spondaeum. Sed enim de numeris & variis metrorum generibus, quae versum Heroicum ingrediuntur, alibi disserendum erit. Hoc loco malunt peritiores versum exlegem esse.

781. AD TERRAM HESPERIAM VENIES. In vetustis aliquot exemplaribus, *& terram* legitur: & ita etiam habetur apud Donatum.

782. LENI FLUIT AGMINE TYBRIS. In codicibus aliquot pervetustis, pro *leni*, *laeto* habetur; sed Ti. Donatus omnino *leni* agnoscit: ait enim: *Laus interea fluminis illa est*, *quod copiosus*, *quod lenis*, *quod in ipso aquarum redundanti tractu per agros ubertim fluens nihil laedat*.

788. MAGNA DEUM GENITRIX. Ex antiquis plerisque codicibus & ex nomismatis, *genetrix* per *e* scribendum, ut alibi ostendimus.

793. TER FRUSTRA COMPRENSA MANUS EFFUGIT IMAGO. In vetustissimis aliquot exemplaribus Vaticanae bibliothecae, & nonnullis aliis, praecipueque in Longobardico, & in Mediceo, *compressa* legitur: & ita etiam legere est apud Donatum. Facile vero crediderim antiquorum more, *compre'sa*, Sicilico, geminationis nota, super imposito fuisse prius, unde *comprensa* emanarit, eorum errore, qui Sicilicon pro N littera, ut plerunque alias, accepere. Neque illud dissimularim esse veteres codices, in quibus *compressa manu effugit*, absque synaloephe legatur: sed enim hoc non aeque placet, quia versus ita nimium elanguesceret.

794. PAR LEVIBUS VENTIS VOLUCRIQUE SIMILLIMA SOMNO. Non praetereunda fuit lectio Medicei codicis, *Par levibus pennis*, *volucrique simillima vento.* Licet *somno* dubio procul castior lectio sit, & agnita Servio. Et, *Levibus ventis*, alia fere omnia habeant exemplaria.

804. ET SUBLATO MONTEM GENITORE PETIVI. Sunt qui *montis*, plurali numero, legendum adserant. Eam lectionem, ex antiquis codicibus, in Mediceo tantum inveni: in aliis *montem*, unitatis numero scriptum observavi; sed in contextu etiam Donatiano, *montis* est, numero multitudinis.

LIBER TERTIUS.

DIVERSA EXILIA ET DESERTAS QUAERERE TERRAS AUGURIIS AGIMUR DIVOM. In codicibus aliquot manu scriptis, & vetustate ipsa venerabilibus, legere est: *Diversa exilia*, *& diversas quaerere terras.* Sed *desertas* Ti. Donatus agnoscit, ut in integris ejus in Virgilium commentariis legimus: Ex hisque duo pessima Aeneae proposita dicit: Avellebantur quippe a cineribus patriae, diversa exilia & terrarum solitudines petituri: hoc enim modo *Desertas terras* interpretatur. Servius vero, quum videret Terras Aeneae fatis debitas, hominum robore, & frequentia, & hubere glebae commendari: commentus est, non solitudinarias, aut incultas, sed a Dardano desertas, interpretari: quae sententia, sicui magis adrideat, non laboro. Sane vero sunt, qui respexisse Virgilium dicant, ad primam urbis Romae aedificationem: quam Strabo dicat non apto, neque idoneo loco positam, solo neque feraci, neque agro satis ad alendum spacioso; sed quem Romulus & Remus necessitate coacti potius quam voluntate coluerint. Ita enim Strabo: Κτίσαι τὴν Ῥώμην ἐν τόποις ὀ πρὸς αἵρεσιν μᾶλλον, ἢ πρὸς ἀνάγκην ἐπιτηδείοις, οὔτε γὰρ ἐρυμνὸν τὸ ἔδαφος, οὔτε χώραν οἰκείαν ἔχον τὴν πέριξ ὅση πόλει πρόσφορος. In superioribus autem quod vulgata legunt exemplaria, *visum superis*, vetera quaedam habent, *visum est superis*, substantivo verbo interjecto: quod quamvis versum numerosiorem faciat, absque eo tamen structura videtur elegantior. Missa vero sint, quae multa super *fumat* disputant Grammatici, si dixero Comminianum asserere, *fumat*, hoc loco soloecismum esse per tempus.

5. CLASSEMQUE SUB IPSA ANTANDRO ET PHRYGIAE MOL. MON. IDAE. In exemplaribus aliquot antiquis, absque *&* particula copulativa legitur: *Sub ipsa Antandro*, *Phrygiae molimur montibus Idae.* Verum ea particula nimirum loco hoc & necessaria est, & ad venustatem facere videtur. Quantum vero pertinet ad *Antandrum*, Pomp. Mela, *In altero*, inquit, *latere Antandrum. Duplex causa nominis jactatur: Alii Ascanium filium Aeneae, cum ibi regnaret, captum a Pelasgis, ea se redemisse commemorant*, *unde nomen*, *quasi* ἀντὶ ἀνδρός. *Alii ab iis putant conditam*, *quos ex Andro insula vis & seditio exegerat. Hi Antandrum*, *quasi pro Andro*; *illi quasi pro viro accipi volunt.* Stephanus ab *Antandro*, Aeolum duce, appellatam autumat. Eam Aristoteles prius *Edonida* nuncupatam ait, quam Cimmerii centum annos incoluerint. Quae super hoc Servius recitat de Polydoro ea insula redempto, deque eodem lapi-

pidibus obruto, vel in mare praecipitato, partim ex Euripide sunt, quem hic Virgilius sequitur; partim ex aliis. De eo sane longe aliter habetur apud Homerum, qui eum in bello ab Achille pilo confossum ait his versibus:

Αὐτὰρ ὁ βῆ σὺν δουρὶ μετ' ἀντίθεον Πολύδωρον
Πριαμίδην· τὸν γ' οὔτι πατὴρ εἴασκε μάχεσθαι,
Οὕνεκά οἱ μετὰ παισὶ νεώτατος ἔσκε γόνοιο.
Τὸν βάλε μέσσον ἄκοντι ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς.

Quos versus, pro iis qui Graece nesciunt, ita fere ad verbum interpretati sumus,

Priamidem at telo Polydorum invadit acuto
Ora deo similem, genitor quem in bella vetabat
Ire, satus quoniam natorum hic ultimus esset:
Hunc medium ipse acer pilo transfixit Achilles.

12. CUM SOCIIS NATOQUE PENATIBUS ET MAGNIS DIIS. In antiquis aliquot codicibus, *gnato* cum G ante N: prout veteres scriptitasse Victorinus auctor est: & *dis* unico I, κατὰ κρᾶσιν. Probus tamen mavult *diis* per duas II litteras scribi.

15. HOSPITIUM ANTIQUUM TROJAE. In antiquo admodum codice legere est, *anticum:* & ita inferius: *Terra antica*, per c, eadem proportione, qua *posticum* dicimus. Ait tamen Velius Longus, in uno ex his u insertum esse: in altero minime, ne quis novam hanc esse quaestionem putet.

18. AENEADASQUE MEO NOMEN DE NOMINE FINGO. Adnotat Servius *Aeneadas* non *Aenos* a Virgilio dictum: quippe quod constet *Aenum*, ante Trojana bella celebrem fuisse urbem. Homerusque Ἰλ. δ. Ductorem Thracum ex Aeno venisse dicit, Ὃς ἄρ' Αἰνόθεν εἰληλούθει. Is vero forte ad sua tempora respexit, quod & Virgilius eo loco fecit: *Portusque require Velinos:* nam Plinius omnino *Aenos* oppidum Thraciae memorat: ubi Polydori tumulus, & ab Aenea conditum, cui sacrificium quot annis, ut conditori fieret, etiam apud Livium legas his verbis ex antiquo codice desumptis: *Proficiscuntur ab Thessalonica Aenum ad statum sacrificium, quod Aeneae conditori cum magna cerimonia quotannis faciunt.* Addam etiam illud, paulo supra, corrigendum in eadem Liviana pagina: *Paris abominatus mentionem tam foedi facinoris ad Aenon deportaturum eos dixit.* Quod in cod. vulgatis *Atheneo* legitur, & nonnulli prave *Athenaeum* corrigere tentarunt, Apud Harpocrationem tamen legi: *Ephorum tradere urbem eam primum a Graecis Vulpinarium insularum accolis habitatam: postremo vero ex Mitylene & Cumis coloniam eo traductam.* Oppidum sane id *Absynthon* alio nomine vocatum ait Stephanus, de quo si quis plura quaesierit, Strabonis septimum legat.

26. VIDEO MIRABILE MONSTRUM. In codicibus aliquot manu scriptis, *miserabile* legitur; sed *mirabile* id fuisse Ti. Donatus ait, quod sanguis ex ligno flueret.

27. NAM QUAE PRIMA SOLO RUPTIS RADICIBUS ARBOR VELLITUR, HUIC ATRO LIQUUNTUR SANGUINE GUTTAE. In antiquo admodum codice scriptum erat: *nanq. ubi prima:* & pro *huic atro:* *hinc atro*, ut adverbium adverbio responderet: recenti vero emendatione repositum id, quod in vulgatis habetur exemplaribus. Pro *liquuntur* autem sunt vetera exemplaria, quae *linquuntur* habent; sed enim *liquuntur* magis omnino placet, quod etiam agnoscit Servius.

33. ATER ET ALTERIUS SEQUITUR DE CORTICE SANGUIS. In codicibus antiquis plerisque *alter*, non *ater*, habetur. Animadverti vero in aliquot exemplaribus, L litteram abrasam esse: in aliquot additam aliena manu, ut in Mediceo discernitur.

37. TERTIA SED POSTQUAM MAJORE HASTILIA NIXU ADGREDIOR. *Nisu* unico S scribi placere Valerio Probo, qui nomen appellativum *nisus*, nihil differre ait scriptione a nomine proprio *Nisus*, & plura ita exemplaria vetusta convenire, dictum. Majoris illud momenti, quod Sosipater Carisius, ubi de adverbiis per ordinem agit, versum hunc citans agnoscit *tertio* adverbium. Cujus ut stet sententia; vel Creticus Heroico condonandus; vel manifesta Synizesis admittenda; vel o breve fuerit ea ratione quod ajunt Grammatici, o finalem saepe corripi, quando in adverbium transeat, ut *cito*, *sero*, *modo*. Statius: *Sero memor thalami.* Martialis: *Accipe quomodo das.* Sed enim vix tanti fuerint Grammatici veteres, ut *tertia hastilia* cuiquam displicere possit. Sit sane locus adverbii, ut *tertia* pro *tertio*, positum sit: nomen pro adverbio positum saepe apud auctores omnes reperimus.

41. JAM PARCE SEPULTO. Sunt codices antiqui, ubi *sepulchro* legatur. Quam lectionem Ti. Donatus agnoscit; nisi ter eadem pagina eodem verbo peccatum est.

43. NON ME TIBI TROJA EXTERNUM TULIT. Sunt codices nonnulli, in quibus *extremum* scriptum est. Sed enim Servius cur *externum* legendum sit, rationem adjicit, Polydorum civem & cognatum Aeneae fuisse. Eadem apud Livium sententia, ubi Scipio milites ad Ilergetum excidium ferociter accendit: *Non enim eos*, ait, *esse*, *neque natos in eadem terra, nec ulla secum societate conjunctos.* Et eruditus ille vir, qui Virgilium in aedibus Aldi tertio editum emendavit, in recognitione, *externum* subjecit. Quae dicta volui, quia nonnullos esse scio, qui lectionem *extremum* ament, referrique ad nobilitatem generis dicant, clamante scilicet Polydoro se non extremo loco natum, quo debeat ita contemptui & injuriae expositus esse: quod ridiculum est.

43. AUT CRUOR HIC DE STIPITE MANAT. In

In antiquis aliquot codicibus, *haud* legitur, puncto firmo praefixo. In multis vero observes aspirationem abrasam. Quo quidem loco *aut*, pro *neque* positum ait Priscianus, De constructione.

46. Jaculis increvit acutis. In codicibus aliquot antiquis, *implevit* habetur: paraphrasi etiam adjecta, *habundavit*. Ti. Donatus, ut in integris ejus commentariis habetur, verbum id exponit: *crebro percussit*, accipiendumque esse, ut non remanserit locus immunis vulnere: & paulo superius dixerat ad illius funus accumulato ferro multitudinem saevam confluxisse. Tu, quae Servius de hasta Romuli dicat, videris.

48. Obstupui steteruntque comae. In antiquis aliquot cod. legere est, *obstipui steterantq.* Sed enim *steterunt* & receptum est a doctis viris, & agnoscitur a Valerio Probo. De syllaba vero, quae pene ultimam praecedit in *obstipui*, satis alibi dictum, ne toties eadem repetamus.

53. Ille ut opes fractae Teucrum et fortuna recessit. In codicibus aliquot antiquis, non habetur *&* copulativa particula, quae quidem non sine laesione tam numeri, quam elegantiae, judicio meo ex hoc versu detrahi potest.

58. Primumque parentem. Vetera quaedam exemplaria, *parentum* legunt: hoc est primum ex patribus, aut ex senioribus; sed *parentem* magis omnino placet.

64. Atraque cupresso. In antiquis plerisque codicibus, *cupressu* est: non tam, quia nomen quartae olim fuerit declinationis, quam quod multa hujusmodi passim reperiuntur apud veteres o in u mutasse, prout multi adhuc loquuntur populi, maximeque a Piceno in Brutios usque. Testimonio vero sunt monumenta pleraque, in quibus antiqua scribendi ratio sese fidelius, quam in libris ostentat. Vidi ego Spoleti extra portam divi Petri dejectum ad ripam fluminis lapidem, in quo scriptum erat pulcherrimis characteribus:

IN. FRONT
P. XIIX.
IN. AGRU
P. XIIX

In monte vero Tarpeio, antiquissimo sane monumento legitur, HERCULES INVICTE CAUTIUS HOC TUO DONU. Pro DONO Quid quod ANNUS, pro ANNOS Romae pluribus locis legas. In Aede Divae Sabinae: JUSTA QUAE BIXIT ANNUS L. MENSIS V. DIES XX. Et alibi: NICEPHORUS PITINNUS QUI VIXSIT ANNUS DUO. In quo illud etiam adnotatione dignum, quod in VIXIT s littera adjecta est post x, veluti saepe alibi: AUXSILIUM, MAXSUMUS. Et hujusmodi pleraque reperiuntur eodem modo scripta. Sed ut ad Virgilianam lectionem redeamus, in Mediceo prius *cupresso* per o scriptum erat, nunc, ea abrasa, vocalis u superaddita est aliena manu.

65. Iliades crinem de more solutae. In antiquis aliquot codicibus, *crinis* legitur numero multitudinis; sed magis poeticum est *crinem*, per figuram intellectionis.

70. Et lenis crepitans vocat auster. In codicibus aliquot antiquioribus: *lene crepitans:* quod quidem & placeret, & erudite positum videretur, nisi *levis* agnoscerent interpretes: quorum haec paraphrasis: *Nam tempus fiduciam dabat, quo & mare placidum fuerat, & flatus ita temperati, ut lenitate sua, etiam invitos hortari potuissent ad navigandum.*

74. Nereidum matri, et Neptuno Aegaeo. Ut missas faciam varias multorum lectiones & sententias in hoc versu, quum alii *Neptunio*, legendum velint: alii *Aegaeaeo*, ut in codice Longobardico est, *Neptuno Aegaeo*, absque synalephe: veluti etiam *matri et*, ad Graecorum imitationem posita non inerudite docti omnes arbitrantur.

75. Quam pius arcitenens oras et littora circum errantem. Antiqui aliquot codices, *prius* legunt: et si *prius errantem*. Sed magis placet *pius*, ut ostendat Apollinem eo beneficio insulam promeruisse, ob officium matri suae toto orbe erranti praestitum: cujusmodi pietas filium addeceat.

76. Errantem Mycone celsa Gyaroque revinxit. Antiqui codices plerique omnes hoc dictionum ordine versum legunt: *Errantem Gyaro celsa My. q. re. Gyaron* enim, genere muliebri dici, auctor Stephanus. Neque vero tacendum *Gyaro* nomen aptoton esse Probo Grammatico, *haec Gyaro, hujus Gyaro* declinanti. Cujusmodi esse etiam *Celeno* tradit. Illud sane scitu dignum, quod Antigonus Caristius esse in ea insula mures tradit, qui ferrum abrodant. Pro *Mycone* autem *Mycono* passim in veteribus exemplaribus inveni, ita quidem Graece scribitur, Καὶ Μύκονος λέγεται μία τῶν Κυκλάδων. Et eo casu quippe in *os* finitum nomen apud Strabonem & Thucydidem reperitur. Quod vero Gigantes illos, quos postremo Hercules confecerit, in ea positos fabulantur, ut apud Strabonem libro x. legere est, animadvertendum est, codices etiam Graecos variare. In aliquibus enim legitur, Τῶν γιγάντων τοὺς ὑστάτους: quod nimirum postremos significaret. Sed in aliquot aliis Τοὺς ἰσχυροτάτους legas, hoc est validissimos. Unde forte sit proverbio locus, *Omnia sub unam Myconum*, quum superfuisse adhuc aliquid longe difficilius ad expugnandum innuamus: Vel id denique confectum esse, quod se nostris conatibus difficillimum objecisset. Neque vero haec a me dicuntur,

tur, ut alterius cujuſpiam ſententiam improbem; ſed quia non temere ſcriptum crediderim validiſſimos Gigantum in ea poſitos.

79. EGRESSI VENERAMUR APOLLINIS URBEM. Sunt antiqui codices, in quibus, *eggreſſi*, G littera geminata, ſcriptum invenias: quod verbi compoſitio ſit ab *extra* & *gradior*, non ab E & *gradior:* ideoque ſit ea littera geminanda: ut ex compoſitae dictionis ſingulis partibus aliquid appareat. E quippe & C, quod in X duplice littera latitabat, *ecgreſſi*. Inde C ob cognationem in G abeunte *eggreſſi*. Ita olim *exſfatus*, mox *ecfatus*, tactum a Ter. Scauro: & omnium denique uſu *effatus* receptum.

82. OCCURRIT, VETEREM ANCHISEN AGNOSCIT AMICUM. In antiquiſſimo codice *obcurrit*, praepoſitione incolumi ſcriptum eſt, quod improbat Scaurus. Eodem modo *agnoſcit:* quamvis in Mediceo, & in pleriſque aliis *adgnovit*, praeterito tempore poſitum eſt, quodammodo redditio cauſſae videtur eſſe, cur occurrerit. Sane praeteritum *agnovit* hoc loco Pontanus etiam agnoviſſe videtur.

84. TEMPLA DEI SAXO VENERABAR STRUCTA VETUSTO. In pleriſque codicibus antiquis, *veneramur*, numero plurium habetur. Sed multa ſupra *bar* ultimam ſyllabam *mur* notatum habent, non tam variandae lectionis cauſſa, quam paraphraſeos. Quippe ut *venerabar* pro *venerabamur* poſitum innuant: quia verba reliqua eadem periodo contenta, ſunt in pluralitatis numero, *jungimus*, *ſubimus*. Sed enim, quia ſubſequuntur preces in perſona Aeneae nuncupatae, mihi non diſplicet, *venerabar*, unitatis numero: nam etiam in VI. reliquis hoc vel illud procurantibus, *Pius Aeneas arces, quibus altus Apollo Praeſidet, horrendaeque procul ſecreta Sibyllae, Antrum immane petit.* Quod vero *ſaxum vetuſtum* appellavit, id redigit in memoriam mihi, quod apud M. Tullium in Verrinis legere eſt, ubi de hac inſula loquitur, & Apollinis templo: *Eſt enim tanta apud eos ejus fani religio atque antiquitas, ut in eo loco ipſum Apollinem natum eſſe arbitrentur.*

91. LIMINAQUE LAURUSQUE DEI. Illud ego ſane praeteriturus eram, inveniri codices manuſcriptos, in quibus *leimina* per *ei* prima ſyllaba ſcriptum ſit: & ita alibi, ut in II. *leimen erat:* niſi Probus Grammaticus interpellaſſet, nomina eſſe dicens, quae plenitudinem patiuntur, hoc eſt, quae *e* littera plus ſcribantur: ut puta, *limen*, *leimen*. In Carilii ſane codice, quem lectitavi, ubi ex C. Julii Ro. ſententia, *laurus*, hoc loco numero multitudinis poſitum aſſeritur, animadverti *numinaque lauruſque* citatum eſſe, non *limina:* quod quidem memoriae lapſu factum crediderim a librario, donec quid magis fide dignum invenero: quum *limina*, caſtior omnino lectio videatur, quam tot veteres cod. oſtendant, Quintilianus agnoſcat, & Val. Probus octavum poſitionis modum obſervet in *Liminaque lauruſque Dei*, ſicuti ſeptimum in eo verſu: *Omnia vincit amor, & nos cedamus amori.*

93. ET VOX FERTUR AD AURES. Codices antiqui omnes ii, qui *aures* admittunt, *auris* per *i* ſcribunt, ex Velii ſententia; ſed ſunt etiam vetera quaedam exemplaria, in quibus *ad auras* ſcriptum invenitur, quod quidem non ita placet.

94. QUAE VOS A STIRPE PARENTUM, PRIMA TULIT TELLUS. In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *de ſtirpe:* ſed *a ſtirpe*, jam omnes recipiunt.

104. CRETA JOVIS MAGNI MEDIO JACET INSULA PONTO. Non temere quaerit Servius, cur *medio ponto* dixerit Virgilius: neque inſulſe dubitationem ſolvit, dum tot maria enumerat, quae Cretam inſulam adluunt. Dicamus itaque *medio ponto*, id eſt, ambiguo. Hic enim eſt Latinitatis modus, ut ea in medio eſſe dicamus, quae nulli adhuc parti ſint adjudicata. Sed in Virgilianam hanc ſententiam nemo proclivius ivit quam Solinus: ait enim is: *Pronius eſt Cretam dicere, quam abſolvere, in quo mari jaceat. Ita enim circumflui illius Graeci nomina permiſcuerunt, ut dum alia aliis ingerunt, pene oblimaverint univerſa.*

108. TEUCRUS RHOETEAS PRIMUM EST ADVECTUS AD ORAS. In codicibus aliquot antiquis, *Teucros*, idiomate Graeco ſcriptum eſt, in Longobardico *Teucer;* ſed enim Soſipater Car. ex Aurelii ſententia, nomina quae apud Graecos aut per ρος, aut per τρος, aut per δρος, aut per κρος, efferuntur: ea omnia, omiſſa Graeca extremitate, per *er* apud nos efferri, & per ſecundam declinationem declinari docet: ut, ἀγρὸς, *ager*, *agri;* Ἀντίπατρος, *Antipater*, *Antipatri;* Μένανδρος, *Menander*, *Menandri;* Τεῦκρος, *Teucer*, *Teucri.* Quanquam ait ille, Virgilius *Teucrus*, & *Evandrus* extulerit. Praeterea duo tantum nomina deſignat, quae ſemper in ſuo ſtatu permaneant, *Codrus* & *congrus:* non enim dicitur *Coder*, neque *conger*. Priſcianus etiam hoc citato verſu Virgilium ait *Teucrus* & *Euandrus* protuliſſe. Quod vero vulgata plurimum exemplaria legunt, *ad oras*, antiqui plerique codices cum Mediceo *in oras* habent; ſed etiam *ad* reperitur.

111. HINC MATER CULTRIX CYBELE CORYBANTIAQUE AERA. Quia varia litterarum verſura totus hic verſus in antiquis codicibus deluxatus eſt, lectio ea nonnullis magis adridet: *Hinc matris cultri Cybeles:* ut adludatur ad evirandi ritus, quum praeſertim ſequatur ad ſacrificii ſupplementum *Corybantiaque aera*. Alii legunt *cultrix Cybeli:* quae ſcilicet *Cybelum* Phrygiae montem in-

incoleret, a quo Dea sit *Cybele* cognominata. Porro *Cybelum* Ti. Donatus agnoscit in XI. locum, in quo *Cybele* colebatur. Sane Κυβίλλον, Phoeniciae oppidum, agnoscit Herodianus. Κυβίλλα vero oppidum ajunt Phrygiae, & Κίβιλλον, facellum, a quo Rhea sit *Cybele* appellata: neque non Κυβελιμίδες & Κυβελίς, ut Pisander in X. Quantum vero pertinet ad *l* litteram in eo nomine nunc simplicem, nunc geminatam, poëtae id ex commodo suo factitare solent; non quod ea scriptione Phrygiae oppidum ab altero Phoeniciae discernatur. Legamus itaque: *Hinc mater cultrix Cybeli.* Quam lectionem Servius etiam videtur agnovisse. Est autem *colere*, inter alia significata, locum aliquem praesentia sua honorabilem reddere, ut eo loco: *posthabita coluisse Samo.* Et: *Pallas, quas condidit arces, ipsa colat.* Et apud Livium: *Vos Ceres mater, ac Proserpina, precor, caeteri superni inferique Di, qui hanc urbem, hos sacratos lacus, locusque colitis.*

123. Hoste vacare domos. In exemp. admodum vetustis *domum* legi, numero unitatis; sed plenius est *domos* dicere, quod satis universae facit multitudini, commodumque ita omnibus hospitium pollicetur.

125. Bacchatamque jugis Naxon viridemque Donysam. In codicibus aliquot antiquis, *Donusam* per *u* Latinam vocalem in pene ultima scriptum legas: non hic, quia ut Verrio Flacco placet, eadem apud nos *u* littera sit, quae apud Graecos *y* psilon: sed quia insula ea Διονυσία, Graecis est, κατὰ παραφθορὰν ex *Dionysia*: quippe quod Bacchus in eam ex Naxo trajecerit Ariadnam, quam Minos pater insequebatur. Est & *Donusam* legere in antiquo Taciti codice, iis libris, quos Leo X. Pontif. Opt. Max. ab interitu vindicavit, pro hac eadem insula: *Nason* vero in codicibus aliquot per *s* notatum invenies. Graeci tamen per ξ nomen hoc scriptitare solent. Eodem hoc modo apud Livium in captivitate Syracusarum corrigendus locus ex veteri codice: *Epicides ab insula, quam ipsi Naxon vocant.* Nam *Nason* per *s* in impressis codicibus habetur. Sed ut ad *Naxon* alteram, qua de nunc agitur, redeam; illud minime praeterierim, traditum ab Asclepiade: *Naxias mulieres solas hominum octimestrem foetum vitalem parere.* Sive quod Bacchus sibi Junonem conciliaverit: sive quod eo temporis spatio sit ipse natus, cujus rei memoriam ita voluerit illustriorem fieri.

126. Olearon. In antiquis aliquot exemplaribus, *Oliaron:* secunda vocali per ἰῶτα scriptum invenies, uti etiam scribitur apud Graecos: de qua ita traditur: Ὠλίαρος νῆσος τῶν Κυκλάδων μία. Solent tamen Latini ἰῶτα libenter in E vertere, vocali alia praecipue subsequente, ut in nomine *Aethereus.* Fuit vero *Oliaros* Sidoniorum Colonia, ut Ponticus Heraclides tradit, in libro de Insulis Ea vero a Paro distat octo & L stadia. Niveamque Paron. In codicibus aliquot antiquis, *Parum*, idiomate Latino scriptum inveni; sed enim propria nomina Graece declinata, plerunque nescio quid venustius sonare videntur. Sic *Paron* magis placet. Ita etiam apud Historicos, ut in ant. Livii cod. *Corinthon* legi: &: *Clam Cypron profugit:* & alia hujusmodi pene innumera.

127. Crebris legimus freta concita terris. In codicibus aliquot manu scriptis legi: *freta concita remis.* Frequenti quippe navigatione solicitat, quod quidem fieri in multarum insularum, earundemque passim habitatarum, vicinitate, par est; sed neque displicet *terris*, ut freta dicat crebris incursationibus tam frequentium insularum concitari.

128. Nauticus exoritur vario certamine clamor. Sunt naris admodum emunctae viri, qui pro *certamine*, legendum autument *hortamine*, sustinerique versum adspirationis vi contendant. Eam ego lectionem nusquam in antiquis codicibus inveni. Legi vero apud Ti. Donatum, in navi varia esse officia, & tamen omnia cum certamine & labore. Quare quam is lectionem agnoverit, meridiana luce clarius apparet.

133. Pergameamque voco laetam cognomine gentem. In pluribus antiquis exemplaribus versus hic in duo membra dispescitur: cum superiori enim versu: *Ergo avidus muros optatae molior urbis*, hemistichium adjungunt: *Pergameamque voco:* coma mox interjecta subjungunt: *& laetam cognomine gentem Hortor amare focos.* Pontanus versum pro unico membro citat: non taciturus, si & illud insertum agnovisset.

135. Jamque fere sicco subductae littore puppes. Tria in hoc versu nomina geminatis consonantibus notata, in antiquis codicibus simpliciter scribuntur, *sico*, *litore*, & *pupes:* sive ita deposcat analogia: sive quia, ut Victorinus ait, antiqui consonantes geminare non consuerunt: ut in his *Annus*, *Lucullus*, *Memmius*, & his similibus. Supra vero consonantem, quam geminari oportebat, Sicilicon imponebant: cujus figura haec est Victorino: *An'us*, *Lucu'lus*, *Mem'ius:* idque signum geminandi apparere in multis veteribus adhuc scriptis libris attestatur. Sed enim de *litore* cur unico omnino *t* scribi debeat, in VII. disputatum.

140. Linquebant dulces animas, aut aegra trahebant Corpora. In codicibus aliquot antiquis una eademque periodo concluduntur: *Et laetifer annus Linquebat dulces animas, aut aegra trahebant Corpora:* ut *Laetifer annus* sit subjectum. In aliis tamen exemplaribus cariosioribus legi: *Linquebant animas dulcis, aut ae-*

gra

gra trabebant Corpora: quae lectio recepta.

143. RURSUS AD ORACULUM ORTYGIAE. In antiquis plerisque codicibus *oraculum*, integra dictione scriptum invenias. In quo forte putabant *a* secundam syllabam a principio corripi posse ratione polysyllabicae dictionis: quod ajunt quidam in hujusmodi vocabulis medias plerunque ad placitum poni, ut *Sidonia Dido*, & *Sidoniam picto*. Sed enim omnes jam probant *oraculum*, κατὰ συγκοπήν.

145. QUEM FESSIS FINEM. In antiquis aliquot codicibus *quam* legitur, f. g. ut hoc loco Non. Marcellus agnoscit: quamvis alibi dictum sit a Virgilio: *Hic finis fandi. Finem* porro f. g. proferre maluerunt Varro, Cassius, Caecilius, Attius, & Lucretius.

162. AUT CRETAE JUSSIT CONSIDERE APOLLO. In codicibus aliquot antiquis replicata negatione legitur: *haud Cretae:* uti prius etiam erat in codice Mediceo, quod Interpretes non admittunt. Sunt etiam codices, in quibus, *consistere* legatur; sed *considere*, magis placet, ut illud: *Vultis & his mecum pariter considere regnis.* Quod vero *Cretae* adverbialiter, ut urbium propria nomina positum sit: nequis carminis id necessitati condonandum dicat, oratores etiam eadem usos elocutione scimus. Apud Varronem libro primo de Agricultura: *Itaque Cretae ad Cortinam dicitur Platanus esse, quae folia hyeme non mutat.*

165. OENOTRII COLUERE VIRI. In antiquis plerisque codicibus, *Oenotri*, unico I scriptum est: ut in primo diximus. Quanquam etiam si *Oenotrii* scribatur II geminato, duo illa II unica pro syllaba per eam, quae frequentissima est apud veteres poëtas, figuram Synizesin, accipientur. Non aliter ac *dii* unica syllaba Grammatici quidam veteres enuntiari jubent, duabus quantumvis scriptum vocalibus, quae minime coire in diphthongum possint. In monumentis autem veterum saepe videas eam litteram geminari Attiano more, pro unica vero proferri: ut illud Romae: LIBERTIS LIBERTABUSQUE SUIIS. Quam tamen dictionem, liceat haec in doctorum quorundam gratiam inserere, etiam per *ei* scriptam ex instituto Lucilii non semel invenias, ut illud: MONUMENTUM FECIT ET SIBI ET SUEIS. Eandem porro scribendi varietatem in nominativo plurali masculini generis a pronomine *Is, ea, id*, observavi: nam in arcu Aquae ductus, qui est in Celio monte, scriptum est: P. CORNELIUS P. F. DOLABELA, & quae sequuntur, FACIUNDUM CURAVERUNT: EIDEMQUE PROBAVERUNT. Attiano vero more in arcu quodam legitur inter Aventinum & Tyberim: P. LENTULUS. C. N. C. SCIPIO. T. QUINTUS CRISPINUS, VALERIANUS COS. R. S. C. FACIUNDUM CURAVERE, IIDEMQUE COMPROBAVERE. Ut ex hoc etiam terminationes illas *curaverunt*, & *curavere; probaverunt*, & *probavere:* eodem accipi significato videamus, quum alteram in *re* scilicet exeuntem, nonnulli dualis esse numeri voluerint.

166. DIXISSE DUCIS DE NOMINE GENTEM. Quod in codicibus aliquot antiquis *duxisse* legatur, librariorum omnino negligentia factum puto. Nam tota haec sententia super nominis nuncupatione versatur.

170. CORITUM TERRASQUE REQUIRE. In codicibus aliquot antiquis, *requiras*, legitur; sed plura sunt exemplaria manu scripta, quae cum Mediceo & eo, quem mihi Camillus Porcius legendum dedit, *requirat*, tertia persona legant. Ad Anchisen enim haec referenda sunt, & ejus acquiescendum est sententiae, quam lectionem Ti. Donatus etiam agnovisse videtur.

172. VISIS AC VOCE DEORUM. In antiquis plerisque codicibus, *& voce* legitur, prout etiam est in Donatiano codice: verum *ac* minime displicet.

176. CORRIPIO E STRATIS CORPUS. Antiqua aliquot exemplaria, *corripio stratis*, absque praepositione separativa legunt, ut: *Haud segnis strato surgit Pal.*

181. SEQUE NOVO VETERUM DECEPTUM ERRORE LOCORUM. In antiquis aliquot codicibus, *errore parentum* legitur; sed quia sermo est de sedibus fato praemonstratis, *locorum*, in multis etiam reperitur, atque ea lectione plurium, subditicia priori abrasa, quae *parentum* fuerat.

187. CASSANDRA MOVERET. In codicibus aliquot antiquis, *moneret* scriptum est. Magis vero placet *moveret:* ut sit: cui nam hoc ea persuasisset, Trojanis rebus tunc adeo florentibus?

203. TRIS ADEO INCERTOS CAECA CALIGINE SOLES. Vetera quaedam exemplaria, ad Kappacismum declinandum, dictionum ordinem ita disponunt: *Tris adeo caeca incertos caligine soles.* Servius tamen cacephaton illud videtur agnovisse.

204. ERRAMUS PELAGO, TOTIDEM SINE SIDERE NOCTES. In codicibus aliquot antiquis, *& totidem.* In aliquot, *totidem & sine.* Sed enim magis placet, si particula ea penitus submoveatur: quae lectio est etiam codicis Medicei.

206. AC VOLVERE FUMUM. In Mediceo codice, *ac ducere fumum*, legitur; proprium tamen est fumi tortuose volvi ob crassitudinem, dum cum aëre colluctatur.

210. ME LITORA PRIMUM ACCIPIUNT. In veteribus aliquot exemplaribus, *excipiunt*, legitur. Quia dixit *Servatum ex undis.* Sed enim & accipere in hoc significato non improprium, ut: *Hinc Drepani me portus & inlaetabilis unda Accipit.*

221. Nullo custode per herbam. In antiquis aliquot codicibus, *per herbas*, numero multitudinis legitur: quod parvi tamen momenti est.

223. Vocamus In praedam partemque Jovem. In plerisque pervetustis codicibus dictionum ordo mutatus est in hunc modum: *in partem praedamque*. Et hanc lectionem agnoscit Servius.

226. Quatiunt clangoribus alas. Antiqui nonnulli codices *plangoribus* legunt: hoc est, alarum quassationibus strepitum cientibus: nam *clangor* diversum quid significat, nisi velimus intelligere additas etiam voces horribiles alarum strepitui, ut utroque modo territarent. Quod tamen aliorum judicio relinquimus.

232. Rursum in secessu longo. Quod in codicibus plerisque veteribus legere est: *rursus in secessu:* & ita inferius, *rursus ex diverso*, non ita absurdum est, ut non suos fautores habeat. Aliique pedem Amphimacrum, quo etiam alibi usus sit Poëta noster, esse contendunt: alii collisionem ex *u* & *s* fieri, ut alias nonnunquam. Tametsi non sum nescius veteres quosdam Grammaticos negare *rursus* per *s* dici, sed *rursum* per *m*, ut *Iterum*, proferri debere. Cui quidem opinioni ita adhaerescunt, ut illud etiam *rursus ad oraclum*, superius habitum, *rursum*, absque ecthlipsi legi contendant. Sed video apud doctos haec jam ex usu recessisse, paucissimosque esse, qui veterum hujusmodi figuras ferre possint.

233. Turba sonans praedam pedibus circumvolat uncis. In antiquis aliquot exemplaribus, sublata dictione *praedam*, legere est: *Turba sonans pedibus subito circumvolat uncis:* quod itidem superius dixerat. Sed enim mihi placet legere *praedam*, ut & rem, qua dolebant, tangat, & varietur versus, ne in Homericum τὸν δ' ἀπαμειβόμενος recidat.

236. Tectosque per herbam. In antiquis aliquot exemplaribus, *per herbas* legitur, plurali numero; sed hoc parvi est momenti.

248. Bellumne inferre paratis. In antiquis aliquot exemplaribus affirmative, non interrogative, legitur *bellumque inferre paratis*, elocutione eleganter continuante cum *&*, quod subsequitur: *& Patrio Harpyias*. Diximus enim alias Homericum, & omnium apud Graecos praestantium Auctorum, esse, post τε addere καί. Quod & diligenter & frequenter admodum Virgilius imitatur. Quamvis non negarim in interrogatione plus esse ponderis, & majorem objurgationis vim, quae minas etiam tacite secum trahat, & confessionem criminis. Quare lectionem eam, *bellumne*, nequaquam immutarim. Quod vero in vulgatis habetur exemplaribus: *& patrio insontes Harpyias:* ut leve praeteriissem: nisi multorum veterum codicum consensu monitus essem ad vocalitatem facere, quod in eis alio dictionum ordine legitur: *& patrio Harpyias insontis pellere regno.* Illud autem minime dissimulandum, quod in *Harpyiae* nomine scribendo variant Librarii. Multi siquidem Servium secuti, pene ultimam diphthongum ponunt impropriam, ut apud Graecos scribitur Ἅρπυιαι. Quorum a sententia longe diversus est Sosipater Carisius, qui negat ι litteram coalitam in diphthongum esse *y* litterae praecedenti: sed pro consonante accipi debere. Syllabam enim eo etiam inquit modo positione longam fieri, si vocalem brevem sequatur: *i* vice consonantis posita, ut *Harpyjae*. Quare si diligentissimo Grammatico credimus, in eo nomine, *jae* ultima syllaba per tris litteras erit enuntianda, quam alii in unam tantum diphthongum puram abire contendunt.

252. Vobis furiarum ego maxima pando. In plerisque veteribus exemplaribus, non est pronomen in contextu, sed ita legitur: *Furiarum maxuma pando.* Sed pronomen illud & emphasim habere, & sententiam adjuvare, & numerum vocaliorem efficere videtur.

258. Dixit et in silvam. In codicibus plerisque vetustioribus *in sylvas* legitur, numero multitudinis: utcunque parvi hoc refert.

265. Di prohibite minas, Di talem avertite casum. Antiqui aliquot codices, *prohibete nefas*, & *avertite pestem* legunt. Cujusmodi hemistichium habemus inferius de Cyclope. Sed *minas*, & *casum*, ut in Mediceo, & in vulgatis codicibus legitur, omnino melius est.

268. Fugimus spumantibus undis. In codicibus aliquot antiquis *ferimur* legitur. Interpretes vero *fugimus* agnoscunt, quod festinationi apte congruit.

269. Gubernatorque vocabant. Verbum id numero plurali fere passim habetur in vulgatis codicibus: sed in antiquis aliquot, *vocabat*, ut propinquiori adhaereat.

270. Nemorosa Zacynthos. Vulgata pleraque omnia exemplaria, *Zacynthos*, idiomate Graeco scribunt. Sed in antiquis nonnullis, *Zacynthus*, Latino casu scriptum est: delectat tamen casus ille Graecus in propriis praesertim nominibus. Praeterea Probus in Arte, eo capite, quo agit de nominibus foeminini generis in os rectum terminantibus, & ablativum in o, in exemplum ponit nomen hoc *Zacynthos*.

271. Dulichiumque, Sameque, et Neritos. Sunt codices aliquot antiqui, in quibus *Samosque* legitur. Sed *Same* alia, alia vero *Samos* Servio est. Apud Homerum tamen, qua de nunc agitur, *Samos* scribitur, Σάμον τε παιπαλόεσσαν Ὀδ. δ.

Et

Et in Catalogo de iis, qui Ulyssem secuti sunt, Οἱ Σάμον ἀμφινέμοντο; itaque *Samos* recte.

272. EFFUGIMUS ITHACAE SCOPULOS. In antiquis fere omnibus legas, *Effugimus scopulos Ithacae*. Nempe quia Tritimemeri timuerunt: atqui, nisi caesurae suam velimus auctoritatem esse incolumem, certe ut Graeci tradunt, & Latini, vel in principio dictionis, etiam pro vocali collocat, vim habet producendi praecedentem syllabam natura brevem: cujus rei exemplum ponunt ex Ἰλ. ξ.

Νέστορα δ' οὐκ ἔλαθεν ἰαχὴ, πίνοντά περ ἔμπης.

Ita illud, de quo supra, apud nos volunt: *Pectoribus inhians spirantia consulit exta*. Sed utcumque haec accipiantur, passim tamen observamus tam Graecos quam Latinos auctores caesuris plurimum tribuisse. In Mediceo autem codice non tantum est *scopulos Ithacae*, verum una plus dictione legitur, *& Laërtia Regna*. Magis tamen placet appositive positum, absque *&* copulativa.

273. DIRI EXECRAMUR ULYSSIS. In Mediceo codice *Ulyxei*, ut: *Ajacis Oilei*.

280. ACTIAQUE ILIACIS. In plerisque veterum exemplarium codicibus, *Accia* duplici *cc* notatum inveni, & ita nomen proprium *Accius*, quod Victorinus per duo *tt*, *Attium*, ut *Vettium*, & hujusmodi quaedam alia scribi deberi contendit. Sed enim loco hoc *Actius* & *Actiacus* per *ct* scribendum: in nummo enim Augusti Divi F. qua parte Apollo cum lyra spectatur, cum litteris a lateribus IMP. X. sub pedibus Dei, ACT. hoc est, *Actiacus* legitur. De ludis vero Actiis Harpocration ait: *Actia antiquos esse ludos, de quibus Callimachus meminerit in libro de Certaminibus*.

292. PORTUQUE SUBIMUS CHAONIO. Valerius Probus legit: *Portusque subimus Chaonio* per Ω mega genitivo casu, ut *Androgeo*: quum tamen non inficietur esse etiam, qui legant: *Portusque subimus Chaonios*, utrumque accusativo casu; sed enim Serviana sententia minime displicet, quae cum veteribus exemplaribus *Portu Chaonio* lectionem agnoscit, ut: *subeunt muro*.

293. BUTROTI ASCENDIMUS URBEM. Vetera pleraque omnia exemplaria *accedimus* legunt: nondum enim portu progressi sunt. Dixerat tamen *celsam urbem*, atque ita, *ascendimus*, non improprie.

298. OBSTUPUI MIROQUE INCENSUM PECTUS AMORE. Ut missum faciam *obstipui*, de quo saepe dictum, codices nonnulli admodum vetusti legunt, *incensum est pectus*; sed forte illud ex paraphrasi huc insertum.

319. PYRRHIN' CONNUBIA SERVAS. In antiquis aliquot codicibus legere est, *Pyrrhi an connubia servas*. Ut sit: Andromache, servas ne connubia Hectoris, an Pyrrhi? Sunt, qui & *Andromachen* legant, ut uno membro totum id colligatur: *Quae digna satis fortuna revisit Hectoris Andromachen?* Sed enim longe magis placet eruditis ingeniis, quod vulgata habent exemplaria, *Hectoris Andromache, Pyrrhin' connubia servas?* Hoc est, fieri ne potest, O Andromache, ut quae Hectoris Uxor fueris, Pyrrhi connubia servare possis? Antiqua vero fere omnia exemplaria, *conubia*, unico *n* scribunt.

321. O FELIX UNA ANTE ALIAS. Pathos est, ut ait Quintilianus in VI. quo gravem rem interdum efficimus, si magnis malis gravius id esse, quod perpessi sumus, ostenditur. Quam miser enim casus Andromaches, si comparata ei felix Polyxena, hostilem ad tumulum jussa mori!

326. STIRPIS ACHILLEAE FASTUS JUVENEMQUE SUPERBUM SERVITIO ENIXAE TULIMUS. In codicibus aliquot antiquis, *fastum*, unitatis numero legitur, sed longe calamitosius videtur numero multitudinis *fastus* dicere. Quod vero ait *servitio enixae*, ut missa faciam, quae Servius tradit: No. Marcellus hoc loco teste, *enixam* dici, partu levatam ait. Quamvis etiam *enixam*, labore exercitam exponat alibi, eodem hoc loco teste. Idem alibi: *Enixae dicuntur foeminae dolendi labore perfunctae, quod vinculis quibusdam periculi, quibus implicarentur, fuerint exsolutae. Nexum* enim dici artum & colligatum ostendit Plautus in Amphitryone dicens: *Uno labore exsolveret aerumnas duas*. Haec ad eos dicta volui, qui *enixae*, participii voce legi contendunt. Sed enim Ti. Donatus *enixe* ait adverbium esse debere, ut sit: Fastus ejus intolerabiliter servitio tulimus. Ex eo vero quod dixit *tulimus*, ostendit nimium fuisse servitii pondus. *Enixe* ergo, & *tulimus*, hoc idem significant, ait ille in commentariis integris. Neque praetereundum quod hoc loco Sosipater ait: *Servitium*, esse multitudinem servorum; *servitutem* vero, conditionem serviendi; sed veteres indifferenter *servitium* pro *servitute* posuisse. Ut Virgilius III. *Servitio enixae tulimus*. In eandem sententiam Tibullus: *Sic mihi servitium video dominamque paratam*.

329. ME FAMULAM FAMULOQUE HELENO TRANSMISIT HABENDAM. In Mediceo, & in Porcio, & antiquis fere omnibus exemplaribus, dictiones in hunc sunt ordinem collocatae: *Me famulo famulamque Heleno*. Et eodem legit ordine Ti. Donatus.

332. PATRIASQUE OBTRUNCAT AD ARAS. Eusebius De temporibus: *Pyrrhus Delphis in templo Apollinis ab Oreste occiditur proditione sacerdotis Macarei*. Cur vero *patrias* dixerit Poëta, Servius multas rationes adducit. At Macrobius primo Sa-

Saturn. Apollinem Πατρῷον olim cognominatum ait, non propria gentis unius aut civitatis religione, sed ut auctorem progenerandarum omnium rerum: quod Sol humoribus exsiccatis ad progenerandum omnibus praebuerit causam, de quo Orpheus:

Πατρὸς ἔχοντα νόον ϗ ἐπίφρονα βουλήν.

Placuerit vero Macrobio haec Philosophice commentari. Sane Athenienses, ut Harpocration tradit, Πατρῷον Ἀπόλλω coluere auspiciis Ionis, qui quum in Atticam migrasset, Athenienses Iones vocati sunt. Ab eisque Apollo *Patrous* cognominatus.

338. Aut quis te ionarum. In antiquis aliquot codicibus legere est: *aut quisnam ignarum*. Fuerat vero *te* pronomen forte additum a Paraphraste: nempe *quisnam* etiam apud Ti. Donatum habetur. Et ita scriptum est in codice Mediceo.

339. Et vescitur aura. In antiquis plerisque codicibus, *auras*, accusativo casu legitur: cum elocutione Tibulli: *Sic usque sacras innoxia lauros vescar.*

340. Quem tibi jam Troja. In antiquis aliquot codicibus versus absolutus legitur; sed candore haud quaquam Virgiliano. In nonnullis enim: *Troja obsessa est enixa Creusa.* In aliquot aliis: *Quem tibi jam Troja peperit fumante Creusa.* Utrumque ridiculum. Sed plurimum supplementum illud aliena manu additum est, ut cernere est in Mediceo codice, & aliquot aliis.

341. Ecquae jam puero est amissae cura parentis. Codices nonnulli veteres legunt: *Et quae.* In nonnullis etiam pervetustis scriptum observavi: *Ecqua tamen puero est amissae cura parentis.* Et ita est etiam in codice Donatiano: in Mediceo *Quae tamen & puero est.* Apud Fl. Sosipatrum non solum *ecqua tamen*; sed & *amissi*, virili genere, non *amissae*, positum a Virgilio citatur. Propterea quod *haeres*, *parens*, & *homo*, etsi in communi sexu intelligantur, tamen masculino genere semper dicuntur: nemo enim, inquit ille, aut *secundam haeredem*, dicit, *aut bonam parentem*, aut *malam hominem*; sed masculine, tametsi de foemina sermo habeatur. Pacuvius in Medo, cum ostenderet a Medeo, Medeae filio, matrem quaeri, ait: *Te, Sol, invoco, ut mihi potestatem duis inquirendi mei parentis.* Sed *Gracchus suos parentes amat*, cum dicit, in significatione Matris accipitur. Citat & alia exempla: denique apud Virgilium sic asseverat legi: *Ecqua tamen puero est amissi cura parentis.* Sed codices nonnulli, librarii nimirum incuria, *Puero amissae est*: una lectione transposita legunt. Sed utcumque ea fiat, nemo tamen inficiari potest apud eundem Virgilium legi: *Alma parens*, *confessa deam.* Et: *Salve sancta parens frugum Saturnia tellus.* Nisi quis dicere velit his locis *parens*, nunc participii quodammodo vicem habere, nunc per appositionem dici, ut: *Sancta Tellus*, *parens frugum*, vel figurate, ut *Lepus foeta.* De nomine autem *haeres*, nemo, quod sciam, ambigit. Sed *hominem* quandoque foeminino epitheto positum ajunt. Ut apud Servium Sulpitium in epistola ad M. Tullium: *Quoniam homo nata fuerat.* Sed enim hoc elocutionis modo, quum *nata* suppositum sit, & *homo* appositum, nihil cum genere commune habere videntur. *Nata* enim ad *filiam*, non ad *homo* refertur. Sed enim haec alii viderint: nos ad institutum opus revertamur.

346. Priamides multis Helenus comitantibus affert. In codic. aliquot antiquis legere est: *Priamides Helenus multis comitantibus adfert.* Simplicior quidem hic sermo: & narranti aliquid accommodatior. Ille autem, prout in vulgatis habetur exemplaribus, & comptior & aliquanto lascivior, pluribus magis placet. Superius tamen eadem usus est simplicitate Virgilius, quum dixit: *Priamidem Helenum Grajas regnare per urbis.* Qui si altius insonare voluisset, *Priamidem Grajas Helenum regnare per urbis*, dubio procul scriptum reliquisset. Sed qui stilum narrationis pressiorem, purioremque expeti non ignoret: *Priamidem Helenum*, absque fuco dicere maluit.

348. Et multum lachrimas. In Mediceo & codicibus aliquot antiquis, participii voce, *lacrumans*, legitur. Quae lectio Servio non satisfacit, qui malit nomen quam participium. Sunt tamen erudita ingenia, quibus minime displicet ejusmodi elocutio: Interfundit verba singula multum lacrimans. Illud vero minime placet, quod in veteribus plerisque codicibus, *fudit*, legitur tempore praeterito.

354. Aulai in medio libabant. In veteribus codicibus aliquot: *aulai medio*, absque *in* praepositione, legitur: quod non ita placet. Quantum vero pertinet ad diaeresim, Quintilianus libro Institutionum primo, *ae* syllaba ait, cujus secundam nunc *e* litteram ponimus, varie per *a* & *i* efferebatur. Quidam semper, ut Graeci, quidam singulariter tantum, quum in Dativum vel Genitivum casum incidissent. Unde *Pictai vestis*, & *aulai* Virgilius, amantissimus vetustatis, inseruit carminibus. Eorum vero scribendi morem, qui, ut Quintilianus ait, Graecos sequebantur, Ti. Claudius Drusi F. praecipue adamavit, cujus inscriptio quaedam, de auctis populi Romani finibus, Pomerioque ampliato, Romae inspicitur ad cloacam D. Luciae, in hunc modum: TI. CLAUDIUS DRUSI. F. CAISAR AUG. Nam de digammo, quo etiam usus est eodem monumento in dictio-

ctionibus AMPLIAVIT TERMINAVITQUE, alibi diximus.

358. HIC VATEM AGGREDIOR DICTIS. Mediceus & alii quidam codices vetusti, *his vatem aggredior dictis*, legunt. Sed *hic* non displicet.

360. QUI TRIPODAS, CLARII LAUROS. Sosipater Caris. ait quosdam *laurus*, hoc loco agnoscere, quarto declinatu: quod omnia arborum genera quartae declinationis esse censerent: adversus quos disputat, & Virgiliano praesertim exemplo eo: *Et vos, o Lauri, carpam, & te proxuma Myrte*, rationem suam confirmat: licet illi auctoritate mutari in vocativo dicant. Praeterea in Mediceo codice una plus dictione *Clarii & lauros* legitur. Erat tamen ClarI prius, eo modo, quo Veteres passim II geminum per unum oblongum scriptitare consueverant, etiam si duo enuntiarent, ut exempla indicant alibi recitata.

362. NAMQUE OMNEM CURSUM MIHI PROSPERA DIXIT RELLIGIO. In veteribus aliquot exemplaribus legere est: *Namque omnis cursum mihi prospera dixit religio.* Sequitur enim, *& cuncti Divi*, ubi nulla opus erit Hypallage. Eandem hanc lectionem reperi in Donatiano contextu.

366. PRODIGIUM CANIT. *Prodigium*, semper dictu pessimum esse, quasi *porro adigendum*, hoc loco teste, Nonius affirmat, quum *monstra*, & *portenta*, similiter intelligantur, quod imminentia monstrent, & ostendant. *Portentum* vero, non solum quod *portendat*; sed quod etiam *apportet*: & faciat in iis, quae significationibus, auspiciis, auguriis, & extispiciis ostenduntur. Sed enim Cornelius Fronto *Prodigium* esse dicit, quod mores faciunt, per quod detrimentum expectatur: *prodigosque* vocari, qui *prodigia* faciunt. Quod Virgilianae sententiae pulcherrime quadrat. Celeno enim rem praeter mores minabatur, ut scilicet sacrum libum malis audacibus mandere adgrederentur, quod unum maxime reformidabat Aeneae pietas. Sunt & *prodigiosa crimina* etiam memoratu religiosa, de quibus apud auctores saepe. *Monstrum* vero esse, Cornelius idem ait, in quo rectus ordo naturae vitiatur: ut si Minotaurus, aut aliquid hujusmodi nascatur. *Ostentum*, quod praeter consuetudinem offertur, ut puta, si videatur terra ardere, vel coelum, vel mare, in quo raritas admirationem facit. *Portentum* vero, quod porro & diutius maneat, futurumque porro aliquid significet: ejusque esse eventum differri. Has autem vocabulorum differentias, & proprietates interim adnotare non gravamur: quum praesertim apud Auctores diversa est eorum interpretatio: unde aliqua suboriatur controversia, in quo lucubrationis genere docta & elegantia ingenia sese exercere saepe consueverunt.

372. SUSPENSUM NUMINE DUCIT. In antiquis codicibus, *duxit*, praeterito scriptum observavi: sed ipsa narrantis continuatio praesens potius tempus exigere videtur.

379. PROHIBENT NAM CAETERA PARCAE, SCIRE HELENUM FARIQUE VETAT SATURNIA JUNO. In antiquis fere omnibus codicibus invenias punctum firmum adnotatum esse post *scire*: ut sit, *Prohibent nam caetera Parcae scire.* Mox altera coma totum illud complectatur: *Helenum farique vetat Saturnia Juno.* Quam lectionem Servius etiam agnoscit: & ita distinguendum esse, multis rationibus ostendit. Sed enim Ti. Donatus *scire Helenum* legit: *Multa*, inquit, *tibi instructionis causa fuerant referenda, sed ne id fiat dii prohibent me scire, & Juno aliqua referre non patitur.*

386. AEAEAEQUE INSULA CIRCES. In codicibus antiquis modo *Circe*, per abjectionem *s* litterae: modo *Circae* cum diphthongo, Latino declinatu, scriptum inveni: quod prorsus rejicitur. *Circes* vero, omnium consensu recipitur.

389. SECRETI AD FLUMINIS UNDAM. In codicibus aliquot antiquis *undas* legitur; sed pluralitas hujusmodi mari potius videtur convenire.

407. ET OMNIA TURBET. Omnino, *omnia*, ex antiquis codicibus legendum est.

409. HAC CASTI MANEANT IN RELLIGIONE NEPOTES. In antiquis exemplaribus observatum plurimum est: *religione*, unico *l* scribi. Sed enim Fl. Sosipater hoc praecipue citato versu, gemino *ll* scribendum ostendit: dum ait in hanc sententiam: *Parenthesis, quum vel littera vel syllaba interponitur; littera*, Hac casti maneant in Relligione nepotes. *Syllaba*, Mavortis in antro, *pro Martis.*

412. LAEVA TIBI TELLUS. Nullo pacto placet, quod in antiquis codicibus legitur: *Laeta tibi tellus.* Primum quod ea alibi Aeneae dicitur *Illaetabilis ora.* Deinde quia & *Tellus laeva*, & *aequora laeva* inferiori sententiae per correlativum quodammodo respondent: *Dextrum fuge litus & undas.*

420. LAEVUM IMPLACATA CARYBDIS. In vetustis aliquot exemplaribus, *impacata*, legitur: sed plus seritatis habere videtur, *implacata.*

422. SORBET IN ABRUPTUM FLUCTUS. In codicibus aliquot antiquis, *in abruptu.* Eam enim in antro maxime cavernoso habitare Homerus fingit. Magis tamen placet, *in abruptum*, ut vulgata habent exemplaria. RURSUSQUE SUB AURAS ERIGIT ALTERNOS. Fuere aetate nostra non illiterati viri, qui *egerit*, hoc est eructat, ex Homeri sententia legendum autumarent. Quique locum illum inspexere Carybdim, ajunt profundissima voragine undas absorbere, quas vicissim mox eructat. Sed enim, quia sequitur hyperbole ea, & fide-

sidera verberat unda, longe magis placet *erigit*, prout etiam in veteribus codicibus, quos prae manibus habuimus, scriptum invenitur.

427. Postrema immani corpore pistrix. In codicibus aliquot antiquis, *pristis* scribitur. Sed plura de hoc, libro x. eo versu dicemus: *in Pristin desinit alvus.*

438. Dominamque potentem Supplicibus supera donis. In codicibus antiquis, *votis*, non *donis*, legitur. Et ita apud Ti. Donatum habetur: quem locum etiam repetit in duodecimi libri commentariis eo loco: *Et tu Saturnia Juno:* quorum nihil est in impressis codicibus.

440. Trinacria fines Italos mittere relicta. In codicibus aliquot antiquis, *metire* legitur: ut in hanc sententiam: *Iter emensi:* & *pelagoque remenso.* Sed *mittere*, loco hoc magis omnino congruit, ubi de fatis agitur, quorum auspiciis Aeneas sit omnia peracturus. Huic simile est illud: *Missus in imperium magnum.*

459. Quo quemque modo fugias. In antiquis aliquot codicibus, *effugias* legitur; sed *fugias*, magis placet: *quemque* vero per *m* in iisdem fere omnibus codicibus.

460. Cursusque dabit venerata secundos. Mediceus codex, & vetusti plerique alii, *venerata sacerdos* habent. Et eodem modo legi in antiquo Prisciani codice, hoc citato versu: quanquam & *secundos*, in aliquibus legi non negarim, praesertimque in Donatiano.

466. Dodonaeosque lebetes. In antiquis codicibus, *lebetas.* Et Servius hoc a Virgilio Graece dictum ait. Illud addam, *lebetem*, poculorum genus esse Ti. Donato.

471. Remigium supplet. In codicibus aliquot antiquis, *suplet*, unico *p* scriptum legas. Circumfertur vero epitaphium a Pontano in Pelignis inventum, ubi *suplet* unico *p* notatum est. Quod nulla non ratione factum a majoribus, nomen *supplex*, ab eo verbo, ut Pontanus idem affirmat, derivatum, ostendit.

483. Auri sub tegmine vestes. Sunt antiqui codices, in quibus, *subtegmine*, una dictione legatur. Sunt, ubi praepositio *sub* divisa est a *tegmine.* Sed Grammatici *subtemine*, absque *g* littera legendum contendunt. Dici vero *subtemen*, *subteminis*, ut *stamen*, *staminis*, ait Carisius.

492. Hos ego digrediens lacrimis adfabar obortis. In antiquis plerisque codicibus, *abortis* legitur per *ab*; sed doctorum consensus mavult per *ob*, *obortis* scribi.

502. Cognatasque urbes olim. In antiquis exemplaribus non est *que*, ut ab eo verbo pendeat: *Unam faciemus utramque Trojam animis, cognatas urbes olim.*

516. Arcturum Pliadasque Hyadas. Quamvis in veteribus codicibus *Pliadas* legatur; placet tamen, quod ejus loco positum est a recentioribus, *pluviasque Hyadas:* nam *Plias*, primam producit: quia diphthongus est ει, Πλειάς: nisi quis vocalem alteram, quod saepe & commodo suo Graeci faciunt, detritam velit.

533. Portus ab Eoo fluctu. In omnibus pene codicibus antiquis, quos versare contigit, *Euroo* scriptum observavi: & in plerisque lectionem hanc abrasam esse, & *Eoo* repositum. Quia tamen hujusmodi ab *Euro*, derivativi nominis formam, neque apud Graecos, neque apud Latinos memini me legere, *Eoo* libentius, ut cum Mediceo vulgata habent exemplaria, legerim.

534. Objectae salsa spumant aspergine cautes. Velius Longus poni differentiam tradit inter *aspergo*, per *e* syllaba media, & *aspargo* per *a*: esseque illud per *e* verbum, hoc vero per *a* nomen: dictumque a Virgilio: *Spumant aspargine cautes.* Antiqua tamen pleraque omnia exemplaria *adspergine* legunt.

535. Gemino demittunt brachia muro Turriti scopuli. In codicibus aliquot antiquis, *dimittunt* legitur: quippe hac & illac mittunt, porrigunt, extendunt. Atque pro *turriti*, sunt codices, qui *erecti* legant; sed *turriti* omnino magis placet.

536. Refugitque a littore templum. In antiquis exemplaribus, *ab littore* est.

542. Quadrupedes. In antiquis codicibus, *quadripedes* per *i*, ut *bipes*, *tripes.* Sed *quadrupes* per *u* in consuetudine mansit: ut ex *periquilo*, *periculum:* & alia quaedam hujusmodi, quae per I enuntiari, scribique solita Velius Longus ait.

553. Caulonisque arces et naufragum Scyllaceum. Sunt, qui *naufragu* dactylum esse velint, Enniano more, *m* detrita. Sunt, qui Amphimacrum defendant, quum *Scyllaceum* scribant, & versum spondaicum autument. Sunt, qui *navifragum* scribant; sed *Scylaceum* Paeonicum esse tertium velint, ut ita dactylus in quintam cadat. Varie vero pronuntiari solitum nomen *Scylacei*, Strabo etiam confitetur. Sunt etiam antiqui codices aliquot, in quibus & *navifragum*, choriambici dimensione, & *Scyllaceum*, Epitriti quarti syllabis legatur: ut dicas versum hunc ex iis esse, qui alios quoque pedes admittant, praeter dactylum & spondeum: esseque choriambicum quarta sede, sed versum alioqui spondaicum. Quae quidem comminisci cogimur, ne tot veterum codicum auctoritati detrahatur: quorum bona pars *navifragum*, quadrisyllabum scriptum ostendunt. Sed enim donec melius aliquid inveniatur, acquieverim interim libenter & Porcio, & antiquis aliquot aliis codicibus, in quibus & *navifragum*, & *Scylaceum*, unico *l* notatum habetur. Nam voca-

cales *y* & *a* dichronae omnino sunt, ut corripi licenter possint, in nomine praesertim Graecanicae figurae. Missum vero facio, quod *naufragium* in codicibus aliquot habetur, quum in hujusmodi lectione nihil memoratu dignum occurrat.

558. NIMIRUM HAEC ILLA CARYBDIS. In antiquis aliquot codicibus, *hic illa* legitur. Sed *haec* pronomen magis placet: quia consequitur: *Hos scopulos, haec saxa.*

560. ERIPITE O SOCII. In plerisque codicibus antiquis absque o legitur, *eripite socii*; sed enim locus ipse adverbium id omnino exposcere videtur: quo sine frigidiuscula esset adhortatio.

561. PRIMUSQUE RUDENTEM CONTORSIT LAEVAS PRORAM PALINURUS AD UNDAS. In antiquis aliquot exemplaribus, *rudente* legitur, casu septimo: ut adminiculo fuerit ad contorquendum.

563. CUNCTA COHORS. Nomini huic adspirationem accessisse ex consuetudine, veluti etiam *horto*, Velius Longus arbitratur; quum tamen alii *cohortem* a *cohortando* dictam velint, inesseque illi adspirationem natura.

565. SUBDUCTA AD MANIS IMOS DESCENDIMUS UNDA. In Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis codicibus antiquis, *desedimus* habetur: quod est aquae, & terrae in imum se contrahentis, descendentisve, solo subducto. Tullius lib. primo de Divin. *Multis locis labes facta sit, terraeque desederint.* Et infra eodem libro: *Delata etiam ad senatum labes agri Privernatis, quum ad infinitam altitudinem terra desedisset.* Neque tamen displicet *descendimus*, ut sit antitheton ejus, quod dixit, *Tollimur in coelum:* quod in Mediceo codice, *tollimur ad coelum* scribitur.

571. IPSE SED HORRIFICIS JUXTA TONAT AETNA RUINIS. In codicibus aliquot antiquis, legere est, *Ipse sub horrificis: Ruinae* enim illae a summo vertice montis flammae vi in altum eructantur: &c, quod ipse Poeta subjungit, *saxa liquefacta sub auras cum gemitu glomerantur:* quare forte non displiceat, *tonare Aetnam sub horrificis ruinis.* Magis tamen placet *sed:* quia potius ipsius bona malaque enumerare voluit, ut occasionem arriperet Aetnae quoque flammas, ruinas, motus horrendos, eructationesque illas describendi.

575. SCOPULOS AVULSAQUE VISCERA. In antiquis aliquot codicibus, *convolsa* legitur; sed quia disseparatio est, magis placet *avulsa*, ut etiam in Mediceo est.

578. ENCELADI SEMUSTUM FULMINE CORPUS. Veriti sunt plerique *semiustum* scribere, qui scirent primam hujus nominis syllabam produci: quare *semustum*, trisyllabum, I vocali subtracta, publicarunt. Sed enim, quum in veteribus exemplaribus, quotquot legi, fere passim *semiustum*, quadrisyllabum observaverim scriptum, Synizesin potius esse dixerim: neque quicquam deteri debere, quum duae illa syllabae pro una reputentur, ut in Catulliano carmine: *Flos Veronensium depereunt juvenum:* quod veteres habent codices, non *Veronensum:* ut in nomine *alvearia:* quamvis aliqui *alvaria* legere malint. Fit vero Synizesis vel ex duabus brevibus vocalibus, nulla interjecta consonante; vel altera duarum vocalium existente brevi: nam ex duabus longis non condonatur. Sed enim, quia codices manu scripti frequenti transcriptione semper aliquid immutarunt, fitque ut in similibus plerunque vix fidem faciant, quantumlibet antiqui, operae precium videtur, inscriptionum, quae fuerint in marmoribus notatae, testimoniis uti: illae enim, quo semel modo scriptae fuerint, suam indelebiles retinent antiquitatem. Habemus itaque inscriptionem tumuli non invenustam, neque inelegantem, Romae in palatio montis Jordani, in qua manifesta Synizesis inspicitur, hoc pentametro: LUCTUOSUMQUE MIHI QUI SCIO QUID FUERIS. *Lucto*, per Synizesin esse videtur: atque etiam in altero heroico hexametro: UNANIMI, CALPURNIANO, SOCIATA MARITO. Neque desunt hujusmodi exempla plurima: tametsi nonnulli quantum in *Calpurniano* est, pene ultimam Graecorum more corripi posse contendunt: atque ita tertius pes *purnia*, dactylus fit: ut in *Hadriano*, *Claudiano*, & similibus factum passim apud Graecos observamus. Sed enim nobis non licet esse tam disertis: quare figuram potius admittamus; qua, ut missos faciam Homerum, Hesiodum, Theocritum, & universam Graeciam, Virgilius ipse saepe usus est: ut ex locis passim a nobis toto opere citatis manifestum esse potest.

581. ET FESSUM QUOTIES MOTAT LATUS. In antiquis aliquot codicibus, *mutat* legitur: quod Servius admittere noluit: ne refectio, ut ait, labori detur. Ti. Donatus *mutat* agnoscit: dum Enceladum ait converti in aliud latus, dum alterius voluerit vice effoetas vires reparare. Cum Servio tamen sunt plerique codices vetusti: neque tamen *motat* in omnibus, sed *motet*, subjunctivo modo, in nonnullis scriptum est.

583. NOCTEM ILLAM TECTI IN SILVIS IMMANIA MONSTRA PERFERIMUS. In codicibus aliquot antiquis, *nocte illa* ablativo casu legitur. Servius incusativum mavult: & ita plus omnino significat ob continuationem incommodi. Omnia praeterea exemplaria quae versavimus, *tecti silvis*, absque *in*, legunt: ut naves vel silvis caesis, vel litus obumbrantibus, occultatas intelligas: non autem homines in silvas egressos: quod minime verisimile est in tanta rerum trepidatione; quum praesertim, quae sonitum daret caussa, non vi-

derent: nam & ſuperius in Carthaginienſi portu *Claſſem in convexu nemorum arboribus clauſam circum occuluerat*: loco tamen ibi ita natura comparato, ut & facile, & commode poſſent deliteſcere.

593. RESPICIMUS. In antiquis aliquot codicibus, *proſpicimus* legitur: quod procul aſpicimus ſignificat; ſed Donatus *reſpicimus* agnoſcit.

594. CONSERTUM TEGMEN SPINIS. In antiquis pleriſque codicibus, *teginnen*, integra dictione legitur. In Longobardico, & Mediceo *tegumen*: quod antiquitatem ſapit: & eo modo ſcribitur apud Ti. Donatum. Neque tamen inficior *tegmen* etiam dici per ſyncopen, ut: *Recubans ſub tegmine fagi*: proceleuſmaticum enim primo ſtatim verſu ponere nimis abſurdum fuiſſet. Eſt & alibi: *Tegmen habent capitum.*

601. TOLLITE ME, TEUCRI, QUASCUMQUE ABDUCITE TERRAS. In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *in quaſcumque*, addita praepoſitione, ſine qua tamen figuratior eſt elocutio. Ridere vero mecum, ut verum fatear, ſolebam, quum in nonnullis codicibus ſcriptum offendiſſem *queſcumque* pro *quaſcumque*. Inveni poſtmodum apud Fl. Soſipatrum, *queſcumque* apud veteres analogicam eſſe declinationem: unde dativus *quibus* deducatur, uti a nominativo *qui*, dativus *quis*. Catonemque ait Originum ſecundo dixiſſe, *queſcumque Romae regnaviſſet*. Et Plautum, *ques ignobiles*. Quas voces quamvis novitas abdicarit, declinationem tamen ejus manere: *quibus* enim crebro dicimus.

606. SI PEREO, MANIBUS HOMINUM PERIISSE JUVABIT. In codicibus nonnullis manu ſcriptis, *ſi peream* legitur: quod minime placet. In Longobardico vero, in Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis ex antiquioribus, legere eſt: *Si pereo, hominum manibus periiſſe juvabit*: vel adſpiratione hic vim conſonantis habente: vel ea ratione factum, qua etiam *Neptuno Aegaeo*, vel *Actaeo Aracyntho*. Quam lectionem praeter Ti. Donatum Pontanus quoque agnoſcit in Actio: ubi ex ipſa earundem vocalium comploſione magnam fieri vocalitati acceſſionem aſſerit.

607. ET GENUA AMPLEXUS, GENIBUSQUE VOLUTANS HAEREBAT. Ut eorum imperitia retundatur, qui *volutus* hic legi volunt: *In paſſivis*, ait Fl. Soſipater, *participia praeſentis temporis ſunt. Abutuntur autem veteres activo pro paſſivo, ut apud Virgilium*: genibuſque volutans: *nam ſi activa ſignificatione acciperetur*, ſe *deeſſet*, *ut diceret*: volutans ſe.

603. QUI SIT FARE. In antiquo codice Longobardico, *quis ſit* legitur. Quam lectionem agnoſcit Servius, tametſi veteres Grammatici eo modo *qui* etiam poni ſcriptorum veterum aliquot exemplis tradunt.

613. COMES INFELICIS ULYSSIS. In antiquis pleriſque codicibus, *Ulyſſi*, abſque *s* legitur. Probus locum hunc citans: *Achillis. Qua forma Oratores etiam uſi ſint. Salluſtius*: Ad bellum Perſi Macedonicum, *pro*, Perſis. *Ubi ea forma uti nulla coëgit homoeoteleutos, ſed antiquae declinationis ratio.* Ita & M. Tullius: *Filius Verri*, pro, *Verris*. Refert praeterea Soſipater Cariſius obſervatum a Plinio Dubii ſermonis lib. VI. *Herculi*, pro, *Herculis*, ut *Ulyxi*, pro, *hujus Ulyxis* olim dici coeptum. Neque ſumus immemores plura ſuper hujuſmodi genitivo dicta a nobis libro primo. Non putamus autem importunum, ubi aliorum etiam auctorum accedunt teſtimonia, eadem de re pluries diſputare: aut quoties novi aliquid inter ſcribendum occurrit, lectorem admonere.

614. NOMINE ACHAEMENIDES. In veteribus fere omnibus exemplaribus, legere eſt, *nomen*, quod ſcilicet quaeritis, *Achaemenides*: & ſicubi *nomine* ſcriptum eſt, id in his exemplaribus, quae verſamus, ſubditicium eſt, priore abraſa lectione. TROJAM GENITORE ADAMASCO. In Mediceo, in Porcio, & aliis antiquis pleriſque codicibus *Adamaſto* ſcriptum eſt: quod invictum, vel indomitum ſignificat: & ita proprium id viri nomen habetur etiam in codice Donatiano.

621. NEC DICTU EFFABILIS ULLI. In antiquis aliquot codicibus, *adfabilis*, legitur: quanquam codices etiam nonnulli manu ſcripti, *effabilis*, legunt; ſed enim Macrobius libentius legit, *affabilis*, ut in Mediceo eſt: ſumptumque ait ex Attio in Philoctete, ubi eſt: *Quem neque tueri contra, neque affari queas.* Alterum vero illud Servius agnoſcit, exponitque: *ſermone non explicabilis*, quod aeque placet.

623. VIDI EGOMET DUO. Homerus Οδ. Γ. ſex enumerat, quos Cyclops devoraverit: nam binos tribus vicibus ponit abſumptos: ſed enim vel Achaemenides ob trepidationem & feſtinantiam non poteſt hic hiſtoriam omnem enarrare: ſatiſque putat, ſi memoret, Cyclopa eſſe adeo efferum, & immanem, ut una vice duo humana corpora poſſit abſumere: vel *duo*, pro *bina* poſitum, ut alibi vice verſa: *Bina criſpans haſtilia*, pro, *duo*: quae licentia late conceſſa eſt a Poëtis.

624. PREHENSA MANU. Peccare eos ait Terentius Scaurus, qui *prehenſus* cum adſpiratione ſcribunt, quum eam prima perſona non habeat. Quum vero ex hujus ſententia *preenſus* per duo *ee* ſcribi debeat, ut ibi: *Dextraque preenſum*: hoc loco vel Synizeſin eſſe dicimus: vel, quod magis placet, *prenſa*, per craſin legemus, ut habetur in codicibus antiquis. Quid vero ſuper hoc ſentiat Velius Longus, alibi diximus.

625. SANIEQUE ASPERSA NATARENT LIMINA. Servius *experſa*, veram eſſe lectionem aſſeverat. In antiquis tamen codicibus quotquot habui,

bui, *asperſa*, & *adſperſa* legi: ſententia, & elocutio ſumpta ex M. Tullio in Philipp. *Vino pavimenta natarent.*

631. JACUITQUE PER ANTRUM IMMENSUM. Servius quidem *immenſum*, quippe antrum agnoſcit. Ad quam lectionem reſpexiſſe etiam Quintilianus videtur, ubi ait de Virgilio: *Cum Cyclopa jacuiſſe dicit per antrum, prodigioſum illud corpus ſpatio loci menſus eſt.* In veteribus aliquot codicibus, *immenſus*, legitur, ut Homericum illud exprimatur, Ἔνθα δ' ἀνὴρ ἐνίαυε πελώριος. Quodque tantus erat, ut nemoroſo cuipiam promontorio altorum montium ſimilis videretur. Sunt etiam codices manu ſcripti, ubi legas, *immenſam ſaniem*, quod minime placet: etſi Homerus eructationem illius veſpertinae crapulae late deſcribit.

635. ET TELO LUMEN TEREBRAMUS ACUTO. Ti. Donatus *tenebramus* legit, hoc eſt, occaecamus. Cujus haec ſunt verba: *Quod ait* acuto telo tenebramus, *celeritatem facti voluit demonſtrare. In hoc enim conſilium conſiſtebat effectus, ne mora facientum, & dolor vulneris quamvis graviter dormientem excitaret. Hoc loco nonnulli terebramus tradunt; ſed quum terebratio habeat moram, quae fuit inimica facientibus, melius eſt, ut telo acuto, uno ictu videatur eſſe caecatus.* Sed enim pace tam docti viri, quum locus ſit ex Homero ſumptus, apud quem lata eſt de terebratione deſcriptio, vero ſimilius eſt Virgilium ſcriptum reliquiſſe, *terebramus*. Verſus Homeri ſunt: Ἐγὼ δ' ἐφ' ὕπερθεν ἀερθεὶς Δίνεον ὡς, ὅτε τις τρυπῷ δόρυ νήϊον ἀνὴρ Τρυπάνῳ, οἱ δέ τ' ἔνερθεν ὑποσσείουσιν ἱμάντι Ἁψάμενοι ἑκάτερθεν. In quibus non tantum terebratum ait lumen conto acuto, uſtulatoque ex igne, ſtatim in oculum adacto, Ulyſſe ſuperne calcante, loro inferne advoluto, cujus capita ſocii alternantes utrinque traherent; quod ſine longa mora fieri non potuit: verum etiam artificis, qui navale aliquod lignum terebra perforet, ſimilitudine utitur. Legendum itaque, *terebramus*: ex Homero. Quod vero in inferiori verſu Servius Donatum reprehendit, quod *latebat*, *late patebat*, expoſuerit: aut quia capillis tegebatur, aut latebat corporis reliqui comparatione; ſi verba Donati conſideremus, nil adeo reprehenſioni obnoxium invenimus; immo longe diverſam Donati ſententiam ab ea, quam ei Servius adſcribit. Quaerit ſiquidem Donatus, qua ratione oculus, qui tantae eſſet amplitudinis & vaſtitatis, ut Lunae, Soliſve orbi poſſet aequari, latere potuerit? Conſiderataque Cyclopis deformitate, rugas comminiſcitur, & ingentem capillorum ſilvam: nam intonſum caput ipſe Polyphemus apud Theocritum & Ovidium late jactat. Sed melius fuerit ipſa Donati verba ſubjicere. Quod autem ait: *ſub fronte latebat:* quod ingens fuiſſe dicebatur uſque adeo, ut orbi Lunae, vel Solis aequari potuiſſet, faciebant rugae torvae frontis, & ingentes capitis comae. Quid vero ſi dixerimus Virgilium & ad oculi ſitum, & etymologiam reſpexiſſe, quam eo verbo exprimere voluerit? quum Varro dicat *oculos* ideo dictos, quod ſub fronte *occulantur*.

648. VOCEMQUE TREMISCO. Antiqua exemplaria pleraque *tremeſco*, per *e* in pene ultima ſcribere, quaque id ratione, dictum alibi.

658. CUI LUMEN ADEMTUM. TRUNCA MANU PINUS REGIT. In Mediceo, & codicibus aliquot aliis antiquis, *manu*, ſeptimo caſu legitur. Et ubi *manum* eſt, quarto caſu, in codicibus manu ſcriptis, fere paſſim ultimam contactam obſerves. Eſſet vero ſententiae ordo: Pinus trunca manu, vel geſtata manu regit ademptum lumen, & veſtigia firmat. *Manum* tamen agnoſcit Fab. Quintilianus, ubi de amplificatione ita dicit: *Nam quod illud corpus mente concipiam, cujus trunca manum pinus regit.*

661. SOLAMENQUE MALI DE COLLO FISTULA PENDET. Sunt, qui carmen hoc ut nothum expungant; id tamen in pleriſque codicibus antiquis habetur: praeterquam in uno, ubi verſus hac Penthimemeri clauditur, *ſolamenque mali*. Quam lectionem Ti. Donatus agnoſcit, nulla de *fiſtula* mentione facta. Cujus verba, quia in vulgatis codicibus corrupta ſunt, exemplari adſcribere non pigeat: LANIGERAE COMITANTUR OVES, EA SOLA VOLUPTAS, SOLAMENQUE MALI. *Voluptatem ex animalibus habuit, quum videret, caecatus vero pecorum ſuorum commodo orbitatem proprii luminis ſolabatur.* Quae vero Quintiliani verba Servius citat, de caecitatis ſolatio, ſumpta ſunt ex Declamatione de pariete cruento: ne alio quis ea quaeſitum eat.

663. FLUIDUM LAVIT INDE CRUOREM. In antiquis codicibus, *fluvidum*, fere paſſim ſcribitur, geminato *u v:* quod Grammatici non admittunt, niſi prima producta ſyllaba; quum tamen *fluvius* eodem modo enuntietur, corripiat tamen primam.

665. NEC DUM FLUCTUS LATERA ARDUA TINXIT. Vetera aliquot exemplaria, *ſtrinxit*, habent: quod minime placet, tam propter aſperitatem, quam etiam ob improprietatem. Quod vero Servius & *fluctu*, & *fluctus*, legi docet: in antiquis iis codicibus, quos habui, *fluctus*, habetur indicativo caſu: & in Donatiana paraphraſi eadem agnoſcitur lectio. Neque ad ejus latera profundi maris unda pervenerat. In Porcio etiam *fluctus* prius ſcriptum fuit; ſed nunc *s* littera abraſa vix diſcerni poteſt.

668. VERRIMUS ET PRONI. In Mediceo, in Porcio, & antiquis aliquot aliis codicibus, *vertimus* legere eſt, quod agnoſcit Ti. Donatus.

Hh 3 670. VE-

670. Verum ubi nulla datur dextram affectare potestas. *Affectare* Servio negotium facessit: quia etiam *dextra*, casu septimo scriptum invenerat. In codicibus tamen nonnullis antiquioribus, *dextra attrectare* legitur: quod nullam prae se ferret difficultatem: nam qui penates & deos magnos secum habebant, tanquam sacri, non temere erant a profano, & deorum contemptore contingendi. Non frustra tamen in codicibus multis, *dextram affectare*, scriptum, hoc est, anxia quadam aviditate manum ad navem injicere.

672. Clamorem immensum tollit. In antiquis aliquot codicibus, *ponit*, habetur: quod non aeque placet.

673. Penitusque exterrita tellus Italiae. In codicibus antiquis, *Trinacriae*, legitur: quod magis decorum servat, praesertim quum subsequatur: *Crebrisque immugiit Aetna cavernis*; sed *Italiae* Donatus agnoscit: & hyperbole ita major est.

674. Immugiit Aetna. Antiqui plerique codices, *immugit*, καλὰ κρύπτω legunt: quam lectionem doctissimi plerique viri receperunt.

681. Constiterant silva alta Jovis. In antiquis plerisque codicibus, *constiterunt*, legitur, ut *steterunt*, *tulerunt*, pene ultima brevi saepe reperiuntur. Non tamen improbo *constiterant*, exacta specie.

684. Contra jussa monent Heleni. Vetera quaedam exemplaria cum Mediceo, *movent* legunt: hoc est persuadent; sed enim Helenus monuerat, & monitus in hoc dictionis genere dicuntur. Scyllamque Carybdim inter utramque viam laeti discrimine parvo Ni teneant cursus. In codicibus nonnullis manu scriptis, *Scyllaeque Carybdis* scriptum est, ut ordo sit: *Inter utramque viam Scyllae & Carybdis*. Sed imperfecta esset oratio, & alterum *que* post *Carybdis* desideratur. Longe vero melius in Donatiano codice, *Scyllam atque Carybdin*, appositive positum. Est &, *ne teneant*, in aliquot exemplaribus antiquis; sed *ni* Donatus agnoscit, & pro *ne* positum more veterum ait: quod & Priscianus admittit: quanquam alibi dicat: *Ni metuam patrem*: & locus alius apud Virgilium: *Ni faciat, maria, ac terras, coe. que, prof. Quippe ferant*. Plura vero Servius.

690. Errata retrorsum. In antiquis aliquot exemplaribus, *retrorsus*.

695. Occultas egisse vias. In codice perveteri, qui apud me est, *habuisse vias*, legitur; sed *egisse* magis placet, ut in vulgatis.

696. Siculis confunditur undis. In antiquis aliquot codicibus, *perfunditur*; sed *confunditur* magis placet: hoc est, commiscetur.

697. Numina magna loci jussi veneramur. In omnibus antiquis codicibus, quotquot legi, numerus est hujusmodi: *Jussi numina magna loci veneramur*: ut illa: *Addam cerea pruna*. Et: *Curru jungit Alaesus equos*.

698. Stagnantis Elori. In codicibus antiquis, *Helori* cum adspiratione, quam & Pontanus recipit. Est etiam eodem versu *exsupero*, per *x*, & *s*.

701. Apparet Camerina procul. In antiquis aliquot codicibus, *Camarina*, ut Graeci scribunt, Μὴ κίνει Καμαρίναν ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων.

703. Arduus inde Agragas. In antiquis *arduos*. In Romano, *Acragas*, ut Graece scribitur, Ἀκράγας, Polybio. Sed affinitas litterarum facit, ut Latini multa per *g* scribant, quae Graeci per κ, ut *gubernator*, κυβερνήτης: atque etiam vice versa nonnunquam pro γ. C substituant: ut ex *gongro*, *congrus*.

705. Palmosa Selinis. In codicibus aliquot antiquis, *Selinys* per *y* in fine scriptum est. In aliquot aliis *Selinus*: quod quidem cum Graeca scriptione facit. Nam Σελινοῦς, per ους finale, civitas Siciliae est: eaque, ut Graeci tradunt, & masculino & foeminino genere dicitur. Quod vero *palmosam* dicit Maro, ex M. Tullio est, in Actione ultima contra Verrem: *Nautae coacti radices palmarum agrestium, quarum erat in illis locis, sicut in magna parte Siciliae, multitudo, colligebant*.

708. Tot tempestatibus actus. In antiquis pene omnibus exemplaribus legere est, *actis*. Neque *actus* est in iis, quos legi, nisi contacto codice.

709. Heu genitorem. Diversum hoc ab historia, si Straboni credimus, qui Aeneam una cum Anchise patre & filio Ascanio Laurentum applicuisse tradit.

717. Fata renarrabat divom, cursusque docebat. In antiquis aliquot codicibus legere est, *Fataque narrabat divom*. Sed enim quia bonam horum partem Didoni prius enarraverat, & in hac dictionis continuatione, multa fuere repetita: longe magis placet *renarrabat*, ut in Mediceo, & vulgatis habetur exemplaribus.

LIBER QUARTUS.

AT REGINA GRAVI. Antiquus admodum codex est, in quo *d* littera ex praepositione *ad* per *t* semper notata est, tam in compositis dictionibus, quam etiam in iis, quae simpliciter proferuntur, ut: *Meque at tua limina*: &, *Ateritque vocatus Apollo*: &, *Atopertus amictu*. Ubi vero *t* ex consuetudine, vel ex analogia scribi nunc solet, ibi *d* notatur, ut: *Setosi capud hoc apri. Ad mihi sese offert*: atque loco hoc, *Ad regina gravi jamdudum saucia cura*. Sed enim ut de ratione scriptionis hujus, quae adeo frequens est apud veteres, aliquid disseramus: non in codicibus tantum antiquis, verum etiam in veterum monumentis observatum saepius *ad* & *at*, sive per *t*, sive per *d* scribantur, idem significare: quamvis juniores Grammatici praepositionem a conjunctiva, scriptione distinxerunt. Indifferenter vero, uno eodemque significato scribi plerumque Sosipater Carisius manifeste declarat, Licinii Calvi exemplo in Fuscinium ambitus reum: *Ad ita mihi Jovem deosque immortalis velim benefecisse, judices. At*, inquit, conjunctionem, *ad* vero praepositionem scribunt: εὐφωνότερον tamen est, *ad* hic per *d* scribi, ne subsequens *t* litteram duriorem suique similem sonum litterae amplexa dictum faciat immitius. Haec ego autem ita scienda judicarim, ut diligenter veterum sententiis observatis, nunquam tamen a consuetudine recedamus.

3. MULTUSQUE RECURSAT GENTIS HONOS. Nullum fere codicem ex his antiquis adinveni, in quo dictio *recursat* incolumis habetur: littera modo una, modo altera in hoc vel illo codice, vel supposititia, vel desiderata: in plerisque vero abrasas medias aspexi, & alias atque alias superductas. Moveant forte stomachum, si dixero *recusat*, aut *reversat*, & alia etiam his foediora legitimae lectionis loco supposita fuisse. Sed enim *recursat*, frequentativa forma a *recurro*, castam esse lectionem tam sententiae concinnitate, quam Servii & Arusiani Messi judicio confirmatur.

8. QUUM SIC UNANIMEM ALLOQUITUR. In codicibus aliquot antiquis, *tum* legitur, & *unanimam*. Utrumque agnoscitur a Grammaticis. De *adloquitur* per *d*, alibi dictum.

9. QUAE ME SUSPENSAM INSOMNIA TERRET. Libentius omnes, *terrent*, cum antiquis codicibus agnoscunt, ut *insomnia* plur. numero dicantur, sive τὰ ἐνύπνια, sive vigiliam intelligamus: nam plurali numero *insomnia* loco hoc, pro vigiliis positum Sosipater Carisius putat: quamvis & hic somnia intelligi possunt, in quibus terror.

25. ADIGAT ME FULMINE AD UMBRAS. In codicibus aliquot antiquis, *abigat* legitur: nempe quia veriti sunt bis *ad* praepositionem repetere. Sed enim ea sic posita, majorem ostendit vim: neque desunt hujus elocutionis exempla apud Virgilium & Ciceronem, ut illud: *Nondum erat auditum te ad Italiam adventare*.

27. ANTE PUDOR QUAM TE VIOLEM, AUT TUA JURA RESOLVAM. In Romano, & in Oblongo Vaticanae bibliothecae codicibus antiquissimis scriptum est, *violo* & *resolvo*. In Longobardico etiam ita prius habebatur, altera inde manu superadditum est *a* cum nota compendiaria, quae pro *m* poni solet. Corruptus etiam est Mediceus, ubi *violem* ex *violo* factum: & ita in Porcio contaminatum est utrumque verbum, quum *violo* & *resolvo*, prius scriptum esset. Finitivum vero modum loco hoc Sosipater dubio procul agnoscit, ubi ait: *Antequam, modo finitivis, modo subjunctivis jungitur: Junctum subjunctivis, ut: Antequam venisset: disjunctum, finitivis, ut apud Virgilium: Ante pudor quam te violo, aut tua jura resolvo*. Hinc, quam is lectionem probarit, patet.

28. QUI ME SIBI JUNXIT. In antiquis aliquot exemplaribus *vinxit* legitur: quod tantundem est, nisi quis *jungere*, magis ad nuptias pertinere dicat; *vincire* autem amicitiae potius esse.

30. SINUM LACRYMIS IMPLEVIT OBORTIS. In veteribus codicibus aliquot, *lacrumis abortis*, legitur; sed *obortis* interpretes agnoscunt.

37. QUOS AFRICA TERRA TRIUMPHIS DIVES ALIT. In Romano codice legere est, *triumphos*, accusativo casu: ut sit, quos triumphos, pro triumphales viros. Rectius tamen est, *dives triumphis*, ut agnoscit Servius.

38. PLACIDO NE ETIAM PUGNABIS AMORI. Quamvis *placido*, nomen, in aliquot codicibus manu scriptis habeatur, longe tamen melius *placito* esse dixerim: ut emendatiora legunt exemplaria.

40. HINC GETULAE URBES. In antiquis aliquot codicibus *Gaetulae*, cum diphthongo prima syllaba scriptum observavi, Graecorum more: apud quos Γαιτοῦλοι, Libyae populi, per αι scribitur: iidem Γαιτούλιοι Artemidoro sunt. Nostri cur nomen hoc absque diphthongo scriptitent, mihi non constat: neque cur ausus sit Martialis primam & secundam in hoc nomine corripere: quanquam

in media *o* parvum ex diphthongo abjici potest; & *y*, quod in *u* apud nos transire solet, ea ratione corripi: quod communis apud Graecos habeatur; id non ita eveniat in prima syllaba, si Graeci codices recte per *ω* diphthongum eam scribunt. GENUS INSUPERABILE BELLO. In Romano codice, *genus intractabile*, legitur, eo modo, quo in Aeneidos primo: *Sed fines Libyci genus intractabile bello.* Magis tamen placet hic, *insuperabile:* quia magis terret ob difficultatem: & persuadet a necessitate validi alicujus auxilii comparandi.

46. HUC CURSUM ILIACAS VENTO TENUISSE CARINAS. In Romano codice, & in Porcio, legere est, *hunc cursum*, hoc est, hanc viam: & ita in uno ex iis, qui apud me sunt, & in Donatiano. Nonnulli tamen eruditi quidem viri magis probant adverbium *huc*.

50. TU MODO POSCE DEOS VENIAM. In codicibus plerisque vetustis *deum* habetur; sed melius *deos:* multos enim inferius numerabit, quibus ea sacra faciet.

52. DESAEVIT HYEMS. Antiqui omnes codices, quotquot inspexi, *hyemps* per *p* & *s* finales litteras scribunt: quod Terentius Scaurus fert impatienter, ex eo jam tempore ea oborta stribiligine.

54. ANIMUM INFLAMMAVIT AMORE. In Romano codice, & quibusdam aliis, *flammavit*, simplex verbum habetur: quo usus est etiam Catullus: *Flammati Phaëtontis.* Sed longe numerosius est, *Animum inflammavit*, dicere.

58. LEGIFERAE CERERI. In Romano codice, in Mediceo, in Porcio, & quibusdam aliis antiquis, *frugiferae* legitur; sed enim *Ceres, inventrix legum*, a M. Tullio dicitur in fine Actionum in Verrem. Et rationem hic reddit Ti. Donatus, cur *legiferam Cererem* veteres appellarint.

61. MEDIA INTER CORNUA FUNDIT. In plerisque veteribus codicibus *fudit*, habetur praeterito tempore; sed praesens dilucidiorem facit narrationem.

71. LIQUITQUE VOLATILE FERRUM. Non placet *linquit* praesenti tempore, quod aliquot habent codices. Est & ubi *volatile telum* in vetustis exemplaribus legatur; sed enim, quum sit eodem versu positum *telis*, *Pastor agens telis*, magis placet periphrasis ejus teli statim subjecta, *Volatile ferrum.* Praeterea de ferro hic agitur, quod avolsum a sagitta tergo inhaeserit.

72. SYLVAS SALTUSQUE PERAGRAT DICTAEOS. Antiqui aliquot codices dictionum ordinem ita commutarunt, *saltus silvasque peragrat Dictaeas:* quod in medio linquimus, quum fententia omnino eadem sit.

85. INFANDUM SI FALLERE POSSIT AMOREM. In Romano codice legitur, *possit imago.* Id quid sibi velit, non mihi satis liquet, propter epitheton *infandum:* quod ita non habeat, cui adhaerescat. Quidam alii codices antiqui, *Si fallere possit amantem*, habent; sed neque id probamus. *Infandum* vero *amorem*, castiorem lectionem asserimus. Neque dubitamus lectionem eam, quae est *imago*, ex paraphrasi aliqua huc irrepsisse.

90. PERSENSIT PESTE TENERI. In antiquis aliquot codicibus, *persentit*, praesenti tempore legitur: & ita est in codice Donatiano: praeteritum tamen nunquam immutarim.

91. NEC FAMAM OBSTARE FURORI. Sunt antiqui codices, in quibus *nec famam obstare pudori* legitur; sed hic *furori* magis placet, quod Servius agnoscit.

94. MAGNUM ET MEMORABILE NUMEN. Sunt omnino codices aliquot manu scripti, in quibus *nomen* legitur: quod vulgata quaedam exemplaria recepere; sed *numen* eruditis placet, quod etiam in Mediceo prius scriptum fuerat.

106. QUO REGNUM ITALIAE LIBYCAS AVERTERET ORAS. In Romano quidem codice, *averteret* legitur: quod Servio mirifice placet. Sed enim in Oblongo, in Longobardico, in Porcio, & plerisque aliis codicibus antiquis, *adverteret* habetur: quam elocutionem absolutam esse negat it nemo: quippe verteret regnum Italiae ad oras Libycas. Si cui vero figurata illa magis placeat, non laboro.

112. MISCERIVE PROBET POPULOS. In aliquot antiquis codicibus, *jubet* legitur: quod non ita placet: quia structurae ordo, *jubeat*, exposceret, ea specie, quae velit positum.

116. CONFIERI POSSIT. In Oblongo perveteri codice, & in Mediceo, *quo fieri* legitur: adscriptumque superne est in illo, *quo* habundat. In hoc *quo modo.* Et ita in plerisque aliis codicibus, ut sit, *quo*, scilicet *modo fieri possit.* Apud Servium *con*, habundat, qui *confieri* agnoscat. Alii quidam codices manu scripti *quod fieri* legunt. Idque in nonnullis per T notatum est, cujusdam aetatis consuetudine loco D saepe T, uti paulo ante dictum, supponentis. In nonnullis abrasa est tota dictio, praesertim ubi per compendiariam notam *quod* scriptum fuerat. Sed enim in Romano codice, *confieri* legitur: & ita scriptum erat in Longobardico: unde abrasum est *con*, & *quo* suppositum. *Confieri* tamen & Latinum est pro *confici*, & in primis Caesari familiare vocabulum VII. de bello Gallico Commentario, ubi de Labieno loquitur: *Postquam id difficilius confieri animadvertit.*

127. NON ADVERSATA PETENTI ANNUIT. In Romano codice legere est: *Non aversata petenti adnuit*, ut: *Diva solo fixos oculos aversa tenebat.*

nebat. Sed enim id pertinet ad ſupplicia, quae obaudiantur. Loco vero hoc magis placet *adverſata*. Quia de conſenſu, deque in eandem ſententiam eundo, ſermo eſt.

129. AURORA RELIQUIT. In aliquot antiquis codicibus, *relinquit* legitur, praeſenti tempore: nam ſimul oriente Sole, *It portis jubare exorto delecta juventus*. Non eſt vero hic, etſi κατὰ πάρεργον, praetereundum, quod Varro *ortum jubaris* ſignificare ait, *eſſe circiter extremam noctem*. Itaque ait Pacuvius: *Exorto jubare, noctis decurſo itinere*. Ajunt vero *Jubar* ſtellam eſſe: quam Graeci *Phoſphoron*, nonnunquam *Heſperon* appellant, cujus ſplendor in morem leoninae jubae diffundatur. Neque id diſſimulandum, quod C. Caeſar, Flavio Soſipatro teſte, praecipit: *Neutra nomina ar nominativo clauſa, per i dativum ablativumque ſingulares oſtendere. Jubar tamen & Far, ab hac regula diſſidere. Nam ut huic Jubari dicimus, ab hoc Jubare dicendum eſt. Virgilius: It portis jubare exorto delecta juventus*.

132. MASSYLIQUE RUUNT. In antiquis aliquot exemplaribus, *Maſſilici* legitur, omnino corrupte. Nomen id una plus ſyllaba ſcribitur apud Graecos: Μασσαισυλία, χώρα Λιβύης, προσεχὴς τῇ τῶν Μαυρουσίων· Latini vero ſcriptores *Maſſyliam*, & *Maſſylum* agnoſcunt.

138. CUI PHARETRA EX HUMERO. In Romano illo codice, dubio procul antiquiſſimo, legere eſt, *Cui pharetra ex auro*: quod ideo placet, quia Dido tunc pulcherrima eſſe ſtuduit, ut Aeneae placeret, ideoque ornatiſſima, & quam maxime divite habitu inſtructa proceſſit. Congruitque mirifice cultui muliebri laſcivia haec prorſus aurea:

> *Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,*
> *Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.*

Et tamen ſunt, qui laſciviam hanc Virgilianae majeſtati non convenire clamitent, contradicendi potius ſtudio, quam quod ſciant, quid ſit in carmine majeſtas, aut quid in ſcribendo laſcivia. Quorum ſtuporine dicam, an imperitiae reſponſum faciam, Virgilianam hanc eſſe phraſim, Virgilianum ornatum, Virgilianum elocutionis modum, cujuſmodi figura utitur in Octavo:

> *Aurea caeſaries ollis, atque aurea veſtis,*
> *Virgatis lucent ſagulis, tum lactea colla*
> *Auro innectuntur.*

Neque illud huic diſſimile, quod ait in XI.

> *Aureus ex humeris ſonat arcus, & aurea Vati*
> *Caſſida, tum croceam clamydemque ſinuſque crepantis*
> *Carbaſeos fulvo in nodum collegerat auro.*

Sed quid illud in Septimo:

> *Aurea pectoribus demiſſa monilia pendent,*
> *Tecti auro, fulvum mandunt ſub dentibus aurum.*

Ubi eaſdem etiam voces *aurea*, *auro*, *aurum* aſpicimus, quas hoc loco identidem poſuerat. Iſti vero, quia apud Ovidium repererint: *Aureus axis erat, temo aureus, aurea ſummae Curvatura rotae*, Ovidianam eſſe figuram contendunt, non autem Maronianam. Atqui ſi Ovidium ſequeremur, non ex *Auro*, ſed ex *Humero*, in hanc ſententiam legendum eſſet. Nam ubi is de Atalantae cultu loquitur, ita ſcribit:

> *Crinis erat ſimplex, nodum collectus in unum,*
> *Ex humero pendens reſonabat eburnea levo*
> *Telorum cuſtos.*

Sed valeant cum ſuo tam acri judicio, tamque emunctis naribus pulchelli iſti Critici. Nos lectionem hanc, *Cui pharetra ex auro*, antiquorum pene omnium codicum teſtimonio corroboramus. Ita enim in Longobardico, ita in Porcio legitur. In alio vero perveteri ejuſdem Vaticanae bibliothecae, dictio tota *auro* improbe, ac imperite admodum abraſa eſt: non ita tamen, ut ſingularum litterarum veſtigia non extent, & manifeſte *auro* prius ſcriptum fuiſſe diſcernatur. Eſt etiam vetus codex in civitate Belluno, patria mea, in quo pleraque cum his veteribus Vaticanae bibliothecae exemplaribus convenientia deprehendi, & hoc praecipue *Cui pharetra ex auro*. Ita etiam in aliquot aliis codicibus, qui apud me ſunt. Sed ne tam multa congeram, litem ſecundum nos dat Ti. Donatus, dum ita ſubſcribit, CUI PHA. *Totum quod habuit, aut aurum fuit, aut purpura, ut placeret*. Denique Probus in Pollione verſum hunc citat: ubi de iteratione loquitur, eo verſu, *Pan etiam Arcadia*. Dicitque iterationem fieri etiam caſuum permutatione. Et inter exempla hoc etiam apponit, *Quoi pharetra ex auro crines nodantur in aurum*. Haec ut forte plus nimio coacervarem, id in cauſſa fuit, quod nonnulli ſunt ita pravo ingenio praediti, ut meliores ſe doceri litteras aegre ferant, proindeque alios ab eorum cognitione, quae ipſi hactenus ignorarunt, avertere conentur.

140. NEC NON ET PHRYGII COMITES. In antiquis aliquot exemplaribus, *Tyrii comites* legitur: quippe qui Reginam Tyro comitati fuerant, & paulo infra *Tyrios comites* appellabit. Magis tamen pla-

placet *Phrygii*: quia Dido magna stipante caterva progressa erat: neque oportuit Aeneam incomitatum advenire; aliter quaenam agmina jungeret?

161. INSEQUITUR COMMISTA GRANDINE NIMBUS. In codicibus aliquot antiquis, *comitata grandine* legitur; quod minime placet.

167. ET CONSCIUS AETHER CONNUBII. In codicibus aliquot vetustis, *connubiis* habetur acquisitivo casu numeri multitudinis. *Conscius* enim apte dativo jungitur. In quodam antiquo etiam exemplari, *connubio*, numero unitatis, eodem tamen casu habetur: passimque unica N littera. Lectio haec tametsi non displicet, nunquam tamen respuerim *connubii*, genitivo casu, cum etiam optime dicatur, *Sum conscius hujus rei*.

173. EXTEMPLO LIBYAE MAGNAS IT FAMA PER URBIS. Nonnulli codices manu scripti, *Libyes* legunt, declinatu Graeconico, ut incitatius proferatur sed *Libyae*, longe suavius est.

174. FAMA MALUM, QUO NON ALIUD VELOCIUS. Non eo inficias *quo* in pluribus exemplaribus haberi; sed forte non displiceat, quod in Romano *qua* scriptum est: *qua* scilicet *fama* nullum aliud malum velocius; sed omnino *quo* receptius est.

175. VIRESQUE ACQUIRIT EUNDO. Antiqua pene omnia exemplaria integras servant praepositiones in compositis, ut *adquirit*: & ita scribi solitum usque ad Aurelii Antonini Pii tempora, publica declarant monumenta. Ea enim libenter in testimonium adducimus, quod notae semel in marmoribus excavatae, nulla sunt transcriptione mutatae. In arcu igitur aquae Marciae verba haec inter alia ita notata leguntur:

ADQUISITO ETIAM FONTE NOVO.

176. SESE ATTOLIT. Dicebamus quidem praepositiones, *ad*, *ab*, *in*, & hujusmodi incolumes in compositis apud veteres adservari: parcissime tamen scriptum *adtollit*, per *ad* inveni. Tametsi Grammatici veteres *ad* ante *t* indifferenter scribi concedant: propter soni similitudinem, quae in *d* & *t* auditur.

178. IRA IRRITATA DEORUM. Non levi quidem de caussa minimis his quaestiunculis cogimur inhaerescere, quoties quaedam sese offerunt, quae praeter rationem omnem turpiter fuerint negligentia posteriorum contaminata: velut in hoc verbo *irito*, prava invaluit consuetudo, ut geminato *rr* ab omnibus jam librariis scribatur. Volunt enim a littera, quae de nare canina sonat, *irrito* deductum. Quare perperam omnino legitur in nonnullis exemplaribus, *irritata*. Sed enim *irito* ab *ira* potius est, ut & *irascor*: & ita unico R scribendum: nam in iram stimulare significat. *Irritum* vero, vel *irritum* pro non rato, vel *rr* geminato, ex Scauri sententia, vel per *n* & *r*, veterum more scribi manifestum est.

182. TOT VIGILES OCULI SUBTER. In plerisque codicibus antiquis legere est pro *subter*, *subsunt*: *Tot vigiles oculi subsunt*.

183. TERRAEQUE PER UMBRAM STRIDENS. In Oblongo Vaticano codice sane quam vetusto, *stridet* habetur finitiva forma: quod minime displicet. Et *umbras*, numero multitudinis in bona codicum veterum parte.

185. NEC DULCI DECLINAT LUMINA SOMNO. Nequaquam placet, quod in plerisque codicibus antiquis *limina* legitur, quum praesertim apud Catullum, unde phrasis desumpta, legere sit: *Flagrantia declinavit lumina*.

195. DEA FOEDA VIRUM DIFFUNDIT IN ORA. In antiquis aliquot exemplaribus *diffudit*, praeterito tempore habetur; sed longe magis placet praesenti.

201. EXCUBIAS DIVOM AETERNAS. Vetusta quaedam exemplaria legunt *Excubiasque deum aeternas*; sed vulgata lectio magis adprobata.

206. CUI NUNC MAURISIA PICTIS GENS EPULATA TORIS. In antiquis codicibus manu scriptis passim legere est *Maurusia*, ut Graece scribitur per U vocalem quintam in pene ultima: Μαυρύσιοι οἱ Μαῦροι, ἔθνος μέγα Λιβύης. Neque tamen mirandum U litteram in I transiisse, quum multa hujusmodi reperiamus, quae per aetates immutata sunt. Sed enim & *Mauritania*, cujus nominis secunda syllaba a principio per ῆτα tam apud Graecos quam apud Latinos scribitur, olim per E psilon notabatur, ut inspicere est in Adriani Augusti nummis: MAURETANIA. Jam vero & *Jupiter* unico P in antiquis codicibus habetur.

208. ANTE, GENITOR, CUM FULMINA TORQUES, NEQUIQUAM HORREMUS? In vetustis aliquot exemplaribus legere est, *An nae genitor*, ut: *Nae intelligendo*, apud Terentium. Verum in plerisque *ne* absque diphthongo notatum est. Utcunque vero, magis placet vulgata lectio, *An te, genitor, quum fulmina torques, Nequiquam horremus?*

222. TUNC SIC MERCURIUM ADLOQUITUR. In antiquis aliquot *tum* habetur.

225. NON RESPICIT URBES. In oblongo codice, & in Mediceo, *perspicit*. In aliquot aliis *prospicit* habetur, sed eodem sensu *respicit* paulo infra repetitum eo versu: *Nec prolem Ausoniam & Lavinia respicit arva*. Cujus loci testimonio plerique in liminari pagina, libro primo: *Lavinia venit Litora*, legendum arbitrati sunt, quasi utrumque nomen ex commodo suo formare Poëtae non licuerit.

227. GENITRIX PULCHERRIMA. In pervetusto codice *genetrix pulcerrima*. Ac de *pulcro* qui-

quidem satis disputatum: ita etiam de *genetrice*, cujus nominis secundam syllabam per E scribi debere, antiqua marmora, nummi, & Grammatici veteres monent.

228. BIS VINDICAT ARMIS. In Longobardico codice *vendicat*, per E legitur; sed *vindex*, & multa alia, per I scribi debere indicant.

230. GENUS ALTO A SANGUINE TEUCRI. In codicibus plerisque veteribus absque *a* praepositione scriptum est: *genus alto sanguine*, venustate haud quaquam pari.

242. HAC ANIMAS ILLE EVOCAT ORCO. In Longobardico quidem exemplari *vocat* esse videtur; sed si accuratius inspicies, *ill'evocat*, more Graeco, per apostrophen scriptum deprendes. Utebantur vero Latini veteres hujusmodi scribendi modo, quem adhuc in veterum monumentis inspicimus: ut apud Marium Maffeum, praesulem Aquinatem: SI QUICQUAM HUMANITUS IN TE'ST. Et inferius: QUOIUS LAUDATI MORES ET FORMA PROBATA'ST. Mitto vero facio ea innumera, quae apud Plautum & Lucretium in hunc usque diem perseverant in manibus hominum: nempe quia eruditioris saeculi tempore in lucem rediere. Non temere autem scriptum invenias apud Velium Longum, ubi de synalephe loquitur (Sit enim hoc testimonium Latinos eo genere scriptionis usos) *Quum dicimus*, Hic ille'st, *unum e scribimus*, & *duo audimus*, *quod apparet in metro*.

243. ALIAS SUB TRISTIA TARTARA MITTIT. In veteribus aliquot codicibus, *sub Tartara tristia* legitur, mutatis loco dictionibus; sed *tristia Tartara* omnino vocalius sonat.

245. ET TURBIDA TRANAT NUBILA. Tametsi vetusti aliquot codices, *transnat* scriptum habeant, adeo tamen asperum id mihi videtur, ut recipiendum nunquam censuerim.

256. HAUD ALITER TERRAS INTER COELUMQUE VOLABAT. In Oblongo codice, in Mediceo, & aliquot aliis sequitur versus: *Materno veniens ab avo Cyllenia proles*, *Litus harenosum Libyae*, *ventosque secabat*. Nempe ad duarum syllabarum in continuatis versibus homoeoteleuton evitandum. Hinc in plerisque codicibus post dictionem *harenosum*, *ac*: in nonnullis & reperitur, hoc modo copulativa postposita: *Litus harenosum & Lybiae*, *ventosque secabat*: ut dissolutum membrum ita apte connectatur.

263. DEMISSA EX HUMERIS. In pervetustis admodum exemplaribus *dimissa* legitur per *di*, ut negligentiam quandam in cultu, quod virum decet, ostendat. Sed si *demissa* placet, ut apud Statium: *It tergo demissa clamys*, non adversor, quum in statuis, & in nummis habitum hujusmodi saepe observaverim, quae sunt plurimum paludamento ab humeris dejecto, bona anterioris corporis parte nuda.

271. TERIS OCIA. In antiquis *otia*, ut alibi diximus, per *t*. Praeter vero ea, quae posita sunt in Bucolicis, vidi nuper in hortis palatii, quod D. Augustini templo proximum est: NEGOTIANTI PULLARIO PATER B. M. F. Et ultra Thermas Diocletianas, in hortis, qui Maecenatis fuisse dicuntur: POSSESSORES INQUILINI NEGOTIANTES: utrunque per *t*.

284. AUDEAT AFFATU ET QUAE PRIMA EXORDIA SUMAT. In nonnullis codicibus oppido quam vetustis non invenuste legitur absque particula copulativa: *Quo nunc ambire furentem Audeat affatu? Quae prima exordia sumat?*

288. MNESTHEA SERGESTUMQUE VOCAT, FORTEMQUE CLOANTHUM. In Mediceo, & codicibus aliquot aliis antiquis *fortemque Serestum* habetur; sed *fortis* epitheton passim apud Virgilium Cloantho adpositum.

289. CLASSEM APTENT TACITI, SOCIOSQUE AD LITTORA COGANT. In antiquis plerisque codicibus absque particula copulativa legere est: *socios ad litora cogant*. Et ita tertium quoque membrum solutum, *Arma parent*. Elocutio brevis, & imperanti adcommodata.

297. EXCEPIT PRIMA. In codicibus aliquot pervetustis, *accepit* legitur: in aliis *adcepit*, atque si Deo placet, etiam *atcepit*, *d* in *t* mutata. Sed huic sententiae magis quadrare videtur *excepit*.

302. THYAS UBI AUDITO. Velius Longus ait Graecos repugnare, ne Θύας scribatur per υ tantum; velle vero eos υ litteram adsciscere sibi ι ante alteram vocalem, ut unam syllabam faciant. Et ita scriptum observavi in Mediceo codice *Thyias*, quanquam in aliis per *y* tantum.

311. DOMOSQUE IGNOTAS PETERES. Sunt veteres admodum codices, in quibus *domus* hic quarto declinatu habetur. Cujusmodi casum Fl. Sosipater per *us* melius quam per *os* proferri censet.

320. NOMADUMQUE TYRANNI. Non eo inficias *Nomadum* in codice Longobardico, & aliquot aliis legi; sed enim in Oblongo, in Mediceo, *Numidum* habetur Latinorum idiomate. Appianus enim, quos Graeci *Nomadas* appellant, *Numidas* a Latinis appellari dicit. Neque dicat quispiam primam syllabam produci, si *ου* scribatur: quia sit ου diphthongus apud Graecos: Appianus enim Romanorum sonum non syllabae tempus exprimere curavit, quamvis alias pro *u* brevi apud nos ο μικρὸν illi scribere soleant, ut pro *Numa* Νόμας, ita illi Νομάδας, nos *Numidas*.

328. ANTE FUGAM SOBOLES. Cur in antiquis codicibus *suboles* habeatur, alibi dictum. Nunc duo adhuc succurrunt exempla ex antiquis monumentis, ubi *suboles* per *u* scriptum legitur. Ea sunt ad Aesculapii, ubi nunc Divi Bartholomei fanum:

CUNCTORUM HAEC SUBOLI SEDEM POST MORTE RELIQUIT.

Et alio versu eodem epitaphio:

ET FACIET SUBOLES MULTOS MEMORATA PER ANNOS.

A *subolescere* enim hoc deductum esse nomen, alibi diximus.

329. SI QUIS MIHI PARVULUS AULA LUDERET AENEAS, QUI TE TANTUM ORE REFERRET. *Te tantum*, & *tantum te*, transpositae dictiones in diversis codicibus sententiam identidem variant: nam quum Servius exponat: *Optarem filium similem vultui, non moribus tuis*, quadrat ea lectio: *Qui te tantum ore referret.* Quod si, ut in quibusdam aliis codicibus manu scriptis habetur, eam lectionem adprobaverimus, *Qui tantum te ore referret: Tantum*, magnum amoris affectum ostendet, & ipsam petitionis honestatem, quum non quaerat invitum retinere, neque futurae ejus felicitati velit invidere; optare vero tantum ejus imaginis memoriam apud se perpetuo permanere, quam assidue spectando delectetur, & solitudinis taedium levet, desertique amoris amaritudinem leniat, quod in suscepto filio contingere potuisset: & ideo ad optatorum diminutionem descendit, aitque *tantum*, ut ex pluribus, quae forte negaturus erat, hoc saltem unum impetraretur. Tota enim orationis vis eo vertitur, ne deserat amatus amantem; aut si deserturus omnino sit, non ita miserabilem in aerumnis & calamitatibus derelinquat. Est & alia lectio in codice Longobardico, atque etiam in Mediceo, neque non in Porcio: *Qui te tantum referret.* Cui lectioni nonnulli alii veteres codices adstipulantur. Et ita apud Arusianum in libello de Virgilianis elocutionibus scriptum habetur. Quae quidem oratio & ipsa affectus, & amoris plena est: ait enim: *Tametsi summo opere concupiscat filium ex Aenea suscipere: nolle tamen, nisi patri futurus sit similis suo. Totaque in eo est, ut ostendat, se regnum, opes, famam, omnia denique posthabuisse, prae uno Aenea, quo si potiri non liceat, imaginem saltem Aeneae similem assidue contemplari possit. Quas vero impudicitiae, voluptatisque notas interpretes huic inurunt, a Virgiliana sententia mihi videntur alienae, qui amorem Didus exscribere videtur: de quo fertur, unam esse animam in gemino corpore.*

330. NON EQUIDEM OMNINO CAPTA, AUT DESERTA VIDERER. In Longobardico codice, in Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis legitur, *Ac deserta*, quod infelicitatem augere videtur. Multi enim captivi sunt, non tamen auxilii spe deserti: multi sine spe, non tamen captivi: se vero ait Dido omnino captam; sed nisi aliqua saltem imago Aeneae sit penes se, etiam desertam. Hinc illud horrificum in somnis ejus sequetur: *Semperque relinqui Sola sibi, semper longam incomitata videtur Ire viam, & Tyrios deserta quaerere terra.*

340. ME SI FATA MEIS PATERENTUR DUCERE VITAM AUSPICIIS. In antiquo admodum codice pro *paterentur*, suppositum est *voluissent*. Sed *paterentur* multo quid majus habet, & multo magis eruditis satis auribus facit.

343. RELLIQUIAS COLEREM ET PRIAMI TECTA ALTA MANERENT. In Mediceo, & antiquioribus quibusdam exemplaribus & copulativa particula non habetur, positum vero est κατὰ ἀλλ-λον: *Relliquias colerem, Priami tecta illa manerent.*

344. ET RECIDIVA MANU POSUISSEM PERGAMA. Quamvis exemplaria multa *rediviva* legant; magis tamen placet, quod Servius etiam agnoscit, *recidiva: a cado* enim *recidivus*, quod ait ille post casum restituta. Ita etiam Fl. Sosipater sentit, qui *rediviva* dici monet, quae post interitum redeunt, *recidiva*, quae ex suo casu restituuntur: unde Virgilius: *Recidiva manu posuissem Pergama victis.*

350. EXTERA QUAERERE REGNA. Priscianus loco hoc, quod repetere non pigeat, *Antiqui*, ait, *Citer dixerunt: unde citerior. Sic & Exter.* Statius VIII. *Nec sua pignora curae Exter honos.* Et Virgilius in IIII. *Et nos fas extera quaerere regna.* Adverte vero κακοφωνίαν in triplicata *re* syllaba in earum dictionum continuatione, *Quaerere regna.*

360. TEQUE QUERELIS. Usus obtinuit, ut *querela* unico *l* scribatur. Antiqui codices variant. Monumenta veterum duplicato *ll* plerunque scribunt. Legas enim in palatio montis Jordani: DULCITER SINE QUERELLA. Et in monumentis Claudiae Sympherusae: SINE QUERELLA. Atque ita alibi saepius.

362. JAM DUDUM ADVERSA TUETUR. In Mediceo, & plerisque veteribus exemplaribus, *aversa* legitur; quod agnoscit Servius, ut: *Diva solo fixos oculos aversa tenebat:* de iis enim est, qui obaudiunt; sed quomodo *tuetur*, si *aversa*? Torve scilicet, & eo gestu, quo irati, quas res oderimus, vel despicimus, intueri solemus, oculis quippe in obliquum versis.

373. NUSQUAM TUTA FIDES. In codicibus aliquot antiquis, *nusquam est tuta* legitur; sed enim *est* verbum ex paraphrasi additum est contextui. Magis enim poëtica est elocutio, absque eo verbo: *Nusquam tuta fides*, dicere. EJECTUM LITORE EGENTEM EXCEPI. Animadvertenda loco hoc distinctio dictionum: quia Priscianus, *ejectum litore* legit, pro, in litus. Quamvis quidam distinguentes

gientes *ejectum* ac consequens verbum dicunt, *litore egentem suscepi.* Ita enim ibi scriptum est, propterea quod excipere significationem habere nonnunquam videtur cum insidiis, ut eo loco: *Aemulus excepit Triton.* Invenitur tamen verbum id hospitalitati etiam adcommodatum. Nusquam vero alibi, quam apud Priscianum, idque in antiquo codice manu scripto, qui est apud eruditissimum virum Hieronymum Aleandrum contubernalem meum, legi: *Litore egentem suscepi.* In Virgilianis autem omnibus exemplaribus, *excepi.*

375. AMISSAM CLASSEM, SOCIOSQUE A MORTE REDUXI. Codices vetusti partim *Amissam & socios a morte* legunt, partim absque particula copulativa, *Amissam classem socios a morte reduxi:* quae quidem membra ita soluta magis conveniunt indignatae personae. Est & illud animadversione dignum, quod in Prisciani codicibus hoc citato versu legere est, *Ejectam classem socios a morte reduxi.* Sed quia paulo ante, *ejectum litore egentem* legitur, magis placet cum Servio & aliquot antiquis codicibus legere, *amissam classem.*

379. SCILICET HIS SUPERIS LABOR EST. Legendum omnino, *is:* quippe *labor*, ex codicibus fere omnibus antiquioribus.

383. ET NOMINE DIDO SAEPE VOCATURUM. Quod *Didum* uspiam scriptum inveniatur, non adeo mirum est, quum Plinius eam declinationem, asserente Sosipatro, videatur admisisse. Qui tamen consuetudinem dicat facere, *hanc Calysto*, *hanc Calypso*, & similia. Attejus sane Philologus librum suum sic edidit inscriptum: *An amaverit Didum Aeneas.* Et L. Anneus Cornutus in Maronis commentariis, Aeneidos X. *Didus ait: Hospitio Didus exceptum esse Aeneam.* Quo minus reformidemus illud *egentem excepi.* Sed enim hoc loco, ut ad rem veniamus, *Dido* per synaeresin, ex Διδώα, & peritiorum consensus, & antiquorum codicum testimonia comprobant.

385. ET QUUM FRIGIDA MORS ANIMA SEDUXERIT ARTUS. In antiquis aliquot exemplaribus, *subduxerit* habetur: quam lectionem Servius agnovisse videtur, dum exponit hypallagen esse, pro, animam artubus subduxerit. Ubi vide ne in Virgiliano codice ex hac interpretatione Servii *animae* dativo casu sit legendum, si hypallagen, quam ille loco hoc commentus est, facere voluerimus. Sed enim, ut utramque lectionem approbarim, sive *Anima seduxerit*, sive *Animae subduxerit* legere quis maluerit: ita hypallagen a philosophica ratione alienam esse contenderim. Nam quum finiat Plato philosophiam esse mortis meditationem, veteres ejus interpretes duplicem mortis rationem comminiscuntur, aut duas potius mortes; unam, qua corpus separatur ab anima; alteram, qua anima separatur a corpore: hanc per ecstasin fieri, & intentiorem contemplationem, qua ab omnibus pene humanis sensibus abalienamur, eamque esse philosophiam, de qua intellexerit Plato: illam vero, qua corpus ab anima separatur, eam esse mortem, qua species ipsa corrumpitur, ac esse desinit. Si igitur Servianam hypallagen admittamus, quae animam artubus subducat, Ecstasis intelligetur, & Platonica philosophia. Sin, uti Virgilius posuit, dicamus, *Anima seduxerit artus*, sive *Animae subduxerit artus*, de ea morte sermo erit, quam hic Dido vult intelligi. Siquis vero quaerat quae mea sit sententia ex duabus lectionibus, eam ego castiorem dico, quae Platonicae finitioni proprior est: quippe *anima seduxerit artus:* id est, quum mors corpus ab anima separaverit.

390. ET MULTA PARANTEM DICERE. Vetusti aliquot codices, *Multa volentem dicere* legunt; sed *parantem* longe melius.

414. ANIMOS SUBMITTERE AMORI. In codicibus aliquot antiquis, *animum* legitur numero unitatis; sed enim *animos* numero multitudinis saepe pro superbia & indignatione reperias, ut: *Vince animos, iramque tuam:* & ipsa Dido jam indignata recesserat.

427. NEC PATRIS ANCHISAE CINERES MANESVE REVELLI. In Oblongo codice Vaticano *revulsi* legitur: quod improbat Servius. Sed enim *vello* utroque modo reddere praeteritum Priscianus, & multo ante illum Carisius, auctores sunt. Cicero De suppliciis: *Revellistis, atque in profundum abjecistis.* Apud Lucanum vero saepe *vulsi*, & *vulserat* invenies. Apud Ovidium *revellit*, more Ciceronis, eo loco praesertim: *Continuam diduxit humum, pariterque revellit. In totidem medii, quot cernis, Echinades undis.* Sed apud eundem etiam *revulsi*, eadem fabula paulo superius, libro Metamorph. VIII. *A silvis silvas, & ab arvis arva revulsi.*

436. CUMULATAM MORTE RELINQUAM. In Mediceo, in Porcio, & antiquis aliquot aliis codicibus, *remittam* legitur. Tu vero quid hic Servius ex Tuccae & Vari sententia disputet, videris.

441. AC VELUTI ANNOSAM VALIDO CUM ROBORE QUERCUM. In Porcio, & plerisque codicibus antiquis legere est: *Ac velut annoso validam cum robore quercum.* Quae quidem lectio agnita etiam videtur Ovidio, quum dixit: *Stabat in his ingens annoso robore quercus.* Sunt autem, qui vulgatam lectionem magis adprobent, magisque proprium esse dicant, *annosam quercum*, & *validum robur.*

443. IT STRIDOR, ET ALTE CONSTERNUNT TERRAM CONCUSSO STIPITE FRONDES. In veteribus aliquot exemplaribus *altae*, scilicet *frondes*, non

non *alte*, adverbium habetur; sed enim adverbium longe venustius hic ponitur.

446. TANTUM RADICE IN TARTARA TENDIT. In codicibus nonnullis ex his vetustioribus, *radicem* incusativo casu legitur: quam lectionem si admittamus, *tendit* pro *extendit* positum erit. Quanquam in Oblongo codice perveteri *mittit*, non *tendit* habetur. Quod si recipiamus, membrum illud superius, *Quantum vertice ad auras aetherias*, figura erit: quam brevitatis per detractationem Quintilianus appellaret; quum scilicet unum verbum, & id quidem manifestum, siletur. Sed enim tametsi tam multi codices manu scripti refragentur, libentius ego legerim *radice*, casu septimo, ut cum superiore membro colligatum lectionem reddat dilucidiorem.

448. ET MAGNO PRAESENTIT PECTORE CURAS. In plerisque codicibus antiquis, *persentit* legitur. In aliquot etiam *persensit*, praeterito tempore; sed magis movet in instanti dictum.

456. NON IPSI EFFATA SORORI. Veteres plerique codices, *Sorori est*, una plus dictione legunt; placet vero verbum id in fine narrationis.

462. SOLAQUE CULMINIBUS FERALI CARMINE BUBO. No. Marcellus, ubi Virgilium praeter aliorum auctorum morem foemineo genere *Bubonem* appellasse dicit, hoc citato versu, non *sola*, sed *fera* legit, epitheto inauspicatae volucri proprio, ut illud: *Seraque terrifici cecinerunt omina vates*. Reliqui tamen codices, quotquot inspexi, *sola* legunt.

464. VATUM PRAEDICTA PRIORUM. Ex antiquis exemplaribus, quae prae manibus habuerim, plura fuerunt omnino, quae *piorum*, quam quae *priorum* legerent. Quod si praedicta, in se *prius* habere consideremus, superhabundare quodammodo *priorum* judicabimus. Sin *priorum* legerimus, & proprium epitheton vatibus dabimus, & vaticinio auctoritatem. Sane Servius utrumque agnoscit.

469. EUMENIDUM DEMENS VELUTI. Antiqui aliquot codices, *Eumenidum veluti demens*.

471. AUT AGAMEMNONIUS SCENIS AGITATUS ORESTES. In antiquis aliquot codicibus: *Furiis agitatus* legitur, ut rem vero proximiorem faciat: nam quae in scenis repraesentantur, fabulosa esse solent. Verum ego crediderim *Furiis* ex paraphrasi desumptum: & *scenis* inde, legitima lectione expuncta, adulterinam suppositam. *Agitatus* enim non tantum pertinet ad *Furias*, quae omnino subintelliguntur: verum etiam ad fabulae actionem, quae frequenter scilicet recitari consuerit. Advertendum etiam *Orestes* absque adspiratione scribi, licet in codicibus manu scriptis ea fere passim huic nomini adposita inveniatur.

479. QUAE MIHI REDDAT EUM, VEL EO ME SOLVAT AMANTEM. In Oblongo illo codice perveteri legere est: *Quae mihi reddet eum, vel eo me solvet amantem*, utrumque verbum futuro tempore, finitivo modo. In Longobardico: *Quae mihi reddat eum, vel eo me solvet amantem*. Ut primo agat de praesenti, ut *reddat*: id si nequaquam fieri possit, de futuro saltem, ut sit solvenda Dido praecavetur: propterea *solvet* affirmativum est: & hoc saltem eventurum firmiter proponit. Sed enim mihi magis faciat satis utrumque verbum eadem figura, eodem tempore & modo positum, magisque finitivum illud *reddet*, & *solvet*: nam ut Anna propere ad opus adcingeretur, certa aliqua spes proponenda fuit. Est & sua tamen elegantia in lectione altera.

483. HINC MIHI MASSYLAE GENTIS. In codicibus plerisque veteribus, *Massyliae gentis* legitur: quod veriti sunt *sy* mediam syllabam esse brevem. Hinc superius, *Massylicique ruunt equites*, posuerunt: sed trisyllabum Latini agnoscunt.

490. NOCTURNOSQUE CIET MANES. Exemplaria quaedam admodum vetusta legunt, *Movet manis*: ut illud: *At cantu commotae Erebi de sedibus imis Umbrae ibant tenues*. Et infra: *Quo fletu manis, qua numina voce moveret*. Sed enim *ciet* mihi magis placet: quo significato legere est in Pharmaceutria: *Animas imis excire sepulcris*.

496. EXUVIASQUE OMNES. Legitur etiam in antiquis, *Exuvias omnis*, absque particula copulativa; quod nihil aliud ab Aenea relictum indicaret, in futurae caedis omen. Sed enim inferius, *exuvias* ab *ense* distinxit: & *Iliacas vestes* nominavit. Quare dicendum potius congruere imperanti membra quam maxime dissoluta ponere, ut: *Ferte citi flammas, date tela, scandite muros*; & quod paulo ante dicebamus: *Classem aptent taciti, socios ad littora cogant*. Neque suo caret ornatu, si cum particula copulativa legamus: *Exuviasque omnis*; praesertim, quum altera subsequatur, *lectumque jugalem*.

497. SUPERIMPONAS. In codicibus aliquot antiquis, *Superimpone* scriptum est: id autem absque synalepha legeretur. Sunt & alii, in quibus *Imponant* habetur. Neutrum horum placet.

498. ABOLERE NEFANDI CUNCTA VIRI MONUMENTA JUBET, MONSTRATQUE SACERDOS. Sunt codices admodum vetusti, in quibus cum Mediceo sic habetur: *Monimenta juvat*. Ac de *monimento* per I, satis alibi dictum. Quod vero *juvat* inveniamus, dicta erunt haec ex persona consilioque Didus: *Abolere nefandi cuncta viri monumenta juvat*: mox illud ex praeceptis, quae sacerdos dederat, quorum vel alterum movere poterat sororem, ut ea omnia curaret cremanda. Mihi vero *jubet* magis placet, ut hoc sit auctoritatis & reverentiae, quae sacerdoti debeatur. *Monstrat* vero pro redditione caussae, cur id fieri debeat.

499. PAL-

499. PALLOR SIMUL OCCUPAT ORA. Veteres nonnulli codices *Inficit ora*, legunt: quod non est horroris proprium, sed verecundiae potius: praeterea pallor infecturae contrarius est.

502. AUT GRAVIORA TIMET QUAM MORTE SICHEI. In antiquis aliquot codicibus, *haud* legere est, quod minime placet. Est & *Suchei* per *u*, ut superius non semel observatum: quod quidem, ut puto, fit, ut *libet*, *lubet*, & similia.

513. FALCIBUS ET MESSAE AD LUNAM QUAERUNTUR AHENIS. Codices plerique vetusti scriptum habent *aheneis*, quippe *falcibus*: quod non displicet. Ovidius: *Tertia post illos successit abenea proles*. Horatius: *Hic murus aheneus esto*. Erit vero versus dactylicus, vel Synizesin patietur. Sed enim etiam *ahenis*, recte. De aspiratione vero in eo nomine, dictum est alibi.

518 UNUM EXUTA PEDEM VINCLIS IN VESTE RECINCTA. Sunt quidem exemplaria manu scripta, in quibus legitur: *Et veste recincta*; sed illud, *In veste*, longe usitatius.

531. ACCIPIT. Quia plerique codices antiqui *adcipit*, incolumi praepositione scribunt, libuit ex Cn. Pompei temporibus testimonium adscribere, quod verbum id *cc* geminato tunc scribi solitum declararet. Inscriptio est in Minervae delubro, quod ex manubiis condidit, in qua notatum est hoc modo: IN DEDITIONEM ACCEPTIS. Inde paulo infra: IN FIDEM ACCEPTIS, utrunque *cc* geminato.

535. NOMADUMQUE PETAM CONNUBIA. *Numidum*, Latine scribendum ostendimus ex Appiano. Id igitur potius referamus, quod veteres plerique codices, non *petam*, sed *sequar conubia* legunt: quod mihi non placet. Paulo enim infra est, *Jussa sequar*: quod absurdum esset tam cito repetitum. Et de *connubio*, petere libentius dicimus: *Petit ante alios pulcherrimus omnes Turnus*. Et *uxorem petere*, apud Terentium saepius.

536. QUOS EGO SUM TOTIES. In aliquot antiquis codicibus, *sim* legitur: si diligenter advertas, non invenuste.

538. QUIA NE AUXILIO JUVAT ANTE LEVATOS. In codicibus aliquot antiquis, *exilio* legitur: quasi ad id adludat, quod illis in exilium abactis, patriam donaverat, per eam concessionem: *Urbem quam statuo vestra est*. Sed enim *auxilio* in pluribus habetur exemplaribus: & longe castior lectio peritioribus videtur.

540. RATIBUSVE SUPERBIS IRRISAM ACCIPIET. In Mediceo, & plerisque aliis codicibus antiquis: *Invisam* legitur: prae dolore enim putat se omnibus haberi odio. Non tamen displicet *irrisam*.

543. NAUTAS COMITABOR OVANTES. Vetera quaedam exemplaria *euntes* legunt, sed *ovantes* agnoscit Servius. Et ad victoriam de se partam invidiose adludit infelix Dido, quasi captiva sit in triumphum deducenda.

544. AN TYRIIS OMNIQUE MANU STIPATA MEORUM INSEQUAR. Mediceus, & antiqui alii plerique codices, *inferar* legunt. De navigatione enim adhuc est sermo; & an sola, an cum suis omnibus comitari debeat Aeneam, quem dominum in regna receperat: nondum enim in excandescentiam exardescit.

550. NON LICUIT THALAMI EXPERTEM SINE CRIMINE VITAM DEGERE MORE FERAE. Male omnino legitur in codicibus nonnullis antiquioribus: *Expertam*: scilicet me, quae fueram experta vitam thalami, conjugii tempus, sine crimine, degere in posterum, morae ferae: quae quidem insulsa est interpretatio. Longe vero melius est: Non licuit degere vitam more ferae thalami expertem. Quam lectionem Quintilianus ita agnoscit, ut Emphasim inter figuras memoret, quum ex aliquo dicto latens aliquid eruitur: ut apud Virgilium hoc loco. Quanquam enim de matrimonio queritur Dido, tamen huc erumpit ejus affectus, ut sine thalamis vitam non hominum putet, sed ferarum.

552. CINERI PROMISSA SICHAEO In codicibus plerisque sane quam vetustis, *Sichaei* legitur; major tamen pars possessivum nomen agnoscit, & *Suchaeo*, ut alibi observatum, scribit.

559. ET MEMBRA DECORA JUVENTAE. In Mediceo, & in codicibus aliquot aliis antiquis, *juventa* legitur casu septimo: quasi *juventa* ipsa in caussa esset, cur membra decora essent.

561. NEC QUAE CIRCUMSTENT TE DEINDE PERICULA CERNIS. Mediceus codex cum veteribus plerisque aliis exemplaribus, ut numerosiorem faciant versum, ita legunt: *Nec quae te circum stent deinde pericula cernis*: ut sit: Nec cernis, quae te circum pericula stent; non autem circumstent unica dictione.

563. NEFAS IN PECTORE VERSAT. Nonnulli codices omnino vetusti legunt *sub pectore*; sed *in pectore*, lectio castior est.

564. VARIOQUE IRARUM FLUCTUAT AESTU. In veteri admodum codice legi, *Varios irarum concitat aestus*. Sed ex Synepeia Catulli, *fluctuat aestu* magis placet. Apud eum enim legere est: *Et magnis curarum fluctuat undis*.

569. EJA AGE, RUMPE MORAS. Vetera aliquot exemplaria legunt, *Ergo age*: utram lectionem lector praetulerit, non laboro. Sed mihi *Eja age* magis placet.

572. CORRIPIT E SOMNO CORPUS. In antiquis aliquot exemplaribus, *Corripit e strato*. Ut illud: *Corripio stratis corpus*.

577. IMPERIOQUE ITERUM PAREMUS OVANTES.

tes. In antiquis plerisque codicibus legere est, *Imperioque tuo paremus*, quamvis Servius *iterum* agnoscit.

578. Adsis o. Sunt omnino codices aliquot ex antiquioribus, in quibus *assis*, geminato *ss* scriptum inveni; sed longe plures, iidemque cariosiores, *adsis*, per *d* scribunt. Qui vero *ss* geminari debere contendunt, inde potissimum eliciunt argumentum, quod apud Plautum, *Assum* respondenti, *Elixum te, non assum volo*, alter subjecerit, joco ex verbi similitudine suborto. Sed enim agnominationes hujusmodi non sine venustate, una etiam vel mutata vel detorta litera, fieri consuerunt.

590. Flaventisque abscissa comas. Codices nonnulli veteres, *adsciffa*, quod minime placet, legunt. In altero enim plus est vehementiae.

596. Nunc te fata impia tangunt: Tum decuit, quum sceptra dabas. Probus hoc loco *Num* & *Tum* adverbia sibi respondere dicit: quare absque *c* littera legendum, *Num te fata impia tangunt*. Praeterea apud eum, veluti etiam est in Mediceo codice, *facta impia*, non *fata* legitur: ut sit participium, non nomen. Quae vero sint ea facta impia, ad quae stimularetur, superioribus versibus enumeraverat: *Non arma expedient*, & quae sequuntur.

602. Epulandum apponere mensis. In Mediceo, & antiquis plerisque omnibus codicibus, *ponere*, simplex verbum notatum observavi: idque Servius agnoscit. In uno autem tantum codice veteri, *adponere* scriptum inveni, ut vulgata habent exemplaria: & frequens loquendi usus adprobat.

611. Meritumque malis avertite numen. Exemplaria longe plura sunt, & ea probatiora, quae *advertite* legunt. Imprecatura enim est Dido mala multa Trojanis, quae Dii morienti Elisae rata, & inevitabilia esse velint. Et hoc admittere videtur Servius, dum dicit: *Quod mali merentur*, *scilicet Trojani*. Eadem apud Ovidium sententia, idemque verbum, ubi Althea Furias in gnati exitium vocat: *Poenarumque Deae triplices furialibus*, *inquit*, *Eumenides sacris vultus advertite vestros*.

614. Et si fata Jovis poscunt. Antiqui plerique codices, *Et sic fata Jovis poscunt*, legunt: quae lectio forte non displiceat. In Mediceo, *c* littera ex ea dictione abrasa est, quum *sic fata* prius scriptum fuisset.

617. Videatque indigna suorum Funera. Bona veterum codicum pars, *videat indigna suorum*, absque particula *que*, legunt. Notum enim heptimemerim quoque indifferenter utramque syllabam admittere: unde superiori libro legere est: *Dona deinc auro gravia sectoque elephanto*. Neque tamen displicet *videatque* legere, versu incolumi, & pleniore.

637. Sic veniat. Codices nonnulli veteres legunt, *sic veniet*, finitivo modo; sed *veniat*, imperando magis placet.

641. Illa gradum studio celerabat anili. In codicibus quibusdam sane quam vetustis, *anilem* legitur: quippe gradum. Videturque majus esse, celerare gradum anilem studio, quam celerare gradum anili studio; hoc tamen in medio relinquatur.

649. Paulum lachrymis. In antiquis aliquot exemplaribus, *Paullum lacrumis* habetur. Ac de *lacrumis* quidem satis superque dictum alibi. Quantum vero pertinet ad adverbium *paullum*, duplici *ll* notatum, id ita scribendum esse constanter adeo affirmat Terentius Scaurus, ut eos peccare sine dubio dicat, qui *paulum* per unum *l* scribunt. Hinc in veterum monumentis legas: Hospes quod deico paullum est asta ac pellice. Et eodem modo plerisque locis tam pro adverbio, quam pro nomine proprio, paullum, paullus scriptum comperias. Missa vero facio nomismata, in quibus fere passim paullus legitur *ll* geminato.

651. Dum fata Deusque sinebant. In aliquot antiquis codicibus *sinebat*, singulari numero legitur; ut proximiori adcommodetur: sed magis placet plurale *sinebant*.

656. Inimico a fratre recepi. Minime placet, quod in codicibus nonnullis manu scriptis legitur, *inimico fratre*, absque praepositione.

664. Ensemque cruore spumantem. In Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus, legere est *cruorem* quarto casu; ut plura sint membra ad exaggerationem; haec scilicet: Collapsam aspiciunt comites, ensemque aspiciunt, cruorem spumantem aspiciunt, sparsasque manus. Vel, Ensem spumantem cruorem, transitive, non ineleganter. Sed enim magis omnino placet: *Ensem cruore spumantem*.

668. Resonat magnis plangoribus aether. In Mediceo, & antiquis plerisque codicibus, *clamoribus* habetur; sed magis foemineum est *plangoribus*. Et paulo ante dictum est: *It clamor ad alta Atria*, quod non fuit tam cito repetendum.

669. Non aliter, quam si immissis ruat hostibus. In codicibus aliquot antiquis *missis* legitur, absque *im* praepositione, hostium impetum indicante: quare quum *immittere* pertineat ad hostilem vim; & alibi: *Immissi Danai*: & apud Historicos, *Immissos equites*, *immissos hostes*, saepe legas, nulla mihi reliqua sit dubitatio, quin *immissis* legendum sit.

670. Aut antiqua Tyros. Veteres plerique co-

codices *Tyrus*, idiomate Latino legunt; sed non displicet *Tyros*, cujusmodi casum Valerius Probus in plerisque aliis hujusmodi nominibus apud Virgilium agnoscit.

679. ATQUE EADEM HORA TULISSET. In codicibus aliquot antiquis *fuisset* legitur; sed *tulisset* melius, ut assumat accusativum *ambas*.

682. EXTINXSTI TE MEQUE, SOROR. In veteribus fere omnibus exemplaribus, *extinxi*, prima persona legitur: quasi fateatur Anna se manibus suis parasse instrumenta necis, admittatque in se culpam ad majorem doloris exaggerationem. Valerius tamen Probus *extinxti* per Syncopen agnoscit, una cum Sosipatro Carisio: qui, *Syncope* (ait) *est*, *quum mediae parti aliquid subducitur*, ut: *Extinxti te*, *meque soror*, pro, extinxisti.

689. STRIDET SUB PECTORE VOLNUS. In antiquis aliquot codicibus *stridit*, a tertia conjugatione est; ut in Georgicis: *Stridere apes utero:* &c: *Striduntque cavernis*.

690. CUBITOQUE INNIXA LEVAVIT. In plerisque codicibus antiquis, *adnixa* legitur. Sed id magis animadvertendum, quod vetera quaedam exemplaria *cubitu* legunt, quarto declinatu: nisi sit, ut *agru*, & *donu*, & pleraque similia: quorum exempla superius adnotavimus.

692. INGEMUITQUE REPERTA. In antiquis aliquot exemplaribus *repertam* legitur, pro reperisse: quae frequens apud eruditos elocutio.

694. DIFFICILESQUE OBITUS. Ut missum faciam *lis* terminationem in antiquis codicibus, id ponam ex eruditorum sententia, *difficiles obitus* ideo a Poëta dictos, quia casu moriebatur, non autem fato: de quo apud Aulum Gellium lib. XIII. cap. I. IRIN DEMISIT. Quaerebant veteres, cur *Irin* non *Iridem* Virgilius dixisset: positumque *Irin* pro *Iridem*, C. Julius Romanus ait: & ita alibi, *Irin de coelo*. Varronem tamen, Tullium, & alios, hujus *Iris*, *hujus Serapis*, *hujus Isis* protulisse.

697. SED MISERA ANTE DIEM. Apud Nonium Marcellum loci hujus expositionem invenies: & apud Servium in libri decimi commentario.

699. ABSTULERAT. In codicibus aliquot antiquis, *apstulerat* per *p* legitur: nam quum veteres *b* ante *s* durius sonare judicarent: quod in *abscondit* Velius Longus notat, eam litteram in *p* commutabant, quae auditum exornaret. Nostra autem aetate nusquam reperi tam erudita aures, quae duritiem a mollicie in hujusmodi pronuntiatione discernerent. In veterum vero monumentorum inscriptionibus saepe *apstulerit* per *p* notatum observavi: quorum exempla aliquot indicasse non pigeat. Romae apud D. Eustachii:

AUT HANC ARAM APSTULERIT.

In S. Celsi epigrammate elegiaco: APSTULERINT. In S. Priscae:

QUOD TE FESTINANS APSTULIT ATRA DIES.

701. TRAHENS VARIOS ADVERSO SOLE COLORES. In Mediceo, & codicibus quibusdam aliis perveterstis, *adversa luce* legitur; sed *adverso Sole* signate ex ratione physica positum est.

704. ET DEXTRA CRINEM SECAT. In Longobardico perveteri codice, *crinem tulit*, habetur, ut sit pro abstulit. Magis tamen placet *secat*; ut res ipsa pingi videatur: nam *ut pictura Poësis* est. Atque haec hoc libro dicta sufficiant.

LIBER QUINTUS.

INTEREA MEDIUM AENEAS JAM CLASSE TENEBAT CERTUS ITER. Antiqui admodum codices legunt mutato numero, *Interea Aeneas medium*, dactylis & spondeis alternatim collocatis: qui numerus artificiosior videtur, quamvis *medium Aeneas* ex plurium litterarum collisione gravior habeatur. Sed enim suas quisque aures consulat: nos enim id in medio relinquimus.

3. QUAE JAM INFELICIS ELISAE COLLUCENT FLAMMIS. In codicibus aliquot antiquis legere est, *jam felicis*, ut sit *jam* pro πάλαι: quod ipsamet antea confessa fuerat; *Felix*, *heu nimium felix*, *si litora tantum Nunquam Dardaniae tetigissent nostra carinae*, de priore vita sua loquens. Quod si *infelicis* placet, & *jam* respicere ad verbum *collucent*, aliena non erit a ratione sententia: nam & ea se identidem *infelicem* appellavit paulo ante: & *infelix* ab Aenea nuncupatur in Sexto.

9. COELUM UNDIQUE ET UNDIQUE PONTUS. Lectio haec in codice Longobardico, & quibusdam aliis manu scriptis; sed enim in Mediceo, & plerisque itidem antiquis ita scriptum observavi, *maria undique*, *& undique coelum*. Ex eruditis autem viris hanc alii lectionem, alii alteram malunt.

13. HEU QUIANAM TANTI CINXERUNT AETHERA NIMBI. Jovianus Pontanus, summo vir ingenio, eruditioneque, ut omnibus palam est, incomparabili, in libro de numeris Poëticis, multis

quidem rationibus legendum esse: *Heu qui nam*, monosyllabicis dictionibus, nititur adprobare. Aliquos vero codices inveni, in quibus paulo sequius detorto dictionis casu, per monosyllaba legatur: *Heu quo nam:* in quodam alio, *quid nam*; sed enim Servius *quia nam* agnoscit, & in decimo sermonem Ennianum esse dicit. Vetustioraque omnia exemplaria, quae habui, *quianam* trisyllabum legunt. Priscianus libro de Constructione primo, *quianam* ait interrogative poni, Virgilii testimonio hinc citato: idemque significare, quod apud Graecos ἆρα τί. Alibi vero ait, ἄρα conjunctionem causalem per *quianam* expressum a Virgilio: *Heu quianam tanti.* Et *quianam* adverbium constare Tribracho, hoc loco teste, Valerius Probus asserit in Artium institutis. Sosipater Carisius, ubi *quianam* inter adverbia interrogandi recenset, hunc eundem citat versum: *Heu quianam tanti cinxerunt aethera nimbi.* Mihi vero non displicet Pontani sententia; sed neque veteribus codicibus, uno consensu legentibus eodem modo, & antiquis tot Grammaticis, quos tamen Pontanus eludit, ausim refragari: quum praesertim Quintilianus ita libro octavo dicat: *Propriis dignitatem dat antiquitas. Eoque ornamento acerrimi judicii P. Virgilius est usus* olli, *&* quianam, *ad spargendam auctoritatem.*

16. Obliquatque sinus in ventum. In Longobardico *sinum*, unitatis numero legitur, inemendate: nam etsi absque ecthlipsi legeretur, absurdum omnino nescio quid sonaret: & *sinus*, numero multitudinis, vela, poëtae libentius appellant.

21. Nec nos obniti contra. In antiquis codicibus plerisque, *obnixi* legitur, quod adnotandum fuit: non quia *obniti* candidiorem esse lectionem non agnosceremus; sed quia plerique codices manu scripti eodem modo legunt. Nec tendere tantum In aliquot antiquis suaviore numero legitur, *neque*.

29. Quoque magis fessas optem dimittere navis. Antiqua pleraque exemplaria cum Mediceo, *quove* legunt, particula disjunctiva.

35. At procul excelso miratus vertice montis. In veteribus quibusdam codicibus, *et procul* legitur: quod non ita placet. Est & distinctis inde dictionibus praepositione & nomine *ex celso*. Nonnulli tamen malunt una legendum.

36. Adventum sociasque ratis. Non est excipiendum risu, quod in antiquis aliquot codicibus *atventum* per *t*, consonante prima, scriptum inveniatur. Fuisse siquidem veterum morem nomen hoc ita scribere non inficiatur Victorinus; sed nos nunc per *d* scribere libentius volunt.

37. Et pelle Libystidis ursae. Sunt qui *Libyssidis*, per *ss* geminatum, non per *st* legere contendant. Quam lectionem ego nusquam in exemplaribus antiquis inveni: neque formam eam gentilis nominis, aut patronymici, aut quavis alia velint ea nuncupatione appellitare, traditam a Grammaticis: quamvis id nomen in multas varietur formas. Primo enim *Libys* est proprium nomen, cujus genitivus *Libyos*, a quo *Libya*. Inde nomina deducta vel gentem, vel quid hujusmodi significantia, *hic* & *haec Lybis*, & *hoc Liby*, *Libycus*, *ca*, *Libyssa*, *sae:* a quo *Libyssaeus:* a genitivo vero *Libyos*, ex pleonasmo *Libysticus*, *Libyssticus*, *Libystinus*, *Libystias*, & quod in frequentissimo est Latinorum, & Graecorum usu, *Libystis*. Et quoniam apud Stephanum legitur, *Libyam a Liby dictam*, non importunum fuerit, quid alii quidam super hoc nomine senserint apponere. *Libyam* ab eo dictam, quod inde *Libs* flat, putat Servius, & plerique alii. Varro vero nomen confictum putat, quod *Libya*, quasi λίπουσα τοῦ ὕειν, dici crediderit: cui opinioni Sallustii etiam dictum adcommodant, *Coelo, terraque penuria aquarum.* Eam tamen Isocrates a matre Busiridis ita vocatam dicit, ubi de nobilitate Busiridis his verbis loquitur: Ὡς πατρὸς μὲν ἦν Ποσειδῶνος, μητρὸς δὲ Λιβύης, τῆς Ἐπάφου, τοῦ Διός. Φασὶ πρώτην γυναῖκα βασιλεύσασαν ὁμώνυμον αὐτῇ τὴν χώραν καταστῆσαι. Fuit itaque Busiris patre Neptuno, matre Libye, quae Epaphi filia fuit, qui Jovis. Eam autem, quum mulierum prima regnare adgressa esset, suo de nomine regioni nomen indidisse proditum est.

41. Ac fessos opibus solatur amicis. Vetera aliquot exemplaria legunt, *&* *fessos*; sed magis placet *ac:* quia sequelam quandam cum properatione subinnuit. Est & *amicos* legere in codicibus aliquot antiquis, ut sit, *fessos amicos*; sed *amicis opibus*, hoc est, gratis, & optatis, longe magis placet.

45. Genus alto a sanguine Divum. In codicibus aliquot antiquis, *a sanguine Teucri* legitur; sed enim magis placet *divum*, ut persuasurus divinos honores celebrandos in honorem patris; idem ipsi sibi sperarent, qui genus a *diis* ducerent. Et in antiquioribus codicibus dubio procul *divom* habetur.

49. Ni fallor. In antiquis codicibus, *nisi fallor*; sed monosyllabum venustius.

51. Getulis agerem si Syrtibus exul. *Gaetulus* cum *ae* diphthongo prima syllaba scribi dictum. Est vero & *exsul* tam ex aliquot codicibus, quam ex antiquorum marmorum testimonio, ac veterum Grammaticorum praeceptis, per *x* & *s* scribendum: idque non eo abusu, quo *maxsumus*, *auxsilium*, *Alexsander*, & hujusmodi pleraque in veterum monumentis notata superius memoravimus; sed quia Terentii Scauri, Capri, & quo-

quorundam veterum Grammaticorum praeceptum est, *exful* cum littera *s* post *x* scribendum; ut scilicet nominis, quod insertum est, vis appareat. Siquidem *exful*, extra solum esse significat. Quod vero intermitti coeperit, & in hac dictione, & in aliis nonnullis, inde factum: quia Thusci natura linguae suae *s* literam raro exprimerent. Apud Latium vero, unde Latinitas dicta, & ubi orta, & major populus, & magis egregiis artibus pollens, Capri ipsius testimonio, fuere Thusci, quos nos plurimum sumus imitati.

52. ET URBE MYCENE. In codicibus aliquot antiquis *Mycenae*, cum diphthongo, in aliquot *Mycena* legitur; sed sive *Mycene* legendum velint, ut apud Juvenalem *vetus Thebe*, sive declinationem mutatam, ut Grammatici tradunt, ut in erudito quodam carmine, *Mycena ditis*, aliorum sit judicium: nam Priscianus inveniri quaedam ait singulariter prolata idem significantia. Virgilius quinto: *Argolicove mari deprensus & urbe Mycena*. Mihi sane mirifice placet, quod in Romano codice legi, *Mycenis*, figura elocutionis admodum eleganti. Erant & alii codices, in quibus *Mycenis* legebatur numero multitudinis; sed imperitorum hominum injuria contaminati sunt, ultima abrasa syllaba.

58. ERGO AGITE, ET CUNCTI LAETUM CELEBREMUS HONOREM. In antiquis codicibus, transpositis dictionibus, *& laetum cuncti celebremus*, habetur.

59. ATQUE HAEC ME SACRA QUOTANNIS. In antiquis aliquot codicibus, *mea sacra*, legitur: a me scilicet instituta; sed quia subsequitur *ferre*, magis placet *me ferre*. Est & *quot annis*, distinctis dictionibus, ut in veterum monumentis: CENTENI QUINQUAGENI QUOT ANNIS DARENTUR. Et alia hujusmodi.

68. AUT JACULO INCEDIT MELIOR LEVIBUSVE SAGITTIS. In antiquis, *levibusque:* atque id expositive positum.

69. SEU CRUDO FIDIT PUGNAM COMMITTERE CESTU. In antiquis aliquot codicibus, transpositis verbis, legitur, *Seu pugnam crudo fidit*, quod in medio relinquimus eorum, qui arcanam hanc musicam adamant, judicio perpendendum: ita etiam quod subsequitur transpositis tantum dictionibus variatum.

71. ET CINGITE TEMPORA RAMIS. Quod in Romano codice, & aliquot aliis ita habetur: *& tempora cingite ramis:* nempe ad similium syllabarum concursum evitandum, *te tem*, & *ra*, *ra*. Verum hujusmodi syllabarum homophoniae plerunque de industria fiunt a poëtis, ut eo loco: *Et nos fas extera quaerere regna:* de quo superiore libro dictum.

96. CEDIT QUINAS DE MORE BIDENTES. In Romano codice legere est, *binas*: neque desunt, qui manibus pari numero hostias mactari solitas dicant. In quibusdam aliis exemplaribus scriptum observes, *ceditque binas*, quod mihi subindicat *quinas* legendum. Siquidem *v* saepe mutari solitum in *b* litteram adnotavi: postea interjectum est punctum, quod *q*, a dictione sic scripta *q binas*, dissepararet: ignarique artis metricae, *ceditque binas* legendum putavere. *Quinas* vero bona pars veterum codicum habet. Jam vero *bidentis* & *nigrantis* per *i* passim scripta sunt.

101. DONA FERUNT ONERANTQUE ARAS. In antiquis aliquot codicibus absque copulativa particula legere est: *Dona ferunt, onerant aras;* sed mihi copula ea inserta plurimum adridet.

103. SUBJICIUNT VERUBUS. In antiquis *subiciunt*, duobus *ii* in unum, idque figura oblonga, coëuntibus: & *veribus* per *i* pene ultima, ex veterum monumentis, & Grammaticorum praeceptionibus.

106. FAMAQUE FINITIMOS ET CLARI NOMEN ACESTAE EXCIERANT. In Romano codice, & in Longobardico *exierat* legitur, quod non placet. Et Priscianus ut *cii* praeteritum comprobaret, *excierat* ex hoc Virgiliano versu citat. Scribendum vero singulari numero *excierat*, etiam ex antiquis codicibus.

112. ARGENTI AURIQUE TALENTA. In codicibus aliquot antiquis, *auri argentique* legitur; sed altera lectio melior, & numero, & ordine rei, ut illud: *Argenti atque auri memoras quae multa talenta Gnatis parce tuis*.

116. REMIGE PISTRIN. In antiquis plerisque codicibus *pristin* legitur, quam ἀπὸ τὸ πρίζειν dictam volunt, hoc est a secandis fluctibus: *pistrin* vero pro navigii forma Nonius Marcellus agnoscit (nisi codices corrupti sunt) ad similitudinem marinarum pistricum, quae longi corporis sunt, sed angusti.

119. TRIPLICI PUBES QUAM DARDANA VERSU IMPELLUNT. Est antiquus codex, in quo scriptum est *impellit*, numero unitatis; sed altera lectio ex Mediceo & aliquot aliis magis placet, utpote figuratior.

122. CENTAURO INVEHITUR MAGNA. Codices aliquot antiqui, *magno* legunt. Sed magis placet *magna*, foeminino genere, quod agnoscit Servius. Esse vero *magno*, virili genere, librarii errorem, ostendit lectio, quae subsequitur: *Scyllaque Cloanthus Ceruleo:* quod genus neque *navi*, neque *Scyllae* possis adcommodare.

123. GENUS UNDE TIBI, ROMANE CLUENTI. In aliquot exemplaribus antiquis, *Cloanthi* legitur: quam primam crediderim cognominationem fuisse. Inde *Cluentium* dici coeptum; quo modo saepe apud Ciceronem habetur.

136. INTENTAQUE BRACHIA REMIS, INTEN-

TI EXPECTANT SIGNUM. Servius quidem & *intenta brachia*, & *intenti juvenes* agnoscit; neque tamen idem repetitum, quum diversa sit significatio: aliter enim brachia, aliter mentem intendimus, ait ille. Sed enim in codicibus aliquot antiquis legere est, *nudataque brachia remis intenti.* Quae si placeat elocutio, ubi lectum erit: *Caetera populea velatur fronde juventus, Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit:* suspendantur illa duo verba, *considunt transtris:* inde per continuationem superioris membri, *Nudataque brachia remis Intenti expectant signum.* Priscianus tamen *intenta* agnoscit cum Servio, ubi accusativo inquit inveniri passiva conjuncta, sed figurate, ut: *laeditur manum: frangitur pedem.* Virgilius: *Intentaque brachia remis Intenti expectant signum:* atque hoc alibi repetit, dictumque asserit, ut: *Nuda genu*, & *Lacerum crudeliter ora.* Apud quem tamen etiam si *nudata* legas, traditam ab eo regulam nihil immutabis: quum de modo elocutionis, non de vocabulo sit sermo. Utrobique autem in veteribus Prisciani codicibus *intenta* scriptum est.

143. CONVULSUM REMIS ROSTRISQUE STRIDENTIBUS AEQUOR. Dissimulandum jam, quod in antiquis codicibus habetur, *convolsum*; &, ut Victorinus scribendum praecipit, *convulsum.* Illud autem diligentius examinandum, quod olim, quodque nostra maxime aetate Grammaticorum omnium ingenia perturbat, *rostrisque stridentibus.* In quo variant & ipsi quoque codices antiqui, totque tibi offerunt lectiones, ut cui potissimum adhaereas, ambigere cogaris: nam quum post dictionem *rostris*, *que* particula copulativa multorum omnino veterum exemplarium consensu subsequatur, veriti plerique sunt *stridentibus* adscribere, quod primam in eo verbo syllabam produci persuasum haberent. Hinc in vetusto quodam codice, *rostrisque sonantibus*, scriptum est. Hinc alii *s* in *stridentibus* abundare putaverunt; quod omnino plerisque aliis locis factum deprendi, in Romano praesertim codice, suspicatique sunt *tridentibus* legendum. Alii *ruentibus* adinvenere, qua in opinione litteratissimos aetate superiore viros fuisse accepimus. Sed enim lectiones hujusmodi in nullo ex antiquis exemplaribus, quae undique conquisita inspexerim, offendi. In Oblongo illo codice pervetusto, quem Pomponii Laeti delicias fuisse dicunt, *rostrisque rudentibus* legitur: quod improprie dictum videtur. Quum vero bona codicum antiquiorum pars *rostrisque stridentibus* habeat, eamque lectionem agnoscat Apronianus, non absurdum forte fuerit dicere pedem insolitum, quippe Amphimacrum, vel Molossum potius, quarto loco positum: nisi Poëtam auctoritate sua primam in *strideo* syllabam, quippe quae [illegible] sit, vocalis dichrona, corripuisse quis asserere voluerit. Neque obstiterit, quod, *que*, tribus consonantibus inhaerentibus produci debere videatur: quum *s* inter liquidas quoque rejecta sit, Capri testimonio, & ab Etruscis inter eas litteras, quae vix pronuntiarentur habita; licet olim suae cujusdam potestatis, sonoque suo etiam absque vocalium adminiculo sonora videretur. Sed quid obsecro magis proprium, quam in eo strepitu exprimendo, per eam syllabarum asperitatem, ut vastum nescio quid praeter etiam rationem musicam audiatur legere, *Convulsum remis rostrisque stridentibus aequor?* Quamvis neque quidem ea mihi lectio displiceat, quam probant litterati plerique viri, *rostrisque tridentibus.* Quam lectionem ab Academia Neapolitana profectam indicavit mihi Angelus Colotius, vir apprime litteratus. Videtur vero *tridentibus* dictum a specie rostri, tridentali effigie: cujusmodi ea est, quae in Agrippae nummis habetur: nam in honoribus Agrippae habitis nummi etiam cum navi rostrata cussi s. c. quod Virgilius in clipeo tangit: *Tempora navali fulgent rostrata corona.* Movet me praeterea Valerii Flacci parodia ita dicentis: *Volat immissis cava pinus habenis, Infinditque salum: & spumas vomit aere tridenti.*

146. NEC SIC IMMISSIS. Veteres aliquot codices manu scripti legunt, *Non sic immissus:* ut sit altera periodus. Sed vulgata lectio omnino receptior.

151. PRIMUSQUE ELABITUR UNDIS. In Romano codice, in Longobardico, in Mediceo & aliquot aliis legere est: *primis undis.*

156. ET NUNC PISTRIS ABIT. In antiquioribus codicibus legere est: *Et nunc pristis habet.* Sed quamvis *pristin*, ut paulo ante dicebamus, παρὰ τὸ πρίζω dictam velint, nihil me moverit, utrum *r* prima an secunda syllaba collocetur, quum multa hujusmodi ex metathesi tam apud Graecos, quam apud Latinos enuntiari soleant. Quod vero *habet* legitur, ideo placet, quod intelligitur de priore loco, quem ambo superare contendebant. Si cui tamen *abit* magis placeat, illi sit integrum suo jure legere. Eam sane lectionem ego raro in his codicibus antiquis observavi, nisi subdititiam, priore abrasa lectione, quae scilicet *habet* erat. Non praeteribo autem esse veteres codices, in quibus supra verbum *habet*, adscriptum sit loco paraphrasis, *Victoriam.*

158. ET LONGAE SULCANT VADA SALSA CARINAE. In Romano codice legere est: *Et longa sulcant vada salsa carina:* neque obstat, quod duo sint, quum subintelligi possit, unusquisque sua. In Mediceo quidem *carina* prius fuerat; sed aliena manu & atramento *carinae* factum. Est ibidem *longe* absque diphthongo, ut adverbium videatur; quanquam ea in aliis quoque nominibus desideratur.

160. CUM

160. CUM PRINCEPS. In antiquis aliquot codicibus scriptum est *tum*.

162. HUC DIRIGE CURSUM. Vulgata quidem exemplaria *cursum* habent; sed in Romano & plerisque aliis uno exemplo legas, *gressum*. De navigatione tamen *cursum* potius dici passim observes.

163. LITUS AMA, ET LEVAS. In Longobardico legere est, *Litus amet. levas*, non quod utrumque de palmula dicatur: nam qui sensus in palmula, ut amare possit, nisi figurate dicatur? Sed quia *am'et* per Apostrophen una elisa vocali scriptum fuerit in antiquis: quam scriptionis rationem, aliquot veterum inscriptionibus, quae adhuc in marmoribus restant, alibi comprobavimus. Et quia forte dicerent aliqui, apostrophen apud Latinos in uno tantum verbo *est* fieri solitam; invenimus *hor'unc* pro *horum hunc*. In antiquissimo monumento ad Divi Bartholomei Pontem, qui jungit insulam Aesculapii, Janiculum versus, ita luculentissimo scriptum Senariolo: GNATOS DUOS CREAVIT HORUNC ALTERUM. Ibi enim *u* & *m* litterae una cum aspirationis nota elisa sunt; nisi quis maluerit *horunc* pro *horunce*, positum, ut ex *hocce*, *hocc*; demum *hoc*: de quo superius disputatum eo loco: *Hoc erat alma parens*.

167. CUM CLAMORE GYAS REVOCABAT ET ECCE CLOANTHUM RESPICIT. Multi expungunt *&*, quod in antiquis codicibus particulam eam adferant non inveniri. Id qua ratione suffulciant, viderint. Ego sane & in Vaticanae bibliothecae codicibus, & in plerisque aliis, qui mihi prae manibus fuerunt, passim *&* ipsum notatum animadverti: quare pro iis, qui Trochaeum quarto loco statuere in hoc versu volunt, nihil habeo certi, quod ex antiquis codicibus afferre possim.

170. SUBITUSQUE PRIOREM PRAETERIT. In Mediceo, & antiquis aliquot aliis codicibus, *subito* legitur. Si cui magis nomen faciat satis, integrum unicuique est, quam maluerit lectionem eligere.

175. PUPPI DETURBAT AB ALTA. In antiquis aliquot codicibus, *detraxit*, venustate, & proprietate haud quaquam pari. Est & in *deturbat* subitarius impetus.

178. REDDITUS IMO EST. In nonnullis codicibus antiquis, *est*, verbum desideratur: in aliquot aliis per apostrophen scriptum invenias, *im'est*; sed haec quoniam aetas nostra videtur abhorrere, quamvis ita saepe in codicibus antiquis scripta reperio, pluribus tamen locis, ne cuipiam fastidio sim, consulto dissimulabo.

184. SERGESTO, MNESTHEOQUE GYAM SUPERARE. In codicibus aliquot antiquis, *Mnesthei* legitur, ut in Georgicis: *Inferias Orphei*. Eaque est recta declinatio: quamvis *Mnestheo*, per Synizesin legi posse non negarim.

186. NEC TOTA TAMEN ILLE PRIOR PRAEEUNTE CARINA. Nonnulli eo syllabarum similium concursu offensi, qui apparet in *tota tamen*, neque non aliqua omnino asperitate, quae resultat, ex continuatione dictionum itidem duarum, *prior praeeunte*, versum in vocaliorem quandam musicam redegere. Itaque in antiquis plerisque codicibus versus hoc legitur ordine dictionum: *Nec tamen ille prior tota praeeunte carina*; sed utcunque isti auribus ita suis adblandiantur, nihil est in lectione illa pervulgata, quod me vel tantillum offendat.

187. PARTEM ROSTRO PREMIT. In codicibus aliquot antiquis, *partim* legitur: nescio an mutatione ea familiari ex *e* in *i*, an adverbium esse voluerint; mihi sane magis placet *partem*, nomen.

194. NEQUE VINCERE CERTO. QUAMQUAM O! In antiquis plerisque codicibus imperite, ineptque abrasa est castior lectio, scilicet, *Quamquam o*: & ejus loco repositum *quemquam*, ut ab eo pendeat, *Vincere certo:* quod valde absurdum est; suos tamen habet amatores.

198. AEREA PUPPIS. In Romano codice, *puppes* per *es* nominativo casu numeri singularis habetur. Eamque veram esse lectionem ex Valerii Probi praeceptione conjicimus, qui vocabulum hoc nominativum in *es* mittere ostendit, dum ait: *Puppes*, *valles*, *rupes*, *vulpes*, *apes*, *nominativo singulari proferri*. At nunc vix unum aut alterum ex his pronuntiari per *es* videas. Tot ea fuerunt, quae Grammatici juniores, usumne secuti nescio, an abusum, immutarunt.

202. NANQUE FURENS ANIMI DUM PRORAM AD SAXA SUBURGET. In codicibus aliquot antiquis legere est: *nanque furens animis:* sed enim Arusianus Messus *furens animi*, casu quippe genitivo, elocutionis modum loco hoc agnoscit: quanquam Virgilius alibi *furens animis* dixerit, uti eo loco: *Ecce furens animis aderat Tirynthius*. Est & *suburguet*, per *u* post *g*, Attiano more, in antiquis plerisque codicibus; sed Attium Velius Longus auctorem appellat vitiosum.

208. FERRATASQUE SUDES. In Mediceo, & antiquis aliquot aliis exemplaribus, *trudes* legitur. Sunt vero *trudes*, conti praeacuta cuspide, quibus repelluntur & naves, & alia, a *trudendo* dicti. Neque vero timendum syllabae, quum tam multa reperiantur, quae derivata a longis, brevia tamen ipsa sint, ut *duces* a *duco*; ita *dicax*, *lucerna*, *sopor*, *fragilis*, *coma*, & hujusmodi alia plerraque.

216. DAT TECTO INGENTEM. In codicibus aliquot manu scriptis, *Plausumque exterrita pennis Dat tergo ingentem* legitur; sed *tecto*, omnino melius.

220. ET PRIMUM IN SCOPULO LUCTANTEM.

In codicibus aliquot antiquis *at*, in aliis *ac*; sed hoc melius, nisi *&* malueris.

224. Spoliata magistro est. Et hoc quoque per apostrophen scriptum in antiquis aliquot exemplaribus hoc modo: *magistrest:* de qua scribendi ratione exempla veterum alibi recitavimus.

226. Adnixus viribus urget. In Longobardico *adnisus* per *s* scriptum, cujus scriptionis rationem alibi reddidimus. Et in aliquot aliis antiquioribus *urguet*, uti paulo ante *suburguet*, ex instituto Attii.

228. Resonat clamoribus aether. In Romano codice antiquissimo, & in aliquot aliis manu scriptis legere est: *resonatque fragoribus aether:* ut id totum de remigatione intelligatur, & plausu, qui per strepitum editur. Quamquam neque *clamoribus* displicet, quum dictum sit: *Cunctique sequentem Instigant studiis:* quod per clamores fieri necessarium est. Sane in Mediceo *clamoribus* habetur; sed ibidem *resonatque* scriptum est, quod rationem metricam vitiaret; niquis amphimacrum in hoc genere carminis ferre potest.

235. Dii, quibus imperium pelagi, quorum aequora curro. In antiquis primum codicibus, *DI* per arctationem litterarum, ut apud Varronem est, uno fere legitur exemplo. In Longobardico mox una plus dictione *imperium est pelagi*, ut etiam apud Servium est. In Oblongo Vaticanae Bibliothecae, in Mediceo, & in aliquot aliis omnino vetustis, *imperium pelagi est.* Sed enim judicio meo recte factum in Romano, ubi verbum id tam inconstans locum non habuit. Demum in exemplaribus aliquot antiquis, *quorum aequore*, septimo casu legitur; sed *aequora*, quarto casu, magis splendida videtur elocutio.

236. Vobis laetus ego candentem in littore taurum Constituam. In Romano codice absque *in* praepositione locali legitur, quod magis placet. In Mediceo una plus dictione legitur, *ego hoc candentem in littore*, ut cito etiam soluturum se votum innuat.

237. Extaque salsos Porriciam in fluctus. Non sum nescius quid Macrobius libro III. Saturnalium super hoc verbo tradiderit. Antiqua tamen omnia exemplaria, quotquot habere potui, uno eodemque exemplo legunt, *proiciam:* idque unico I, pro sui temporis consuetudine. Ut tamen verbum hoc immutatum sit, Macrobius Grammaticorum & librariorum imperitia factum ait.

247. Ternos aptare juvencos. In Romano codice legere est, *optare:* ut munera sint honestiora, quae scilicet victores ex sua possent libidine seligere. Eaque lectio in quibusdam aliis vetustis exemplaribus habebatur. Qua abrasa, *aptare* inde suffectum est.

269. Puniceis ibant evincti tempora teniis. Hoc loco plerique codices antiqui, *tenis*, unico *i* scribunt. Qui geminare malunt, alii Dactylicum esse versum; alii pro unico tantum *i* accipere debere contendunt. Non dissimulabo quod in antiquo codice pro *teniis*, *vittis* scriptum est; sed id sumptum ex paraphrasi, quum omnino *teniis* hic agnoscant docti omnes.

270. Quum saevo e scopulo multa vix arte revulsus. In Romano codice, *ex scopulo* legitur: & *revolsam*, quippe *ratem* legas. Cui lectioni adstipulatur etiam Oblongus codex pervetus, ubi *revulsam* habetur. In aliis *revulsus*, quippe *Sergestus* legitur, veluti vulgata habent exemplaria.

272. Illisam sine honore ratem. In antiquis omnibus exemplaribus, *irrisam* vel *inrisam* legi: tametsi superius *inlisa prora pependerat:* nam quae in ludis male succedunt, risu excipi solent: ut quum Nisus lapsum lamentaretur, risit pater optimus. Et quum Menaetes in aquas a Gya deturbatus esset, *Illum & labentem Teucri, & risere natantem, Et salsos rident revomentem pectore fluctus.*

277. Ardensque oculis et sibila colla Arduus attollens. In Romano codice legere est: *Pars sibila colla arduos adtollens*; sed quantum ad emendationem primam pertinet, quum jam dictum sit, *Pars vulnere clauda retentat.* Quod vero *arduos* & hic & alibi scriptum sit toto eo codice, Carisius eam scriptionem in plurium syllabarum nominibus improbat: nempe ne aliqui ita indocti acciperent pronuntiandum, veluti *divos*, *servos*, *vivos*, & bisyllabum esse *arduos* existimarent: quare addit *carduus*, *arduus*, trium syllabarum.

279. Nexantem nodis. Utrumque *nodis*, & *nodos*, in antiquis habetur exemplaribus; sed ubi *nodos*, ibi itidem *nexantem*, a *necto*, *nectis*, habes; ubi vero *nodis*, plurimum ibi *nixantem*, frequentativa forma a *nitor*, legere est, quod alibi non memini me legere. Sed enim hoc citato loco, *nexantem nodis*, ut etiam in codice Mediceo est, agnoscit Priscianus a *Nexo*, *nexas*.

281. Et plenis subit ostia velis. Antiqua omnia, quae legerim hactenus, exemplaria a vulgatis omnibus diversa sunt, duarum dictionum transmutatione: *& velis subit hostia plenis.* Erunt tamen aliqui, qui vulgatam lectionem, *ostia velis*, ut suaviorem magis probent, & *ostia plenis*, ut duriusculam improbent. Unusquisque autem aures consulat suas.

283. Servatam ob navem. Non adeo triviale cuipiam videatur, si male legi in codicibus plerisque etiam veteribus *navim* per *im* dixero, quum Varronis praeceptum sit apud Fl. Sosipatrum,

ut

ut *avem*, & *navem* per *e* dicamus: quoniam *ab hac ave*, & *nave* faciat, quibus accusativus per *i* dari non potest. Cicero tamen *avi incerta* dixit.

284. OLLI SERVA DATUR OPERUM HAUD IGNARA MINERVAE. Longe alio numero carmen hoc habetur in codicibus quibusdam antiquis, in quibus ita legitur: *Olli serva operum datur haud ignara Minervae.* Puto vero ita transpositas fuisse dictiones, quod aliqui pentimemerim ut brevem Poëtae nostro noluerint indulgere: nam in priori eademque vulgata lectione nihil est quod me offendat. Ne vero quis observationes hujusmodi ut inanes, & nullius pene momenti stomachetur, sciat, eos, qui versus faciunt, eo curiosius hujusmodi numeros observare solere, quo peritiores sunt, & elegantiores haberi volunt. Neque illud praeterierim, quamquam leve, *haut* in antiquis plerisque codicibus, per *t* scriptum esse: quod & Pontanus agnovit priscorum consuetudine: & *haud*, *d* quidem littera terminari Sosipater dicit, admittere tamen sonum vocis, ut per *t* scribatur. Placuit tamen posterioribus, ut *aut* conjunctio, & *haud* adverbium primis, & ultimis litteris differrent.

285. GEMINIQUE SUB UBERE NATI. In Romano codice, *sub ubera*, quarto casu numero plurali legitur; sed *ubere* figuratius est, & magis placet.

290. EXTRUCTOQUE RESEDIT. In antiquis, *exstructo*, nulla detrita littera; sed enim id asperum omnino nimium videtur, quattuor consonantibus, & earum una duplici, inter duas vocales constipatis.

298. QUORUM ALTER ACARNAN. Scribendum est acuto accentu in ultima syllaba *Acarnan*. Oxytona enim *Akarnan*, *Azan* ab oppido, quod in Ponto Strabo memorat. *Atintan*, *Athaman*, *Aizan*, gentium nomina, quae aucta in genitivo in pene ultima circumflexum habent Ἀκαρνᾶνος, Ἀζᾶνος.

299. ALTER AB ARCADIA, TEGEAE DE SANGUINE GENTIS. In Romano codice, *Arcadio*, quippe *sanguine*, legitur: quae denominationis forma apud Val. Flaccum est, *Arcadio cujus armata veneno tela*. Sed enim hic *ab Arcadia* longe castior est lectio. Est & ubi legatur: *Alter ab Arcadia Tegeaeae sanguine gentis*, absque *de* praepositiva particula.

300. HELYMUS PANOPESQUE. In Romano codice, semper *Helemus*, per *e* media syllaba, non per *y* scriptum invenias; sed enim *Helymum* herois nomen memorat Strabo, & reliqui omnes antiqui codices uno consensu *Helymum* legunt; nisi qui *Helenus*, aut quid corruptius habent.

306. CNOSIA BINA DABO. Utrumque & *Cnosia* per *c*, & *Gnosia* per *g* scriptum invenio: quod ex earum litterarum cognatione tantundem est.

312. LATO QUAM CIRCUMPLECTITUR AURO BALTHEUS. In codicibus antiquis plerisque omnibus una plus dictione distincta legitur: *circum amplectitur.* Utrumque placet.

325. INCUMBENS HUMERIS. In Romano codice, in Longobardico, & aliquot aliis, *humero* legitur, quod & Servius agnoscit. Idque viciniorem ostendit, ut non tantum calcem calce tereret, verum etiam humero antegressi Helymi incumbere, aut inhaerere videretur. *Humero* vero unitatis numero, ad exprimendum gestum illius, qui nihil socium declinet, ut liberius praeterire possit: nam spatia, si plura superfint, transeat elapsus prior.

326. AMBIGUUMVE RELINQUAT. In codicibus aliquot antiquis: *ambiguumque*; sed *ve* disjuncta particula magis placet: ut ex duobus alterum omnino futurum dicat: aut quippe transeat, aut nisi transierit, ambiguum relinquat, uter eorum prior fuerit. Si vero *que* legamus, sensus erit pari adeo eos gressu concurrisse, ut quamvis hic transisset, ambiguum tamen relicturus esset, quia socii vicinitas spectatores fefellisset.

327. SUB IPSUM FINEM. In omnibus pene codicibus antiquis, *sub ipsam*, foeminino genere positum inveni: de cujus nominis genere plura alibi. Sane vero praeteritum non sinam locum apud Livium lib. IIII. pr. Dec. *Finem ergo non fieri, nec futurum:* ita vulgata habent exemplaria, virili genere. Vetus autem codex, *futuram*, legit foeminino.

328. LEVI CUM SANGUINE. In exemplaribus aliquot manu scriptis, *tum* habetur; sed *cum* magis placet.

330. FUSUS HUMI VIRIDESQUE SUPER MADEFECERAT HERBAS. In Longobardico quidem, & in Mediceo codice, *humi* legitur; sed in Romano & aliis fere omnibus, *humum*, accusativo casu habetur: ut sit ordo: madefecerat humum & viridis herbas.

334. NON ILLE OBLITUS AMORUM. In veteribus plerisque codicibus, una plus dictione, *amorum est*, legitur. Verum id verbum ex paraphrasi mihi videtur insertum. Missos facio codices, in quibus *amoris*, unitatis numero, legitur: quum longe venustius omnino, *amorum*, numero multitudinis habeatur.

340. HIC TOTUM CAVEAE CONSESSUM. In codicibus aliquot antiquis, *consensum* habetur; sed puto CONSE'SUM fuisse notatum cum sicilico, de quo apud Victorinum haberi diximus, quod librarii pro nota compendiaria *n* litteram significante, transcripsere. Nam *consessum caveae*, omnino castior lectio videtur.

347. SI PRIMI SALIO REDDUNTUR HONORES

res. In exemplaribus plerisque veteribus legere est, *reddantur*, conjunctivo modo; sed *redduntur*, finitivo modo, in emendatioribus.

350. Me liceat casum miserari insontis amici. In codicibus omnibus antiquis, quotquot legi, *casus* habetur; quorum nonnulli verbum etiam alterius figurae, quippe *misereri* ponunt; ut *casus* sit genitivo casu; sed enim *casum miserari*, satis magis facit auribus eruditis, ut: *Miseratus agrestes*.

351. Getuli. Scribendum *Gaetuli*, cum diphthongo *ae*, ut alibi ostensum.

359. Et clupeum efferri jussit Didymaonis artes. De clipeo dictum alibi. In antiquis aliquot codicibus *offerri* est, quod non aeque placet. Sunt etiam codices, in quibus *Didymaeonis*, media per *ae* diphthongum, notatum sit; quod nomen esset a cognomento Apollinis, qui etiam *Didymaeus* appellatur. Sed haec parvi omnino momenti sunt. Illud silentio minime praetereundum est, quod in Romano codice, *artem*, unitatis numero, hoc est, opus, legitur: quam lectionem etiam in aliquot aliis manu scriptis observavi.

371. Quo maximus occubat Hector. In vetustis aliquot exemplaribus, *maxumus adcubat*, & *accubat*, habetur; sed *occubat*, vel *obcubat*, de sepultis rectius dici puto.

374. Perculit, et fulva moribundum extendit harena. Antiquus admodum codex, *percutit*, legit; quae quidem antichronia esset, pro *percussit*: nam *percellere* ad animum Grammatici referre volunt: quod tamen non usquequaque receptum video, Codicibus praesertim antiquis saepe *percussus*, pro *perculsus*, ponentibus. Verum esto inter utrumque verbum differentia, loco hoc *perculit* omnino ad animum referri potest, quum significet ex ictu adeo consternatum, ut abalienato animo concideret moribundus.

380. Ergo alacris cunctosque putans excedere pugna. In Romano codice, & in Longobardico, *palma* non *pugna* legitur, quod valde placet: nam & apud Priscianum duobus antiquis codicibus, & apud Carisium litteris Longobardicis ita scriptum observavi: ea ratione citato versu, ut utrum *alacer* per *er*, an *alacris* per *ris* dicendum sit, terminetur, placetque vel Virgilio in primis auctore dici *alacris*. Consuetudo tamen, ut ait Plinius libro Dubii sermonis sexto, *alacer*, dicit.

384. Quo me decet usque teneri. In Mediceo, & veteribus quibusdam aliis codicibus, *morari*, legitur. Mora enim erat reliquis desidentibus; sed magis placet *teneri*, ut in Porcio exemplari est, propter suscepti muneris obligationem.

388. Proximus ut viridante toro consederat herbae. In antiq. *Proxumus ut viridante toro consederat herba*. Sed *herbae*, possessivo casu, omnino melius.

394. Non laudis amor nec gloria cessit. In aliquot codicibus antiquis: *Nec laudis amor nec gloria*; sed in pluribus *non*.

396. Sanguis hebet. Non placeret, quod in Romano codice legitur, *habet*, nisi lectionem eandem invenissem apud Asperum, veterem Grammaticum, in antiquissimo itidem codice; placet tamen & *hebet*, ut vulgata habent exemplaria.

398. Si nunc foret illa juventa. In Romano codice, *juventas*, legitur; veluti prius erat in Longobardico. Reliqui etiam codices ita saepe soliti sunt, ut in viii. *Tum mihi prima genas vestibat flore juventas*. In aliquot aliis, *juventus* est. Sed enim Grammatici quid *juventus*, quid *juventas*, quid *juventa* sit, suis singula differentiis finiunt: *juventutemque* de juvenum multitudine dici volunt, quum *Juventas* Dea sit, *juventa* aetas. Quanquam sunt, qui duo haec aliter accipiant. In nummo tamen Aurelii, & aliorum quorundam: juventas inscribitur, quod de Dea dici nemo dubitarit. Et No. Marcello *Juventas Dea*, *juventa aetas est*: nam & Catullus: *Exerce juventam* dixit, quod nemo non de aetate dictum affirmet. Quod vero *juventas*, pro aetate toties in antiquis exemplaribus inveniatur, minime displicet, quum figurata sit elocutio, perinde ac illa: *Sine Cerere & Baccho*.

399. Haud equidem precio inductus pulchroque juvenco. In Mediceo per disjunctivam, *pulchreve* legitur.

404. Obstupuere animi. Non in Virgilianis tantum codicibus, *obstipuere*, per *i* secunda syllaba, reperitur; verum in Terentii, Horatii, & aliorum auctorum antiquis exemplaribus verbum id hoc eodem modo notatum invenias.

406. Ante omnes. In antiquis, *omnis*. Sed libet hoc loco clarissimorum hominum testimonia proferre, qualesque fuerint, qui de levibus hujuscemodi quaestiunculis disputare operae precium existimarunt. Sosipater Carisius integrum sane libellum C. Julii Romani de Analogia transcribit, in quo illud etiam adnotatur, quod Pomponius Secundus, poëta, ut refert Plinius, propter homonymiam Nominativi accusativo casu *omnes* non putat dici, sed *omnis*; tamen idem Plinius in eodem permanet, dicens, *omnes* tum demum posse dici accusativo, ut *canes*: quod genitivus pluralis *horum canum*, ante *um*, *i* non habet. Ponunt inde exempla, variatam esse dictionem apud unum eundemque auctorem, praecipueque apud Sallustium; ejusque varietatis Asperum Grammaticum solicitum fuisse. Nam *omnes* per *e* scriptum esse in Catilinario eo loco: *Omnes homines* P. C. *qui de rebus*

bus dubiis consultant, ab odio, amicitia, ira, atque misericordia vacuos esse decet. Per *i* vero tertiam vocalem *omnis*, in eodem commentario: *Omnis homines, qui sese student.* Quae quidem scribendi ratio quotidie nunc corrumpitur: neque codex jam ullus extat, quem non Librarii arbitrio suo totum audeant contaminare.

418. IDQUE PIO SEDET AENEAE PROBAT AUTHOR ACESTES. In codicibus aliquot antiquis una plus dictione legitur, *Sedet Aeneae, hoc probat auctor.* Sed mihi nequaquam placet, quod quidem ex paraphrasi inculcatum puto Librariorum inscitia.

421. DUPLICEM EX HUMERIS REJECIT AMICTUM. In veteribus aliquot exemplaribus, *dejecit* habetur, hoc est, demisit propere, ut nudato apparuerit pectore, toraceque omni, vestibus circa pudenda subligatis. Plura tamen exemplaria vetusta, *rejecit*, habent.

422. MAGNA OSSA LACERTOSQUE EXUIT. In perveteri quodam codice, sententia non parum diminuta, legere est: *magnosque lacertos exuit:* quod veriti sunt hypermetrum facere. In aliquot aliis *magna ossa lacertos*, absque particula copulativa enclitica: ut sit magnos membrorum artus, ac lacertos, appositive magna ossa. Sed enim in ea vastitate, visendaque membrorum magnitudine, versum & pleniorem esse, & numeris habundare valde mihi videtur esse ex carminis dignitate: quare libentius legerim *magna ossa, lacertosque*, ut pleraque habent exemplaria tam impressa, quam manu scripta. Non praeteribo, quod in Actio Pontani *magna ora lacertosque* legitur, quod non crediderim temere positum, tametsi *magna ossa* corporaturam illam athleticam ostendere videantur.

429. PUGNAMQUE LACESSUNT. Antiqui aliquot codices, *pugnas*, numero multitudinis habent; ut sit quaedam justi praelii similitudo, perinde ac si collatis signis dimicandum esset: antea enim quam directa acie concurratur, leves quaedam pugnae a praemissis equitibus, vel a funditoribus, nonnunquam etiam ab exploratoribus, committi solent.

441. NUNC HOS, NUNC ILLOS ADITUS. In Romano codice variato numero legere est, *Nunc illos, nunc hos aditus*; sed loquendi modus frequentissime, *hunc & illum*, dicit, & *huc & illuc*, & hujusmodi reliqua. Catullus: *Et circumsiliens modo huc, modo illuc. Pulvinusque peraeque & hic & illic. Ludebat numero modo hoc, modo illoc.* A viciniori enim inchoandum est, utpote magis noto.

446. VIRES IN VENTUM EFFUDIT. In antiquis aliquot, *effundit*, praesenti tempore: res enim nunc agitur. Aliis magis praeteritum placet.

449. RADICIBUS ERUTA PINUS. In Romano codice & aliquot aliis, *radicitus*, adverbium est; sed *radicibus*, nomen, longe plurium codicum consensus, & usitata loquendi figura libentius legit.

451. PRIMUSQUE ACCURRIT ACESTES. In Oblongo codice perveteri, *occurrit* legitur; sed *adcurrit*, vel *accurrit*, omnino melius.

454. AD PUGNAM REDIT ET VIM SUSCITAT. Veteres plerique codices, *ac vim*, legunt; quod magis placet.

470. ORE REJECTANTEM. Antiqua aliquot exemplaria, *ejectantem*, legunt. Alia *rejactantem*, vocali a *jacto* non immutata; sed *rejectantem*, vulgata lectio, magis placet.

475. JUVENILI IN CORPORE. In Romano codice, atque aliis plerisque omnibus, *juvenali* per *a* in pene ultima notatum legas; neque id in Virgilianis tantum codicibus, verum & in aliis auctoribus. Est apud me Ovidii codex admodum vetustus, in quo ea dictio passim per *a* scripta est, ut (ea nunc prae manibus erat) in epistola ad Maximum, de amore loquens: *Tu mihi dictasti juvenalia carmina primus.* Et ita alibi. Praeterea C. Julius Ro. in libro de Analogia, nomen hoc *Juvenalis*, si homo sic vocetur, ab altero nomine *Juvenalis* sicut ait Maro: *Juvenali in corpore vires:* qua dictione res, non persona censetur, non alia ratione discernit, nisi ab ablativi singularis finali littera: nam pro nomine proprio in *e*, pro adjectivo in *i*, finiri tradit, non taciturus, siquam aliam litteram facere differentiam agnovisset.

480. EFFRACTOQUE ILLISIT IN OSSA CEREBRO. Sunt qui *illisit ossa*, absque praepositione legi debere contendunt; perinde ac illud etiam superius legunt absque *&* particula: *Cum clamore Gyas revocabat, Ecce Cloanthum.* Sed enim in antiquis omnibus exemplaribus, quae ad manus meas pervenere, uno exemplo scriptum inveni, *illisit*, vel *inlisit in ossa.* Et hoc loco hypallagen figuram agnoscit Servius, dum dicit: *Fregit ossa, & illisit in cerebrum caestus.* Ac mihi quidem videntur, qui ex hoc versu *in* praepositionem adimunt, vim etiam ex ictu illo pene omnem adimere, ita languere oratio, atque etiam imperfecta reddi, versusque ipse flaccescere videretur. Non praeteribo tamen legisse me in codicibus aliquot manu scriptis, *immisit in ossa*; sed *illisit*, omnino melius.

484. HIC VICTOR CESTUS ARTEMQUE REPONO. In Romano codice, & in aliquot aliis admodum vetustis, dicta videntur haec ex persona Poëtae, quia *reponit*, persona tertia scriptum est; verum minime displicet Entelli ea esse verba, qui hac depugnata pugna votum nuncupet se nunquam amplius in certamen descensurum. Et *repono*, persona prima, in reliquis plerisque codicibus habetur.

489. Quo tendant ferrum. In codicibus aliquot antiquis, *tendat*, singulari numero scriptum est, ut *ferrum* sit suppositum; sed longe magis placet *tendant*, plurali numero, ut sit de certatoribus.

491. Et primus clamore secundo. In Romano codice, *primum* legitur; magis tamen placet *primus*, scilicet locus, ut in exemplaribus aliis antiquis, & vulgatis omnibus habetur.

503. Volucres diverberat auras. Sunt qui ex Ti. Donato *alas* legendum autument, & paulo post, *Timuit exterrita pennis Ales*. Caeterum in antiquis omnibus codicibus, quos inspexerim, *auras*, notatum observavi, quare suum unicuique judicium integrum relinquam.

510. Et vincula linea rupit. In antiquis aliquot *rumpit* est, praesenti tempore; sed magis placet *rupit*, praeteritum, ut *Non valuit*.

512. Atque atra volans in nubila. In codicibus aliquot antiquis, *Atque alta volans in nubila*, legitur; sed enim inferius est: *Nigra figit sub nube columbam*: quare *atra nubila* potius legendum videtur: quamvis eadem *alta*, *profunda*, *nigra*.

517. Vitamque reliquit in astris Aereis. In vetustissimis plerisque exemplaribus, *aethereis*, legere est. Plura vero de vita, ita in astris relicta, Macrobius libro III. Saturnalium.

520. Qui tamen aethereas telum contorsit in auras. Hoc vero loco *aërias* legitur in codicibus illis, in quibus *aethereis astris* paulo ante legebatur. Pro *contorsit* vero, *contendit*, in Romano, & in Mediceo est, & plerisque aliis antiquis exemplaribus: & eodem modo *Contendit telum*, libro IX. scriptum invenimus.

521. Ostentans artem pariter, arcumque sonantem. Nonnulli syllabae, quae in heptimemeri sita est, timentes, *que* illi particulam addidere, ita legentes *artem pariterque arcumque sonantem*. Sed quanto magis placet, quod in Romano, & in Mediceo, & plerisque aliis codicibus vetustis legere est, *Ostentans artemque pater arcumque sonantem*: quam lectionem dubio procul agnoscit Asper Grammaticus, scansionis etiam apposita ratione: quam, ut apud ipsum legimus, referre non pigeat, ut, quo diximus modo legendum esse, nulli dubium relinquamus. Osten. *Spond.* tans ar. *Spond.* temque pa. *Dact.* ter ar. *Spond.* Plurimaque ejusmodi recitat exempla. Denique id genus syllabae, quae pede quarto posita est, ter ar. vel inter longas censeri debere tradit, apud Auctores, vel parcissime metrum usurpare. Id tamen apud Virgilium frequentissimum reperiri.

531. Sed laetum amplexus Acesten. In Romano codice, *& laetum amplexus*, legitur. In Longobardico *laetus*, ultimae syllabae collisione, quod alii viderint.

534. Exortem ducere honorem. In Romano codice, *exsortem* cum *s* littera scriptum est, ut *exsul* ex Grammaticorum scribitur praeceptione, quod, *extra solum*, dictiones complectatur, ita *exsortem*, *extra sortem*. Est etiam in eodem codice, atque etiam in Mediceo, *honores*, numero multitudinis, quod frequentissime invenies apud Historicos eodem significato.

547. Epitidem vocat. In codicibus aliquot antiquis, *Aepytidem*, cum diphthongo prima syllaba, & y secunda scriptum est: nam apud Auctores veteres *Aepytus*, pro nomine proprio celebratur, & tam illi quam nostri patronymici formam solent usurpare. Est & Ἐπιτίδης nomen apud illos; sed rationi metricae non responderet.

551. Sic ait ipse omnem. In veteribus codicibus, quotquot habere potui, scriptum inveni, *dic ait*. Quod si aliter legas, imperfecta erit oratio; plena vero hoc ordine, *Et ait: Dic Ascanio, si jam puerile paratum Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum, Ducat avo turmas, & sese ostendat in armis.* Quibus imperatis: *Ipse omnem longe decedere circo Infusum populum, & campos jubet esse patentes.*

557. Praefixo hastilia ferro. Codices antiqui omnes, quos inspexi, *praefixa hastilia ferro*, legunt: utraque elocutio Latina est.

558. It pectore summo Flexilis obtorti per collum circulus auri. Quamvis lectio haec vulgata candidior videatur, in quibusdam tamen codicibus antiquioribus ita legere est: *Et pectore summo Flexilis obtorti per collum it circulus auri:* quae lectio nequaquam aliena est a venustate

564. Tua clara Polite progenies. In Romano & antiquis aliquot aliis exemplaribus, *Polytes*, Atticorum more scriptum est.

566. Portat equus bicolor. Non est silentio praetereundum, cur in vetustis aliquot codicibus, *equs* unico tantum U notatum reperiatur: nonnulli enim quia Q non litteram, sed notam esse putabunt, duas in se litteras continentem C & U. QIS, QAERET, & QID scribere instituerunt absque U, ut Velius Longus ait, quod alii CUIS, CUAEREE, CUID, scribere malebant; sed utrumque jam ex usu recessit. Quantum vero pertinet ad dictionem *equus*, dubitabant veteres, utrum primum illud U consonans, an vocalis esset: neutrum enim esse non concedebatur: si consonans, non alterius naturae esse poterat quam B mutae; in quam tam saepe abit nunc scriptura, nunc pronuntiatione: quocirca necesse erat primam positione longam in *equo* fateri, quia Q pariter consonantem mutam esse nemo inficiaretur. Id vero poëtarum omnium exemplis contrarium inve-

inveniebatur; quum *equus* apud omnes primam corripiat; sin vocalem esse concederent; vel novam diphthongum facere ex duobus UU (quod, ut saepe dictum, Attius in vocalibus natura longis factitare consuevit) necessarium esse; vel in duas syllabas dividere. Atqui neutrum recte fieri posse manifestum est: quod *equus* utramque syllabam correptam habet, & pro dictione bisyllaba passim ponitur. Quare boni illi viri, ne in has dilaberentur difficultates, *equs* unico U, uti & *qis*, & *qid* scribere maluerunt. Nonnulli autem inventi sunt, qui Q litteram adeo adamarint, ut eam pro C passim sufficerent. Ideoque non tantum *sequtus*, *loqutus*, & similia per Q scribere instituerunt, verum etiam ubicumque U ante C positam invenirent, pro litteris C & U unam tantum Q supponere minime veriti sint. Hinc *secui* praeteritum a *seco*, *seqi*, & *aqi* pro *acui* scriptitabant: adversus quos Probus in Arte disputat. Sane quidem illi, uti paulo ante dicebamus, Q litteram & C & U praeseferre, siquis notam diligentius inspiceret, asseverabant: post enim C, vocalem U adplicitam esse, parte illa, quae ad instar gravis accentus premitur, adcurvata, altera vero, quae acuti accentus in morem surrigebatur, subter lineam dejecta, vel ex Librariorum commoditate, vel ne praecedentibus litteris esset impedimento: haeque sibi invicem figurae successerunt. ꝍ. Q. Q. Quare minime mirum est, si & EQUS, & EQI, & EQO, & hujusmodi pleraque absque U in veterum inscriptionibus notatae reperiantur.

567. ARDUUS ALBAM. Diximus jam in antiquis passim, *arduos* per *os* haberi, quaeque Carisium ratio moverit, ut huic nomini ita scripto, calculum non adhiberet suum.

568. ALTER ATYS, GENUS UNDE ATYI DUXERE LATINI. Scribendum *Atti*, ex antiquis codicibus. In aliquot vero duplici II, *Attii*, ex Velii Longi sententia. Sed enim de hujusmodi Genitivi ratione satis in primo dictum. Quod vero *Attius* duplici TT scribatur, non autem per Θ, *Acthius*, Victorini alibi auctoritatem citavimus, in libello de Orthographia praecipientis *Attius*, duplicato TT, scribendum esse. Quodque ita etiam in veterum monumentis scriptum inveniatur, satis superque fuerit unum ex multis indicasse:

D . M
ATTIAE T. F. QUINTILLAE
ATTIUS PHEGON PATER ATTIA
QUINTA MATER ATTIUS
T . F.

Et quae sequuntur: quae siquis oculata fide inspicere voluerit, habentur haec in D. Mariae fano, quod est ad busta Gallica Romae situm. *Attia* praeterea apud Graecos etiam duplici TT scribitur: quando Servius ait dictum a Virgilio; *Genus unde Attii dixere Latini*, propter Attiam Augusti matrem, quo maternum etiam ejus genus praedicaret antiquissimum. Sed ut levem de scribendi ratione disputatiunculam graviori aliquo examine pensemus, diversi a Latinis abeunt Graeci in historia de matre Augusti referenda: nam Suetonius *Attiam*, Augusti Octaviani matrem, ex Balbo & Julia sorore Caesaris genitam ait. Dion historicus in XLV. Ὄντα γὰρ ὁ τῆς Ἀττίας, τῆς τοῦ Καίσαρος ἀδελφῆς υἱος ὠνομάζετο. Ex quibus verbis videre est *Attiam* ab eo Caesaris Sororem appellatam, nisi mendum sit in Graeco codice, quem inspexi, & ἀδελφιδῆς esse debeat. Sed enim eadem Plutarchus in Ciceronis vita. Addat huc forte quispiam, quod in Liviana libri CXVI. perioche scriptum est: *Testamento Caesaris haeres ex parte dimidia institutus C. Octavius ex sorore Nepos: & in nomen adoptatus est*. Unde Servius scripserit Augustum ex sorore Julii Caes. natum. Sed enim vetus codex Livianae Perioches SORORIS NEPOS habet, non *ex sorore*: id quod cum Suetonio congruit.

571. SIDONIO EST INVECTUS EQUO. In antiquis aliquot codicibus *Sidoneo* scriptum, familiari quadam mutatione ex I in E, ut *aetherius*, & *aethereus*, qua forma video nunc Latinos libentius uti. Neque vero mirum sit *Sidonius* secundam a principio syllabam communem habere: siquidem ea tam per ω magnum, quam per ο parvum indifferenter scribi solita est, ut ait Steph. Byzantinus ex Hecataeo.

573. CAETERA TRINACRIIS PUBES SENIORIS ACESTAE FERTUR EQUIS. In Romano codice legere est *Trinacrii*, ut sit appositive *caetera pubes*; sed enim in eo codice, S littera finalis saepe habundat, saepe etiam desideratur. In Longobardico, in Mediceo, & plerisque aliis, *Trinacriae pubes* legitur: ac praefixo puncto, uno inde membro legitur, *senioris Acestae Fertur equis*: nam qui dixerat aliquot ex Trojanis pueris suis invectos, mox caeteram Trinacriae pubem equis senioris Acestae ferri subjungit.

579. EPITIDES. In antiquis, uti superius dictum, *Aepytides* per AE & Y scribitur.

580. ATQUE AGMINA TERNI DIDUCTIS SOLVERE CHORIS. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis, *deductis*. Sunt etiam codices manu scripti, qui legant *ternis*: sententiaque ipsa videtur apertior, si dicamus tris illas equitum turmas, quae uno agmine consessum omnem lustraverant, ad flagelli sonitum in ternos choros diductas esse, unaquaque turma sua spatia corripiente. Quod si *solvere agmina Terni diductus*, legas, frigidum nescio quid invenias. Sed hoc ego in medio relinquam: eos libenter auditurus, qui militarium

Ll 2

rium ludorum peritiam aliquam profiteantur.

582. INFESTAQUE TELA TULERE. In Mediceo codice, *instructaque tela* legitur; sed *infesta* in aliis.

583. INDE ALIOS INEUNT CURSUS, ALIOSQUE RECURSUS ADVERSIS SPATIIS ALTERNOSQUE ORBIBUS ORBES. In codicibus aliquot antiquis, *adversi* legitur; sed vulgata lectio me nihil offendit. Id vero non improbarim, quod *alternisque orbibus orbes* quaedam habent exemplaria, licet tantundem sit.

586. ET NUNC TERGA FUGAE NUDANT. In antiquis aliquot, *fuga* est, ablativo casu: quod etiam superius observatum; sed melius omnino videtur acquisitivo. NUNC SPICULA VERTUNT INFENSI. In uno tantum codice Romano, *spicula torquent* habetur. In aliis omnibus, *vertunt*, quod ludicro certamini magis convenire videtur.

590. QUA SIGNA SEQUENDI FALLERET INDEPRENSUS ET IRREMEABILIS ERROR. In Romano codice, & aliquot aliis, *frangeret*, habetur. *Indeprehensus*, varie scribitur; sed unico E, *indeprensus*, placere Velio Longo diximus. Est & *irremeabilis*, integra praepositione, ut reliqua.

595. CARPATHIUM LIBYCUMQUE SECANT LUDUNTQUE PER UNDAS. In Oblongo illo codice, sane quam vetusto, Vaticanae Bibliothecae, quem Pomponius Laetus delicias suas appellabat, & in aliquot aliis dimeter hic Anapaesticus hypercatalecticus, *luduntque per undas* desideratur, Trimeterque tantum Dactylus hypercatalecticus notatus est, *Carpathium, Libycumque secant*.

596. HUNC MOREM, HOS CURSUS. Vetera exemplaria, *Hunc morem cursus*, plurimum habent; sed altera lectio magis poëtica est.

604. HIC PRIMUM. In Romano codice, & aliquot aliis, *hinc*; sed *hic* magis placet.

608. NEC DUM ANTIQUUM EXSATURATA DOLOREM. Antiqui codices, *antiquum saturata*, legunt; sed melius, ut alibi: *Odiis haud exsaturata quievi*.

613. SECRETAE TROADES. In antiquis aliquot codicibus *Troades* habetur per OE diphthongum, quae in Τροία primitivo reperitur. Arbitrati enim sunt eundem in derivativo etiam esse debere: nam οι in oe apud Latinos transire solet. Hinc in antiquis Terentii codicibus, *Adelphoe* non *Adelphi*, comoediae nomen scriptum invenies. Graece enim, ut palam est, Ἀδελφοί. Sed enim in hoc nomine *Troades*, nulla apud Graecos diphthongus, quum masculinum sit Τρῶες ὁμόφωνον τῷ κτίστῃ, foemininum Τρῳὰς καὶ Τρωΐας καὶ Τρωάς. Neque tamen inficias ierim nomen hoc cum ωι diphthongo impropria nonnunquam inveniri. Quod si vulgata lectio sit immutanda, *Troiades* potius, quam *Troeades* scribendum esset, ut in aliquot antiquis codicibus scriptum est. Sed *Troades*, frequentiori Doctorum usu lectio omnino acceptior est.

620. FIT BEROE ISMARII CONJUX LONGAEVA DORYCLI. Quamvis in Longobardico codice, in Mediceo, & plerisque aliis, pro *Ismarii* duabus minus litteris *Marii* legatur; nemo tamen ex eruditis est, cui non potius *Ismarii* faciat satis: nam quid ad ea tempora *Marii* nomen? nisi *Marii* factum sit ex *Enarii*, vel *Inarii*: quod aliquot in codicibus scriptum accepi: quamvis hujusmodi lectionem nusquam ego viderim oculata fide. Est & illud, *Veroe*, in exemplari antiquo, quod quidem praeteriissem, nisi toties repetitum esset: nam inferius, *non Veroe*: & illud *Veroem digressa reliqui*. Sed alibi diximus, unde frequentissima haec mutatio ex B mutata in V digammon emanarit: curque tot inscriptionibus, *Velisarius*, pro, *Belisarius*, scriptum sit. Ita quod legi nuper in Aede D. Martini, quae in Exquilino est: MIRAVILI BENIGNITATE ET INCOMPARAVILI. Quare nunc haec missa sint.

622. AC SIC DARDANIDUM. In antiquis aliquot codicibus, *Dardanium* legitur, ut apud Graecos Δαρδανίων. Quanquam & Δαρδάνιοι, & Δαρδανίδαι, gens ipsa dicatur apud eosdem: quare *Dardanidum* recte.

628. SIDERAQUE EMENSAE FERIMUR. In Romano codice, pro *ferimur*, *tulimus* habetur; sed *ferimur*, longe figuratior elocutio, magisque movet praesentium malorum objectione. In *tulimus* autem, aliqua finis esset.

631. QUIS PROHIBET MUROS JACERE? In Mediceo, & plerisque aliis codicibus, *quid* legitur, quod magis amplum est; ut non personam tantum prohibentem, sed & caussam complectatur.

633. NUSQUAM HECTOREOS AMNIS. In Romano codice, *numquam* legitur: superius enim temporis longinquitatem dolere coepit, quod septima post Trojae excidium jam aestas verteretur, quum per tot labores Italiam fugientem sequebantur. Placet tamen & *nusquam*, quod & pariter questa est per terras omnis, & tot inhospita saxa ferri. In Romano praeterea codice, *manes*, pro, *amnes*, scriptum per litterarum transpositionem.

638. JAM TEMPUS AGI RES. In Romano codice, in Mediceo, atque in nonnullis aliis vetustis, legere est, *jam tempus agit res*, ut apud Papinium habetur eadem elocutio. Quin etiam apud Claudianum: *Rem peragit tempus*. In pervetusto quodam codice pro *jam*, *nunc*, repositum est.

640. DEUS IPSE FACES ANIMUMQUE MINISTRAT. In Romano codice, *animam* legimus: pro vento quippe, quo in incendio opus est; sed omnino *animum*, magis placet: audacia enim opus erat in re tam atroci adgredienda.

641. PRI-

641. PRIMA INFENSUM VI CORRIPIT IGNEM. In Mediceo codice, *infestum*, legitur; sed lectionem alteram agnoscit Servius.

648. QUI SPIRITUS ILLI, QUI VULTUS. In codicibus aliquot antiquis legere est, *quis spiritus illi, quis voltus*; sed *qui*, ex recentiorum Grammaticorum dictatis, magis proprium.

649. VOCISQUE SONUS VEL GRESSUS EUNTI. Antiqua aliquot exemplaria legunt: *Vocisve sonus & gressus:* signa enim haec omnia simul fidem faciebant, quae singula dubitationem movere potuissent.

651. TALI QUOD SOLA CARERET MUNERE. In antiquis aliquot codicibus, *quae sola*, legitur, quod non displicet. In quibusdam aliis, *quo:* sed nitidum magis est, si legas, *quod careret.*

653. HAEC EFFATA. Sunt codices antiqui, ubi *haec est fata*, legas; sed omnino magis placet, *effata*, apud hunc poëtam frequentissimum vocabulum.

655. MISERUM INTER AMOREM PRAESENTIS TERRAE. In codicibus aliquot admodum vetustis, *praesentis terras*, legimus accusativo casu; ut omnia pendeant ab infinitivo, *spectare*; sed longe magis placet *inter amorem praesentis terrae.*

657. CUM DEA SE PARIBUS PER COELUM SUSTULIT ALIS. In codice Mediceo: *tum dea.*

681. UDO SUB ROBORE VIVIT STUPPA. In codicibus aliquot antiquis legere est: *udo sub pectore:* in locis scilicet interioribus, quae metaphora non satis mihi facit.

689. DA FLAMMAM EVADERE CLASSI. Antiqua aliquot exemplaria, *classis*, legunt accusativo casu, quod non placet.

694. TONITRUQUE TREMISCUNT. In plerisque veteribus exemplaribus, & hic & alibi, *tremescunt* per E in pene ultima notatum est, ut etiam alibi dictum.

697. SEMUSTA MADESCUNT. In antiquis fere omnibus, *semiusta*, quadrisyllabum, scriptum est. Coëunt vero duae mediae syllabae in unam ex Synizesi figura poëtica.

702. CURAS MUTABAT VERSANS SICULISNE RESIDERET ARVIS. In antiquo admodum codice legere est: *Mutabat dubius Siculisne*; non tamen displicet *versans*, vulgata lectio.

712. HUNC CAPE CONSILIIS SOCIUM. In Mediceo, & in antiquis aliquot aliis codicibus manu scriptis, *consilii socium*. habetur, quod valde placet; tametsi lectionem vulgatam non improbo.

718. URBEM APPELLABUNT PERMISSO NOMINE ACESTAM. In Romano codice, & plerisque aliis antiquis legere est, *promisso nomine:* ut hoc sit praemium, quod polliceri debeat Aeneas, si Acestes Trojanos recipere non recusaverit: nam quod Acestes permittere debeat quasi rem gravem, aut difficilem, aut indecoram, urbem, quod maxime honorificum est, suo nomine appellari, ita non satisfacere videtur: inferius enim: *Gaudet regno Trojanus Acestes.* Quamvis etiam *promisso* ab oraculis intelligi possit dictum, ut multa a Virgilio κατὰ σιωπώμενον. Neque silentio praetereundum, quod in codicibus aliquot antiquis, *Acesten*, per EN finales litteras habetur. Ἀκέστην sane urbem eam a Graecis appellari non negarim; sed eandem etiam Ἄκεστα ab eisdem dicta, unde gentis nomen Ἀκεσταῖος.

719. TALIBUS INCENSUS. In codicibus aliquot antiquis, *accensus*, habetur.

720. TUM VERO IN CURAS ANIMUS DIDUCITUR. In Romano codice, in Mediceo, & plerisque aliis pervetustis legere est: *animo deducitur.* Si vero magis placet *animus*, etiam *diducitur*, legendum erit: id enim est in diversas partes scinditur, Homerica sententia.

723. SUBITO TALES EFFUNDERE VOCES. Antiqua aliquot exemplaria duas transponunt dictiones, *voces effundere tales:* quod non ita placet. Ita quod paulo inferius est: *Depulit & coelo tandem:* quod est, *depulit & tandem coelo.*

733. CONGRESSUS PETE NATE MEOS. In Mediceo, & antiquis plerisque codicibus, *amplexus*, habetur pro, *congressus*, ut alibi: *Ire ad complexum cari genitoris.*

734. TARTARA HABENT TRISTESQUE UMBRAE. Veteres aliquot codices disjunctive legunt: *tristesve umbrae.* Romanus, Mediceus, atque nonnulli alii, *tristes umbrae*, appositive, absque ulla conjunctione. Verum hoc parvi omnino momenti in medio relinquatur.

735. ELYSIUMQUE COLO: HUC CASTA SIBYLLA. Nonnulli dant hoc aspirationi, quod *colo*, *huc* absque synalepha positum sit: vim enim consonantis eam habere volunt. Superius tamen nulla fuit adspiratio, quum scriberet Virgilius: *Quid struit, aut qua spe inimica in gente moratur:* & ita saepe alibi. Dicendum itaque haec ad Homeri, & Graecorum aliorum imitationem a Virgilio saepe posita: nam eam vocalium incolumitatem, altera subsequente, Latini Critici vix indulgent. QUEM FUGIS. In codicibus aliquot manu scriptis, *quid*, legitur; sed *quem* legere multo melius, ob emphasin & pathos.

746. ACCERSIT ACESTEN. In antiquis plerisque codicibus, *arcessit*, de quo alibi latius dictum.

752. AMBESA REPONUNT. In antiquis aliquot codicibus, *ambessa*, geminato ss scriptum est, ut olim *aussus*, *fussus*, *odiossus*, *imperiossus*, & similia, quae Victorinus ss geminato scribi solita testatur. Nos autem usum sequamur.

756. HOC ILIUM ET HAEC LOCA TROJAE ESSE JUBET. In antiquis aliquot codicibus, *hoc Ilium haec loca* absque *&*. In aliquot aliis, *Ilion*; ut per se versus stet absque figura. In plerisque ve-

ro antiquioribus, *haec loca Trojam esse* jubet, quod eruditis auribus mirifice satisfacere videtur. Quod vero dicebamus esse codices antiquos, in quibus *Ilium haec loca*, absque synalephe scriptum sit, laudat Probus vigilantiam Virgilianam, quod ubique fecerit M finalem a vocali excipi, aut ab aspiratione, ut esset synalephae locus, quod non observarit Ennius, quum scripsit: *Millia militum octo.* Quare ex Probi sententia, si Latine *Ilium* scripserimus, *&* subjiciendum erit; si vero *Ilion*, ut Ovidius: *Ilion & Tenedos*, nulla opus erit copulativa.

759. Tunc vicina astris. Scribendum est omnino *tum*, ex codicibus antiquis, & sententiae continuatione.

760. Tumuloque sacerdos Et lucus. Antiqui aliquot codices, *ac lucus*, legunt; sed illud *que* atque *&* ut apud Graecos τε, ὡς, frequentissimum est apud Auctores bonos: utraque vero lectio non invenusta.

768. Et non tolerabile numen. In Romano codice, *coelum*, non *numen*, habetur: superius enim ferre se tam diu freta tot, & inhospita saxa, sideraque lamentabantur: positum vero *coelum* pro coeli tempestatibus; sed enim plerique alii codices manu scripti, *numen* legunt: quae lectio nequaquam expungenda est.

773. Solvitque ex ordine funes. In antiquis codicibus, quotquot vidi, *funem*, unitatis numero legitur, figurate.

775. Stans procul in proram. Varia admodum hujus hemistichii lectio est in codicibus antiquis. Aliquot enim legunt *in proram:* quod minime placet; quod alibi *stare* cum ablativo & *in* praepositione positum habetur. In Longobardico exemplari, *trans procul*, inusitata admodum lectione. *Stare* vero non nescimus adorantium esse, tam ex Poëtarum, Historicorumque testimoniis, quam ex Cynocephalo stante, in Sacris Aegyptiorum litteris. Est & alia lectio in antiquo admodum codice, *Stans celsa in puppi;* sed illud alia ratione dictum est. Hoc loco Deos maris allocuturum, verisimile est in proram processisse, quae jam mare prospectabat; hinc illud statim subjectum: *Prosequitur surgens a puppi ventus euntes.*

776. Porricit in fluctus. Legendum quidem *porricit*, ex Macrobii sententia, contra omnium pene veterum codicum fidem, in quibus passim *proicit.*

780. Alloquitur talesque. In antiquis, *adloquitur talisque*, ut in veterum Imperatorum nummis: ADLOCUTIO per D ante L notatum.

781. Junonis gravis ira et inexaturabile pectus. In Romano codice, in Mediceo, & plerisque aliis antiquis ita legitur, & scribitur, *Ira nec exsaturabile.* In Longobardico, & aliquot aliis, *neque exsaturabile:* quamvis in Longobardico tantum s positum non sit juxta litteram x. Harum lectionum, quam quis selegerit, non laboro.

784. Nec Jovis imperio fatisve infracta. In codicibus antiquis, *fatisque*, legere est. Rem enim magis exaggerat utrumque conjungendo.

786. Urbem odiis satis est nec poenam traxisse per omnem. Qui *traxisse* amant, summovent *nec*. In antiquis tamen codicibus omnibus, vel ante, vel post *poenam*, id adpositum observavi: *Traxisse* vero, per syncopam in bisyllabam dictionem contractum. Id vero apud alios *trasse* geminato, *ss*, apud alios, *traxe* per *x* scriptum inveni, ut in Romano codice, & aliquot aliis. Multa tamen exemplaria versum exlegem ostendunt, *nec poenam traxisse;* sed inemendate, judicio meo. Est & ea lectio non contemnenda, quae habetur in Mediceo, & aliquot aliis codicibus: *Urbem odiis satis est poenam traxisse per omnem*, κατὰ διάλυτον. *Nec* vero superne notatum est a Paraphraste.

790. Quam molem subito excierit. Operae pretium est videre codicum varietates in hujus hemistichii numero disponendo: nam Romanus codex cum vulgatis convenit. Oblongus: *Quam subito molem excierit.* Aliquot alii: *Quam molem excierit subito*, legunt: ut, si plures essent dictiones, tot putarim numeri futuras mutationes.

793. Pro scelus ecce etiam. Antiqua pleraque exemplaria cum Mediceo & Porcio legunt, *per scelus:* ut invidiosam magis Junonem reddat.

795. Socios ignotae linquere terrae. Antiqui aliquot codices, *ignota linquere terra*, ablativo casu legunt. Utrumque vero agnoscitur a Grammaticis.

805. Impingeret agmina muris. Veteres quidam codices, *immitteret*, habent; sed longe plures *impingeret:* quod rem gestam horribiliorem facit.

806. Millia multa daret leto gementque repleti amnes. Romanus codex, *darent* legit, numero multitudinis, ut ad *amnes* referatur, qui & ipsi suis opem allaturi magnam vim mortalium obruerunt, eo praelio, quod in Φ ab Homero decantatur. Sed neque displicet *daret*, singulari numero, quum Achilles magnam eodem de Trojanorum ediderit stragem in Xanthi fluvii ripis, adeo ut ejus libri argumentum sit. Φι. μέγα Ἀιακίδαο παρ' ὄχθαις πόλεμοιο.

807. Atque evolvere posset In mare se Xanthus. In Mediceo, *revolvere* legitur; sed vulgata lectio candidior & in eo numero picta videtur difficultas.

810. Nube cava rapui. Perveteres omnino codices aliquot, *rapui* legunt; sed in Romano, & non-

nonnullis aliis *eripui* est, una plus syllaba.

812. MENS EADEM PERSTAT MIHI. In Oblongo codice, & quibusdam aliis antiquis, legere est *restat mihi*, quod nequaquam placet.

814. AMISSUM QUEM GURGITE QUAERET. In exemplaribus omnibus antiquis, quotquot habui, *quaeres*, persona secunda legitur: quod Venerem ostendit pro salute omnium aeque laborare.

817. JUNGIT EQUOS CURRU GENITOR. Nulla non exemplaria vulgata, *curru* legunt; sed enim vetera omnia manu scripta, *Jungit equos auro genitor*, uno exemplo legunt. Quamvis elocutio ea, qua de prius meminimus, alio apud Virgilium loco inveniatur. *Curru jungit Alaesus equos.* Sed hoc loco placet *auro*, tum quia rem facit splendidiorem, & ornatum illustriorem; tum quia dictio *curru* statim subsequitur: *Caeruleo per summa levis volat aequora curru:* quod tam cito repetere sermonis adscriberetur inopiae, neque quicquam tale est, ut colorem facere possit. Dum vero haec vulgari jam coepta essent, admonuit me Camillus Porcius, Episcopus Aprutinus, lectionem eam: *Cui pharetra ex auro*, qua de superiore libro multa retuleramus, agnitam etiam Fr. Petrarchae, multae lectionis viro: qui epistola ea, quae libro sexto Octava Senilium inscribitur, dixerit, unde est ille Didonis celeberrimus progressus: *Cui pharetra ex auro; crines nodantur in aurum:* quod loco hoc inserere non fuit importunum: quando, quum illa scriberemus, nondum hoc legeramus, & adhuc sunt, qui tot a me rationes eo loco allatas conentur oppugnare.

821. STERNITUR AEQUOR AQUIS. In antiquis aliquot, *equis*; sed *aquis*, melius.

823 INOUSQUE PALAEMON. Male omnino in codice Romano legitur *Ionius:* nulli enim non constat, *Palaemona Inus* filium. Aliquot alii codices, *Inoius*, ut *Saturnius*, legunt: sed ea forma mihi videtur usitatior, quae *Inous* est.

825. ET MELITE PANOPEAQUE VIRGO, NESAEE SPIOQUE. Quia corrupta sunt haec nomina in omnibus fere codicibus, libuit quo pacto scriberentur apud Graecos apponere ex Hesiodo. Καὶ Μελίτη χαρίεσσα. Inferius, Νησαίη τε. Ita apud Homerum, Ἰλ. σ, Νησαίη Σπειώ τε. Et paulo infra: καὶ Μελίτη καὶ Ἴαιρα.

829. INTENDI BRACHIA VELIS. In Romano codice, pro *velis* positum est *remis*, ut cum superiori elocutione congruat: *brachia remis intenti.* Quod si *velis* legas, intelligendum antennas velis esse brachiorum vice: quum maxime sequatur: *una omnes fecere pedem.*

836. PLACIDA LAXARANT MEMBRA QUIETE. In antiquis aliquot codicibus, *laxabant*, habetur; sed longe plures, *laxarant* habent exacta specie.

840. TIBI TRISTIA SOMNIA PORTANS. Multi quidem codices antiqui vertunt illud, *somnia tristia portans*; sed enim *tristia somnia*, lenius omnino sonat.

842. PHORBANTI SIMILIS. Codices nonnulli sane quam vetusti, *Forbantis*, habent. Grammatici tamen genitivum ad mores, dativum ad faciem referunt. FUDITQUE HAS ORE LOQUELAS. Vetera omnia exemplaria, quae legi, *fundit*, habent, instanti tempore.

848. MENE SALIS PLACIDI VULTUM. In codicibus aliquot antiquis, legere est, *Mene salis placidum voltum:* quod forte non displiceat, quanquam & *placidi salis* admodum suave est.

850. AENEAM CREDAM QUID ENIM FALLACIBUS AUSTRIS. In codicibus aliquot antiquis, *auris* habetur. Utrumque placet. Est & *Aenean*, per N finalem: de quo sic Priscianus: *Accusativus primae declinationis fit mutando ae diphthongum genitivi sive dativi in am: ut Poëtae, Poëtam: frequentius tamen invenimus in Graecis nominibus in as & in es terminantibus, accusativum Graecum proferre auctores. Virgilius in quinto: Aenean credam.*

851. COELI DECEPTUS FRAUDE SERENI. Antiqui codices versum hunc varie corruptum habent: nam & *fraude serena:* & alibi *coelo sereno*, legitur, utrumque male.

867. FLUITANTEM ERRARE. Antiquiores codices, *fluvitantem*, uti superius: *Fluvidum lavit inde cruorem*, V geminato legunt, altero tamen digammo, ut in *fluvio* est. Nunc placet eruditis unico U scribere.

871. NUDUS ET IGNOTA PALINURE JACEBIS HARENA. In antiquis omnibus exemplaribus, quae versare mihi contigit, *nudus in ignota*, legitur. De *harena* cur adspirationem admittat, alibi disputatum. Nunc ad libri sexti castigationem adgrediamur.

LIBER SEXTUS.

SIC FATUR LACHRYMANS. Exigit hic locus, ut quum *lachryma* varie notetur, de scriptionis in eo nomine ratione aliquid disseramus. In Romano quidem codice, & aliquot aliis, *lacrima*, & *lacrimans*, passim per I Latinum, absque adspiratione ulla scribitur. Qui vero Y in hoc vocabulo vo-

volunt, *δάκρυα* opponunt, Graecam dictionem, a qua eodem significato *lacrymae* ad nos defluxerint. Qui Latinum I notant, a *lacerando* dictas contendunt. Latinam vero dictionem agnoscit Cicero, & adspirationem ex consuetudine illi accessisse. Antiqui plerique codices, neque pauca veterum monumenta, LACRUMAE, & LACRUMARE absque adspiratione per U vocalem ultimam scriptitant, ut illud: HAEC RIDENDA MIHI EST, HIC LACRUMANDUS ERIT. Et: QUAE TIBI CUMQUE MEI POTUERUNT PIGNORA AMORIS NATA DARI, POPULO SUNT LACRUMANTE DATA: neque non illud: AELIUS MACER ANTE SIGNATOR TRIB. LACRUMAS POS. In aliquot per U quidem scriptum est, sed inter C & R notata aspirationis est ea forma, qua Graeci veteres utebantur ⊢, ut in Aedibus Marii Maffei Volaterrani Romae: HOSPES STA. ET LACRRUMA. Minime vero crediderim in hoc vocabulo U scribi solitum, per mutationem Graecae litterae Y in V, uti in aliis *inclutus*, *Cumarum*, quod adhuc in codicibus aliquot antiquis, Y servat; sed ex illius aetatis usu, quae I mutare in U mirifice gavisa est, ut ex *decimo maritimo*, *decumus maritumus*, & similia: quae tam in vetustis M. Tullii Ciceronis exemplaribus, quam in Livianis & Plinianis & aliorum auctorum, per U notata deprehenduntur; sed nostra tempestate adeo invaluit consuetudo, ut *lacbrymare* per CH & Y notetur, uti si de I Latino mentionem feceris, risui pene omnibus habearis; sed sit sane, ut unusquisque sua noverit ire via.

7. ABSTRUSA IN VENIS. Antiqui aliquot codices *obstrusa* legunt; sed *abstrusa*, receptior lectio.

14. DAEDALUS, UT FAMA EST. Antiqui plerique codices, *est*, non habent; sed absque eo verbo versus nimium elanguescere videretur.

20. IN FORIBUS LETUM ANDROGEO. Quamvis Priscianus & Servius in *Androgeω* Atticum agnoscant idioma; in veteribus tamen plerisque codicibus, *Androgei*, Latino idiomate scriptum observavi. Quam lectionem improbat Probus, ne novam hanc quis putet quaestionem, evenisseque id ob Graecae declinationis, qua Virgilius usus fuerit, ignorantiam dicit. Citat etiam Carisius locum hunc, ubi genitivum *Androgeω*, facere ostendit ex nominativo, qui sit *Androgeωs*, de quo secundo libro plura diximus.

31. PARTEM OPERE IN TANTO SINERET DOLOR, ICARE, HABERES. In antiquis aliquot, duo illa verba *Icare haberes*, desiderantur, Tetrametro dactylico codicibus tantum adnotato: *Partem opere in tanto fineret dolor*; sed sive Virgilius, sive alius quispiam, versum absolverit, nihil mihi videtur eo fine dici potuisse adcommodatius.

33. QUIN PROTINUS OMNEM PERLEGERENT OCULIS. In veteribus nonnullis exemplaribus, *omnem*, omnino scriptum animadverti. Et quia *picturam perlegerent*, Servius exponit, putarunt multi *omnem* ita positum, ut, *picturam*, subintelligeretur, quae quidem duricies a Virgiliana phrasi, a facilitate, candoreque ipso plurimum aliena est. Sane vero Macrobius & Priscianus, & plerique alii, *omnia*, castiorem lectionem agnoscunt, proque dactylico carmine locum citant: neque opus, ut qui subsequitur versus a vocali incipiat, ut fiat hypermetri synalepha: nam & ejusmodi rationis versus alibi etiam reperiuntur, ut in Bucol. *Nec tantum Rhodope mirantur & Ismarus Orphea*: neque non illud: *Atria dependent Lychni laquearibus aureis*. Quod siquis dactylicum non admittat, saltem Synizesin ex tam brevibus duabus ultimis, in dictione *omnia*, syllabis non rejiciat, quae quidem tam exiles tamque tenues sunt, ut vix pro una longa sufficiant. At veteres plerique codices, partim *omne*, una minus littera, partim *omnes* legunt. Ac *omne* quidem in Romano est, quia veriti sunt librarii dactylum in fine ponere; genus tamen mutare non ausi sunt. Qui vero *omnes* scribere maluerunt, subintelligi Duces, Heroas, aut viros ibi pictos voluere. Sed pluris apud me fuerit Macrobii & Prisciani auctoritas, quam eorum conjectura, qui veneres, quas prae se ferunt numeri, figuraeque hujusmodi, admittere verentur. Quod autem pertinet ad Servium, tametsi exposuit ille, *perlegerent*, *scilicet picturam*: non hoc ostendit, *omnem picturam*, legendum esse: quum Servius immoretur in eo, ut verbum *perlegerent* non alienum ostendat a verbo *γράψαι*, quod & *scribere*, & *pingere* significat. Quantum vero pertinet ad verbum *perlegerent*, Terentius Scaurus (ubi de geminandis liquidis in compositione, si verbum sequens ab aliqua earum incipiat, praecepta tradit) Virgilii locum hunc citat, apud quem *pelligerent*, scriptum asserat, relictumque ita ab Auctore ipso: eosque improbat, qui *perlegerent*, per R, ut vulgata nunc habent exemplaria, legant, dicendumque ait *pelligo*, ut *alligo*, & *colligo*, prout etiam omnes antiqui, ut ait ille, dicere consuerunt. Ad haec Velius Longus *per* praepositionem omnibus integram praeponi dicit, nisi quum incidit in L litteram: tunc enim elegantiores viri eam, ait, geminare malunt, quam R litteram exprimere. Hinc *pellabor* malunt dicere, quam *perlabor*. Adverte vero in exemplis citandis Velii codices corruptos esse: de iis loquor, qui in manus nostras devenere. Sed quanquam ita Grammatici legendum tradunt, nullum tamen adhuc antiquum codicem inveni, in quo non scriptum sit *perlegerent*, praepositione incolumi. Ita plerumque *adligo*, & *conligo*. Aetas vero nostra majorem Grammaticis quam antiquis scriptionibus fidem adhibet. Et tamen Scauri nullus adhuc, quod sciam, sententiam est secutus.

36. Deiphobe Glauci. Innumeros pene codices invenias, in quibus inemendate *Deiphoebe*, vel *Deiphebe*, scriptum sit; sed enim casta lectio Δηιφόβη, *Deiphobe*: uti etiam Δηίφοβος inferius, quod fere passim in codicibus antiquis, librariorum inscitia, *Deiphoebus* scriptum habetur.

37. Non hoc ista sibi tempus spectacula poscit. In Romano codice, *poscunt*, numero multitudinis est: ut tempus sit appositum, quippe quod alii negotio sit impendendum.

55. Funditque preces rex. In antiquis pene omnibus exemplaribus, *fundit*, praesenti tempore scriptum.

59. Penitusque repostas Massylum gentis. In Romano codice, legere est *Penitusque repostas*: hoc est, ad Poenos usque, elocutione insolita, quare longe melius *penitus*, ut illud: *Et penitus toto divisos orbe Britannos.*

63. Vos quoque Pergameae jam fas est parcere genti. In codicibus aliquot antiquis, *parcite*, legitur deposcendi forma, quod forte non displiceat, quanquam *parcere*, infinitivum, sonat elegantius.

64. Quibus obstitit Ilium, et ingens Gloria Dardaniae. Veteres plerique codices *Ilion ingens* legunt: ut Ovidianum illud: *Ilion & Tenedos.* Sed enim magis Virgilianum est, *Ilium & ingens* legere, gratiore numero, & sententia dilucidiore.

67. Latio considere Teucros. In Romano codice, *consistere*, legitur. Et in primo Aeneidos eandem hujus verbi varietatem ostendimus eo loco: *Vultis & his mecum pariter considere regnis?* Nam aliquot exemplaria ibi etiam *consistere* legunt; sed enim *considere*, omnino magis placet eruditis viris.

69. Solido de marmore templa instituam. In Romano codice, *templum constituam*, legitur. In Longobardico, *templum* quidem est; sed *instituam* verbum, ut etiam ad festos dies accommodetur.

74. Foliis tantum ne nomina manda. In antiquis omnibus exemplaribus, quotquot versare mihi contigit, *carmina*, non *nomina*, scriptum inveni: quae quidem lectio Servium non latuit.

84. Sed terra graviora manent. In codicibus quibusdam admodum vetustis, *terrae*, genitivo casu legitur, subintelligendo *pericula*: veluti dixerat: *Pelagi defuncte periclis.* Magis tamen placet *terra* adverbialiter. In regna Lavini Dardanidae venient. Vetera quaedam exemplaria legunt, *& regna*, pro, *in regna*, praepositione praeterita: prout etiam factum statim in principio libri primi: *Italiam fato profugus Lavinaque venit Littora.* Sunt & qui *Latini* legendum autument. Servio etiam super syllaba *Lavini* prima plurimum dubitante. In codicibus tamen omnibus antiquioribus *Lavini*, scriptum observavi, praeter nonnullos, in quibus *Latini*, subdititia lectio est, priore abrasa dictione; sed enim plura de hoc in VII. ubi versum illum, *Exsulibusne datur ducenda Lavinia Teucris.* In codicibus quibusdam antiquis aliter legi ostensum est.

90. Nec Teucris addita Juno. Multi quidem codices ex antiquis, *abdita*, legunt; sed inemendate. *Addita* vero vocabulum Lucilianum agnoscit Servius.

95. Sed contra audentior ito, Quam tua te fortuna sinet. In plerisque veteribus codicibus, *qua*, legere est. Quod forte non displiceat; sed plus est *quam* dicere: quia id etiam adhortatur, ut fortunam ipsam superare contendat, quum ex altero ei tantum obsequendum praecipiatur.

98. Cumaea Sibylla. Multa quidem ex nominibus Graecis, quae jure Latii donata sunt, Y in U commutarunt. In Romano tamen codice, pleraque ex iis, quae vulgo per U proferimus, per Y scripta reperias, ut *Cymaea*, quod etiam in Mediceo est, & superius *Cymarum.* Contra vero, quae usus nunc per Y scribit, & enuntiat, ibi per U vocalem Latinam scripta esse, ut *inclutus*: quae quum inconstanter adeo posita sint, bonam eorum partem praeterire consilium fuit.

101. Stimulos sub pectore vertit Apollo. In codicibus aliquot antiquis, *versat*, habetur; sed in hac sententia, melius est *vertit.*

102. Et rabida ora. Vetera pleraque exemplaria, *rapida*, legunt: quique lectionem eam volunt: *Rabiem*, inquiunt ex Aristotele, *in hominem non cadere, minus vero in Deum*; sed enim hoc alterius est negotii; nos superius habemus de hac eadem persona: *Et rabie fera corda tument.*

104. O virgo, nova mi facies. Romanus codex, *mihi*, semper eodem modo scribit, tam pro monosyllabo, quam pro soluta in duas syllabas dictione.

105. Omnia percepi. In Romano codice, & quibusdam aliis antiquis, *praecepi*, legitur: quod idem est cum *animo mecum ante peregi.* Si vero *percepi* placet, ut in Longobardico, & in Mediceo habetur, *ante*, praepositio, utrique verbo fuerit applicanda: *Omnia ante percepi, & omnia ante mecum animo peregi.*

108. Ire ad conspectum cari genitoris et ora contingat. In Romano codice, perpetuus ille modus, *ire*, pendet a verbo, *unum oro*: alio inde membro *& ora contingam*, legitur. In aliquot etiam codicibus inemendate, *contingit*, enuntiativo modo positum est. Magis tamen placet *oro contingat ire*, quod etiam Servius agnoscit.

115. Ut te supplex peterem, et tua limina adirem, Idem orans mandata dabat. In plerisque omnibus antiquis exemplaribus, inter haec membra non habetur *&*, copulativa particula: & *idem orans*, varie legitur: nam codices nonnulli, *id memorans*, legunt, quod hoc loco mihi videtur otiosum. Alii quidam, *id me orans*: unde puto per librariorum inscitiam illud, *id memorans*, emanasse. Mihi vero tam vulgata lectio *idem orans*, quam antiqua ea, *id me orans*, summopere satisfacit.

116. Natique patrisque. In antiquioribus exemplaribus, *gnati*, quod nonnulli alii corrupte *genti* scripsere. Probus autem Valerius hoc citato loco Metaplasmum esse ait, κατὰ πρόθεσιν. Quare *gnati* scribendum, ut etiam in Mediceo codice habetur.

119. Si potuit manes arcessere. In antiquis *manis*. In Romano, & aliquot aliis *accersere*: utrunque vero *accerso*, & *arcesso*, recte dici alibi ex antiquis Grammaticis ostendimus.

132. Cocytusque sinu labens circumfluit atro. In antiquis omnibus exemplaribus, quotquot versare contigit, uno exemplo scriptum legi, *circumvenit*. Vulgata quidem lectio minime displicet; sed tot codices, variis locis & aetatibus scriptos, non temere convenire credendum est.

141. Auricomos quam quis decerpserit arbore foetus. In codicibus aliquot antiquis, *discerpserit*, scriptum est; avellendus enim erat *ramus*: objectaturque ita in conficiendo negotio difficultas, quum *decerpere*, minus laboris quodammodo polliceatur. Plura tamen exemplaria manu scripta, *decerpserit*, habent.

147. Aliter non viribus ullis. In Romano codice, *nec*; ut sit repetitio cum eo, quod sequitur: *Nec duro poteris convellere ferro*; sed magis placet *non*, ut in reliquis habetur.

154. Sic demum lucos Stygios regna invia vivis Aspicies. Antiqua omnino pleraque exemplaria legunt: *Lucos Stygios & regna invia vivis*: ut sit versus ejusdem generis cum eo: *Aut ovium foetus, aut urentis culta capellas*. Sed enim ego haec libentius missa fecerim: ni quibusdam sit obsequendum, qui sibi omnia, qualiacunque sint, ex antiquorum codicum fide flagitant explicari. Sunt vero etiam codices manu scripti, in quibus, *lucos Stygis & regna invia* legatur; sed enim ea omnino lectio probabilior, quae in Mediceo, atque aliquot aliis absque copulativa particula, *regna invia*, appositive scriptum ostendit.

157. Ingreditur linquens antrum. Quia Servius *ingreditur*, pro, *graditur*, positum ait, ita ut *in* vacare innuat, fuere nonnulli, qui vetusta abrasa lectione in exemplaribus manu scriptis, *egreditur*, facerent; sed enim *ingredi*, pro, *ire*, non tam apud Poëtas, quam etiam apud Oratores, saepe reperitur.

160. Multa inter sese vario sermone serebant. Vetera quaedam exemplaria, *ferebant*, pro, *conferebant*. Sed recte Servius *serebant*, agnoscit, unde proprie *sermo*.

182. Ac volvunt ingentis montibus ornos. Vulgatam lectionem, *ac volvunt*, cum particula conjunctiva & verbo, cum Mediceo antiqua etiam aliquot habent exemplaria; sed in Romano, & in Longobardico, *advolvunt*, verbo, cum praepositione *ad*, composito, legitur, quod magis placet, ut in Georgicis: *Advolvere focis*.

186. Et sic forte precatur. In Romano codice, legere est, *voce precatur*. In Longobardico *ore*; sed enim Servius agnoscit *forte*, quod etiam in plerisque codicibus antiquis habetur. Addit vero Servius versum hunc ex eo genere esse, qui Tibicines appellantur, quibus aliquid additur ad solam metri sustentationem: vacare enim adverbium *forte* putat. Sed enim intelligo, posteaquam hae variae lectiones, nostra cura collectae, per manus hominum circumferri coeptae sunt, aut *ore*, aut *voce*, peritorum judicio magis approbari: nos vero hoc in medio ponimus.

196. Tuque o dubiis ne defice rebus, Alma parens. Antiqua pleraque exemplaria cum Mediceo legunt, *diva parens*. In Romano & aliquot aliis, *alma*.

203. Sedibus optatis, gemina super arbore sidunt. In Longobardico, *geminae*, legitur, ut sit de columbis; sed omnino melius, *gemina super arbore*: cujusmodi species tantopere optabatur.

204. Discolor unde auri per ramos aura refulsit. In Romano codice, *auro*, legitur, casu septimo, ut sit *refulsit aura splendore aureo*; vel propter aurum. Servius tamen agnoscit *auri*; legitque, Auri, *hoc est*, *splendor auri*.

206. Quod non sua seminat arbos. Interesse plurimum ait Caper, in libello de Elegantiis, utrum *arbos*, an *arbor*, dicatur: siquidem *arbor*, omne lignum dicitur; *arbos* vero, non nisi fructifera. Veteres tamen codices hujusmodi differentiam non servant.

207. Teretes circumdare truncos. Antiqui aliquot codices, *Circumdare ramos*, habent; sed *truncos*, nihil quicquam displicet.

209. Sic leni crepitabat bractea vento. In Romano codice, & in Longobardico, *brattea*, duplicato T scriptum est. Juniores *brachtea*, per CH densum scribi volunt, contra omnes orthographiae regulas, etiam si παρὰ τὸ βράχειν, *bractea* dicatur. Qui *brattea*, duplici TT, scripserunt, eo decepti sunt, quod in characteribus Longobardicis, C & T litterae eadem pene forma figu-

figurantur: unde etiam errorem illum apud Martialem provenisse crediderim, quod *juventus*, pro *juvencus*, scriptum est eo versu: *Caesaris atque Jovis confer nunc schema. Juvencus Par onus ut tulerit: altius iste tulit.* Ita enim scriptum est in antiquo satis codice, quem mihi dono dedit Valerius Victor Viterbiensis, adolescens ingenio & eruditione supra aetatem admirabilis. Quid enim illic agat, *juventus*, hac adinventa lectione, non video. Ut vero ad Virgilium revertamur: in Longobardico, & aliquot aliis, *crepitabant*, corrupte omnino legitur: non enim *folia brattea* dicimus epitheti forma. Est vero *brattea*, non tantum de metalli lamina, verum etiam de quacunque materia. Plinius: *Ut una arbor saepius veniret, excogitatae sunt ligni bratteae.*

213. SUPREMA FEREBANT. In Romano codice, *supprema*, duplicato PP, notatum est hoc loco: nempe quod veriti sunt mutam cum liquida non esse satis ad primam syllabam producendam: Et eodem sane modo in Basilica D. Mariae, cognomento Majoris, antiquo marmore notatum aspeximus:

SUPPREMUM VERSUS MUNUS DONATUS ET ARAM.

Sed enim exempla hujusmodi non sunt imitatione digna.

215. CUI FRONDIBUS ATRIS INTEXUNT LATERA. In antiquis aliquot codicibus, pro *cui* suppositum est *tum:* quod si diligenter advertas, non displicebit.

216. FERALES ANTE CUPRESSOS. Hoc quoque originationis Graecae in Romano codice, & quibusdam aliis, vocalis ejus naturam retinet, qua notatur apud Graecos. *Cypressos* itaque scriptum invenitur, quum tamen omnes vulgo nunc *Cupressos*, per U, Latine proferant & scribant.

220. FIT GEMITUS: TUM MEMBRA TORO DEFLETA REPONUNT. In antiquis aliquot codicibus propter characterum similitudinem scriptum invenias, *cum membra toro;* sed magis placet *tum.*

231. LUSTRAVITQUE VIROS. In Romano codice, *lustravitque domos* legitur: quod improprie positum est: classem enim totam, non domos funere incestaverat Misenus; sed enim potuit classem domos appellare, quia de sacrificiorum more, quum vera in promptum non sunt, simulata pro veris haberi soleant. Hinc in Quarto: *Sparserat & latices simulatos fontis Averni.*

232. INGENTI MOLE SEPULCHRUM IMPOSUIT. Antiqua omnia exemplaria, quae legi, *imponit*, praesenti tempore, scriptum ostendunt.

242. UNDE LOCUM GRAJI DIXERUNT NOMINE AORNUM. Inolevit his temporibus consuetudo, ut *Aornum* scribatur etiam a litteratis viris; sed enim in antiquis codicibus omnibus, quotquot habui, *Avernum*, notatum observavi.

254. PINGUE SUPERQUE OLEUM FUNDENS. In antiquis aliquot exemplaribus, *pingue super oleum*, habetur, absque ulla interjecta particula, quae intrusa videtur hic metri necessitate, ut saepe alias perperam factum; potest tamen non invenuste legi per figuram ἓν διὰ δυοῖν, *Pingue superque oleum:* ut, *Molemque & montes;* sed si etiam *pingue oleum*, dicas, *que* particula secundo loco non invenuste ponitur.

257. VISAEQUE CANES ULULARE PER UMBRAM. In codicibus aliquot antiquis, *visi*, virili genere legitur, quod non ita placet: nam & *visae*, foeminino genere, apud Senecam habetur, ubi etiam illud observavimus, pro, *juga coepta moveri silvarum, juga celsa*, scriptum esse: ut participium illud *visae*, omnibus respondeat: *Visum sub pedibus mugire solum:* & *Juga celsa Silvarum moveri visa: visaeque canes ululare.*

265. LOCA NOCTE SILENTIA LATE. In Romano codice, quia superiore carmine legebatur, *umbraeque silentes*, quasi ejusdem vocabuli insulsa esset repetitio, quaeque ariditati, atque inopiae sermonis potius, quam elegantiae, adscribi posset, pro, *silentia*, reposuere, *tacentia*, quod nescio quid Catullianum sapit: *Quum tacet nox. Silere* autem est Cornelio Frontoni, quum loquentis sermo comprimitur, ab ipsa significatione litterae s. Tacet vero, qui nec loqui quidem coepit. *Silentia* tamen Servius agnoscit, & ita reliqua omnia legunt exemplaria.

267. PANDERE RES ALTA TERRA ET CALIGINE MERSAS. In codicibus aliquot antiquis legere est, *res altas terra & caligine mersas;* sed quanto melius est *alta terra*, ut emendatiores habent codices.

268. IBANT OBSCURI SOLA SUB NOCTE PER UMBRAS. In codicibus quibusdam antiquis ita legitur, *Ibant obscura soli sub nocte;* sed Donatus ait *solam esse noctem, cui lux nulla succedit.* Et lectionem eandem agnoscere videtur Servius, dum Hypallagen figuram notat. Est &, *per umbram*, unitatis numero, in pluribus exemplaribus, quod nocti magis convenire videtur: siquidem *umbrae*, aliud quiddam significant.

270. QUALE PER INCERTAM LUNAM. Antiqui codices nonnulli cum Mediceo, *incoeptam*, legunt; sed & *incoeptam*, & *incertam*, eodem recurrere putat Servius: nam & alias super hoc eodem loco dubitatum a Grammaticis.

273. PRIMISQUE IN FAUCIBUS ORCI. In codicibus plerisque sane quam veteribus non invenuste legitur, *primis in faucibus*, absque copulati-

va particula; sed ea inserta versum reddit canorum magis.

276. Male suada Fames, et turpis Egestas. In Romano codice, in Mediceo, ac plerisque aliis antiquis, *ac turpis*, habetur; ut quodammodo jungat egestatem una cum ipsa fame.

277. Letumque Laborque. Antiqua fere omnia exemplaria legunt, *labos*, per s. Quod vero sequitur, soporem consanguineum esse mortis, ex Hesiodo sumptum, qui in Theogonia Somnum & Mortem Noctis filios fuisse dicit: quod vero *consanguineum* dixit, ita eum Claudianus imitatus: *Te consanguineo recipit post fulmina fessum Juno sinu;* ea enim Jovis & soror & conjux.

297. Cocyto eructat arenam. In aliquot antiquis codicibus, *Cocyti*, legitur possessivo casu; sed prior lectio magis recepta est: & *harenam*, cum adspiratione ex Varronis observatione, uti alibi dictum.

299. Terribili squallore Charon. In nonnullis omnino veteribus exemplaribus, *terribilis*, habetur, nominandi casu; sed ablativo magis receptum.

300. Stant lumina flamma. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis, *flammae*, legitur; sive id genitivi casus sit, quod nequaquam placet; sive appositive dictum, ut *duo lumina*, *duae flammae* videantur; sive quod magis placet, facta est duarum vocalium transpositio, cum *flammea* vellent scribere, veluti in antiquis aliquot exemplaribus scriptum observavi; sed id postea corruptum, velut etiam illud, quod supra dicebamus: *Protinus omnia*, versu dactylico.

301. Sordidus ex humeris nodo dependet amictus. Valeant qui *nudo* legendum esse contendunt, quum *nodo* passim in antiquis codicibus tota libraria fide legatur. Et antiquae statuae tot ubique spectentur, in quibus ornatus ex humeris nodo religatus pendeat.

316. Longe summotos arcet harena. In antiquis aliquot codicibus, *semotos*, legitur: cui nonnihil suffragari videtur adverbium *longe*, pro valde. Magis tamen placet *submotos*, quod & proprie & eleganter dictum est.

320. Remis vada livida verrunt. In Romano codice, *vada liquida*, legitur: neque timendum esset syllabae ex auctoritate Lucretii, nisi & Servius *livida* agnosceret. Et epitheton id inferis amnibus, quippe turbidis & coenosis, conveniret. Praeterea, *vertunt*, in aliquot habetur exemplaribus; sed *verrunt*, magis poëticum est.

327. Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta. In antiquis omnibus exemplaribus, quotquot habui, pro, *nec rauca*, legere est, *& rauca*.

328. Quam sedibus ossa quierunt. In Mediceo, & aliquot aliis, *quierint*, legitur; sed finitivus modus eleganter etiam, cum *quam* jungitur, ut alibi ex Grammaticorum praeceptis, & ex auctorum usu ostendimus.

346. En haec promissa fides est. In codicibus aliquot antiquis, *en*, *haec promissa fidesque*. Sed vulgata lectio magis satisfacit.

358. Paulatim adnabam terrae; jam tuta tenebam. In codicibus aliquot antiquis legere est, *adnabam terrae*, *& jam tuta:* quae quidem particula eo loco inserta, narrationis cursum quodammodo videtur impedire.

362. Versantque in litore venti. Exemplaria quaedam vetera, *in litora*, accusativo casu, legunt: quod nescio quid magis miserabile prae se ferret; dum cadaver scopulis illidi saepius ostenderet. Quamquam, *in litore*, casu sexto minime displicet, ut longe plures habent codices. *Litus* enim, non tam de sicco, quam etiam de aspergnibus & extrema maris ora, intelligitur.

364. Per spem surgentis Iuli. In antiquis omnibus exemplaribus quotquot habui, *spes*, numero multitudinis legitur: non Poëtis tantum, verum & Oratoribus notum. Fab. Quintilianus: *O meas spes inanes.*

368. Neque enim credo sine numine divum. Antiqui plerique codices, *crede*, legunt, imperandi modo; ut, afferendo adesse numen Aeneae, argumentetur ab eo, quod facile fieri possit. Sed enim hujusmodi lectio satis mihi nequaquam facit.

375. Ripamve injussus abibis. Placet Servio *abibis* legere, & elocutionem eam, *abeo in Tuscos*, figura simili superius commendavit, super eo versu: *Quo regnum Italiae Libycas averteret oras.* Sed enim antiqua pleraque exemplaria non minus hic, *adibis*, quam superius, *adverteret*, legunt. Opinio vero Servii, ut *abibis*, legendum sit, cujusmodi lectio in Mediceo, & nonnullis antiquis aliis exemplaribus invenitur, mihi, ut elegantior & eruditior figura, sane quidem placeret, nisi Valerius Probus, *adibis*, legendum admoneret, loco hoc in testimonium citato, ubi *ad* praepositionem semper brevem esse tradit; sive loquelis, sive casibus inserviat.

383. Gaudet cognomine terra. In antiquis porro omnibus exemplaribus, quotquot versare contigit, scriptum animadverti, *terrae*, genitivo casu: nempe ut cognomine substantivum sit; aliter ex Prisciani praeceptione ablativum in E mittere non posset: sed enim alia quoque adjectiva in IS, quorum neutrum exeat in E, ablativum casum in E & in I mittere reperiuntur, ut *a coeleste sagitta* dictum ab Ovidio.

390. Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque. In Romano codice absque verbo sub-

ſubſtantivo legitur, *hic locus & ſomni.*

352. NEC VERO ALCIDEM ME SUM LAETATUS EUNTEM ACCEPISSE LACU, NEC THESEA. In codicibus aliquot antiquis legere eſt: *Nec vero Alciden nec ſum laetatus*, ut ſit ordo; *Nec vero ſum laetatus accepiſſe lacu nec Alciden, nec Theſea:* ſitque negatio illa, quae ſuperhabundare videbatur, ad majorem intenſionem, ut apud Graecos frequentiſſimum. Quod vero non procedere ait Servius Alcidae nomen ἀπὸ τῆ ἀλκῆς impoſitum fuiſfuiſſe, quia cognomina dentur ab accidentibus, & Hercules id nominis a prima aetate habuerit: quid obſecro obſtat, quin cognomen id Herculi & a prima infantia, & ab accidentibus inditum agnoſcamus: qui paſſim legamus eum in cunabulis, haud multo poſtquam eſt natus, geminos angues ſuis manibus ſuffocaſſe, magnaſque ea aetatula prae ſe tuliſſe vires, & indomitum robur?

397. DEDUCERE ADORTI. In antiquis pleriſque exemplaribus, *adorſi*, legitur, bonaque eorum pars, in quibus, *adorti*, legitur, T illud ſuppoſiticium habet, abraſa prius S littera.

398. QUEM CONTRA BREVITER. In antiquis pleriſque codicibus, *quae*, legi: ut ſit, contra quae: ea ſcilicet, quae Charon objecerat. Sane in Mediceo *quae* ſcriptum apparet ex nota diphthongi, licet ſuperinducto apice lectionem aliquis mutare tentaverit.

399. NULLAE HIC INSIDIAE TALES. Veteres aliquot codices, *hinc*, de loco legunt: ut ſit: *Hinc*, ſcilicet a nobis. Placet tamen & *hic*, ut in Mediceo eſt.

400. LICET INGENS JANITOR ANTRO. Apud Senecam, niſi codices corrupti ſunt, legere eſt: *licet ingens janitor Orci.* Reliqui codices, *antro*, legunt.

420. ET MEDICATIS FRUGIBUS OFFAM. Sunt codices admodum vetuſti, in quibus *medicatam frugibus offam* legas: ſunt qui ultimam ſyllabam abraſam oſtentent, ut incertum ſit utrum *medicatis*, an *medicatam*, ſcriptum. Servius tamen, *medicatis*, agnoſcit.

428. ET AB UBERE RAPTOS ABSTULIT ATRA DIES. Male *rapto* legitur in codicibus nonnullis ſane quam antiquis. Sed quod *abſtulit una dies*, in vetuſtis itidem habetur exemplaribus, lectorem ambiguum faceret, niſi longe plures codices *atra* legerent; & epitheton id longe plura, & quid magis proprium, & huic ſententiae adcommodatius, ſignificaret.

438. FATA OBSTANT TRISTISQUE PALUS INAMABILIS UNDA. In Romano codice, *fas obſtat*, videtur eſſe debuiſſe: nam S tantum littera deſideratur in verbo *obſtat*. Et Servius in caſtigatis exemplaribus, *fas obſtat*, agnoviſſe videtur, quum praeſertim exponit, FAS, jura naturae. Quanquam neque ea lectio diſplicet, *fata obſtant.* Quod vero ſequitur, *triſtiſque palus*, lectionem eam reprehendit Servius, ne duo ſint epitheta, mavultque *triſti unda* legere, ut in codice Mediceo, & in Porcio eſt. Sed enim plerique codices antiqui *triſtis* legunt: & in aliquot etiam *undae*, cum diphthongo ultima ſyllaba, ut duae primae dictiones in recto ſint, *triſtiſque palus*; reliquum poſſeſſivi, *inamabilis undae*. Sunt & qui legant *innabilis*, a *No*, *nas*, quod in veteribus exemplaribus non memini me legere. Sed neſcio cur ea lectio: *Triſtiſque palus*, appoſitive, *inamabilis unda*, quenquam offendere debeat; tametſi longe elegantior ea eſt, quae legit, *palus inamabilis*, addita ratione cur inamabilis, triſti quippe unda, quam στυγὸν Homerus appellat, ubi fluvius Acheron, ejuſdem etymologiae.

440. NEC PROCUL HINC. In Romano codice, & aliquot aliis manu ſcriptis, *hic* habetur; magis tamen placet *hinc*, ut eſt in reliquis exemplaribus.

442. CRUDELI TABE PEREDIT. In antiquioribus aliquot exemplaribus, *peremit*, legitur: quod minime placet, quum *peredit*, ideo proprium ſit, quod, *Amantum eſt mollis flamma medullas.*

445. HIS PHAEDRAM PROCRINQUE LOCIS. Neque illud placet, quod in Romano codice, *Procnin* legitur. Non enim *Procne* locum habet, inter amantes; ſed *Procris*, Cephali uxor. Praeterea ſumptum hoc ex Homero eſt, apud quem Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἴδον legitur.

447. HIS LAODOMIA IT COMES. In Romano codice, & pleriſque aliis manu ſcriptis, recte notatum eſt per A vocalem primam in media ſyllaba *Laodamia:* ita enim Λαοδάμεια apud Graecos ſcribi neminem vel mediocriter doctum ignorare crediderim. Quod vero Latini vocalem eam in O mutarint, adhuc mihi non conſtat. Auditurus vero haud gravate ſum, ſiquis ab antiquo auctore traditum id oſtenderit.

449. FATO REVOLUTA FIGURAM. In codicibus quidem omnibus vulgatis, & aliquot ex his antiquioribus, *revoluta* ſcriptum eſt. In Romano *revocata* legitur.

453. PRIMO QUIS SURGERE MENSE. In antiquis pleriſque codicibus *qui* legitur; ſed & *quis* reperitur.

465. TEQUE ASPECTU NE SUBTRAHE NOSTRO. Quamvis nonnulli dicant codices eſſe veteres, in quibus *aſpectui* ſcriptum inveniatur, ea, quae apud Virgilium frequentiſſima eſt, figura; magis tamen placet *aſpectu*, per U: quia multa ea terminatione, acquiſitivo caſu poſita reperiuntur apud Virgilium, Ciceronem, & Caeſarem.

468. LENIBAT DICTIS ANIMUM. In codicibus aliquot antiquis, *leneibat*, per EI diphthongum in pene ultima ſcriptum obſervavi, ut in veterum in-

inscriptionibus, DEICO, AMEICUS, & similia. Quo loco super Priscianus ait: *Tertiae & quartae conjugationes praeteritum imperfectum a prima praesentis formari, o in e mutata & addita bam, excepto eo, quod ibam facit, & derivatis. Antiquos vero, in his praesertim quartae, loco vocalium transmutato, pro i & e, ei diphthongum proferre solitos, ut leueibam, poleibam.* Sed enim quum hujusmodi scriptionem non in verbis tantum ejus conjugationis & temporis, verum in aliis etiam, & in syllabis a formatione non pendentibus, atque etiam in nominibus, in praepositionibus, & in adverbiis reperiamus; magis mihi placet Victorini sententia, qui refert, Naevium & Livium Andronicum, quum longa syllaba scribenda esset, duas vocales posuisse, praeterquam quae in I litteram inciderant: eam enim per EI scribere maluisse. Quam vero differentiam in his Lucillius ponere commentus sit, quo distingueret similia voce, alibi ex Velio Longo retulimus.

469. OCULOS AVERSA TENEBAT. In codicibus aliquot antiquis, *adversa* legitur, quod minime placet.

470. NEC MAGIS INCEPTO VOLTUM SERMONE MOVETUR. In codicibus aliquot antiquis, *voltu*, casu septimo legitur; sed *vultum*, quarto casu, figuratius est.

472. TANDEM PRORIPUIT SESE. In Romano codice, in Oblongo, in Mediceo, & plerisque aliis antiquis, legere est, *corripuit sese*: tametsi *proripuit*, placere magis video eruditis auribus.

475. CASU PERCULSUS INIQUO. Veteres omnes codices, quos legi, fere passim *percussus* legunt. Videnturque mortales tot aetatibus differentiam neglexisse, quam inter *perculsum* & *percussum* Grammatici statuere.

476. PROSEQUITUR LACHRYMANS, LONGE ET MISERATUS EUNTEM EST. Ultima hujus carminis dictio *est*, nusquam in antiquis exemplaribus habetur. In Romano codice versus totus ita legitur: *Prosequitur lachrimis longe & miseratur euntem.* Erat vero etiam in codice Longobardico, *miseratur*; sed inde abrasum fuit, & *miseratus*, repositum. In Mediceo: *Prosequitur lacrimas longe & miseratur euntem*; sed *lacrimas*, pro, *lacrimans*, scriptum, ut saepe reperitur in veterum monumentis.

484. CERERIQUE SACRUM POLYBETEM. Nominis hujus proprii pene ultima varie scribitur in antiquis codicibus: nam & *Polyboeten*, & *Polybuten*, & *Polybotem*, legas, praeter varietates alias, quae vulgatis in codicibus existunt. Sane quidem Πολυποίτης proprium viri nomen apud Graecos. Sed hic Perithoi filius, ut Homerus, Ἰλ. μ. Τὸν μὲν Πειριθόου υἷα κρατερὸν Πολυποίτην. Qui quidem in Trojanorum comitatu quid agat, non video: neque succurrit nunc inter Trojanos nomen id positum: alia vero forma & significato Πολυβώτης est, unde sibi forte Virgilius nomen ex commodo suo confinxerit. Neque enim ita se Latini Graecis addixere, ut non jus sibi esse voluerint, non tantum litteras & syllabas, verum totum etiam interdum nomen, quod ab ipsis mutuo caperent, variandi.

485. IDAEUMQUE ETIAM CURRUS ETIAM ARMA TENENTEM. In Romano codice, *currum*, unitatis numero absque ulla collisione legitur: & ita prius in quibusdam aliis legebatur, qui nunc abrasi sunt; non ita tamen, ut non, *currum*, antiquam lectionem inspicias. Probus tamen, ut alibi diximus, Virgilium ait hujusmodi concursum, nisi faceret synalepham, summa vitasse diligentia.

488. VENIENDI DISCERE CAUSSAS. In antiquis codicibus, Romano, & aliquot aliis, *poscere causas*, legitur: eodem modo, quo etiam in primo legi ostendimus.

503. VASTA DE CAEDE. Antiqui omnes codices legunt: *vasta te caede*, pronomine secundae personae accusativi casus interposito.

505. RHETEO IN LITORE. In Romano codice absque praepositione, *Rheteo litore*, scriptum est: non ita in aliis, & longe melius ea inserta sonat.

507. NOMEN ET ARMA LOCUM SERVANT. In Longobardico codice, *locus*, nominativo casu legitur; sed ita *servat*, etiam singulare esse debuisset. *Locum* tamen quarto casu castiorem esse lectionem ostendit locus alter in VII. *Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen Hesperia in magna, siqua est ea gloria, signat.*

509. ATQUE HIC PRIAMIDES. In Romano codice, & in quibusdam aliis admodum antiquis legere est, *ad quae Priamides.* In Longobardico, *ad quem:* quorum utrunque pluribus magis placere video, quam quod in vulgatis habetur exemplaribus. NIHIL O TIBI AMICE RELICTUM EST. In nullo ex his veteribus codicibus inveni verbum *est*, quae phrasis magis Virgiliana videtur.

516. GRAVIS ATTULIT ALVO. In Romano codice, *alveo* legitur; sed magis placet, *alvo*, ut in aliis habetur: & in secundo eodem modo dictum: *Nota conduntur in alvo.*

523. CONJUX. Dictum jam, neque codices antiquos, neque veteres inscriptiones ullam huic nomini scribundo legem praefixisse: veteres tamen Grammaticos *ux* litteris, ut *nux*, terminandum id adnotasse.

528. IRRUMPUNT THALAMO. In Romano codice, ac plerisque aliis, *irrumpunt thalamos*, accusativo casu legitur; sed *thalamo*, dandi casu, magis poëticum videtur. COMES ADDITUR UNA. In codicibus antiquis pene omnibus, *additus* participii, non verbi voce scriptum est; *additur*, tamen non displicet.

529. DII TALIA GRAJIS. In antiquis codicibus & *di*, & *Grais*, unico tantum I notata sunt, de quibus alibi.

530. PIO SI POENAS ORE REPOSCO. In Romano codice, *pios*, legitur; sed id librarii potius imperitia, quam ita quis legendum autumet.

531. AGE FARE VICISSIM ATTULERINT. In antiquis aliquot, *attulerunt*, finitivo modo habetur, & (*age fare vicissim*) per interpositionem: sequitur enim: *Pelagine venis*, non *venias:* quanquam puncta ipsa figuram elocutionis mutare possunt.

547. ET IN VERBO VESTIGIA TORSIT. In Romano codice, *pressit*, legitur. Est vero idem *premere vestigia*, atque *ingredi*. Quia tamen de digressu loquitur, melius est *torsit*.

548. SUBITO ET SUB RUPE. In aliquot codicibus antiquis versus hic non habet *et* copulativam; sed locus hic particulam eam omnino exigere videtur.

551. TORQUETQUE SONANTIA SAXA. In Romano codice, *tonantia saxa*, legitur; quod non aeque placet.

553. NON IPSI EXSCINDERE FERRO COELICOLAE VALEANT. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis, *bello*, pro *ferro*, habetur, hoc est, magno quantumlibet conatu; sed lectionem vulgatam *ferro*, nunquam ego mutaverim.

556. VESTIBULUM INSOMNIS. In Longobardico, in Mediceo, & aliquot aliis veteribus exemplaribus, *exsomnis*, legitur. Et in aliquot detrita s littera post x, *exomnis*. Id enim in plerisque aliis dictionibus, asperitatis evitandae caussa, multi facere consueverant.

557. ET SAEVA SONARE VERBERA. Sunt antiqui codices, in quibus, *sonore*, hoc est, sonitu legatur: quo vocabulo etiam alibi usus est Virgilius. Sed & illud etiam: *Verberaque insonuit*, dixit.

559. STREPITUMQUE EXTERRITUS HAUSIT. In Romano codice, *haesit*, habetur: & ita legebatur in Longobardico: quod transverso calamo deletum est, appositumque, *hausit*, aliena manu & atramento. Servius *hausit* agnoscit, & hypallagen figuram.

561. QUIBUSVE URGENTUR POENIS. Velius Longus quum Attii consuetudinem improbet, de subjicienda U vocali post litteram G in plerisque verbis, Virgilium absque U, *urgentur*, scripsisse, hoc loco teste contendit. QUIS TANTUS PLANGOR AD AURAS? In Romano, & Longobardico, *Qui tantus plangor*, legitur. Et alibi dictum ab eodem Virgilio: *Qui casus agat res*, contra Grammaticorum praeceptiones Carisius observat. Sunt & codices, ubi pro, *auras*, scriptum invenias, *ad aures*, quod non aeque placet.

562. TUNC VATES SIC ORSA LOQUI. In Romano codice *tunc vates hinc orsa*; sed magis placet, *sic orsa*, ut in aliis habetur.

571. TORVOSQUE SINISTRA INTENTANS ANGUIS. In antiquis aliquot exemplaribus, *tortos*, legitur; sed *torvos*, in pluribus habetur.

580. TITANIA PUBES. In Romano codice, *proles*, legitur; sed non displicet *pubes:* quia Hesiodus ait, eos centesimum adhuc aunum agentes in sinu matris lactentis decubuisse: quamquam etiam si non respicias ad Hesiodum, *pubes*, pro qualibet juvenum manu non indecenter positum esse dixeris.

589. DIVOMQUE SIBI POSCEBAT HONORES. In antiquis omnibus, quos habuerim, *honorem*, unitatis numero legitur; ut de una tantum fulminandi scilicet praerogativa intelligatur. Sane vero *honores*, numero multitudinis, pro titulis & dignitatibus poni videas ab auctoribus: *Honores habiti*; *honores decreti*.

591. ET CORNIPEDUM CURSU SIMULARAT EQUORUM. In codicibus plerisque vetustis, *cornipedum pulsu*, legitur: & *simularet*, uti etiam in Mediceo est, eleganti elocutionis forma: quam lectionem e multis exemplaribus inique sublatam animadverti, E litterae vestigio membranis adhuc pertinaciter adhaerescente.

593. NON ILLE FACES, NON FUMEA. In antiquis exemplaribus, *nec fumea*.

595. TERRAE OMNIPOTENTIS ALUMNUM. Vetera omnino exemplaria pleraque, *omniparentis*, cum Porcio legunt: quanquam in aliquot ex abrasis litterarum apicibus, *omnipotentis*, scriptum animadverti. In Mediceo compendiose scriptum est *omnipotentis*; sed aliena manu correctum *omniparentis*. Sane vero Arisianus Messus, nisi codex mendosus est, *omnipotentis* videtur agnovisse. Utcunque vero, nequaquam mihi displicet, *omniparentis*, vulgata lectio.

597. ROSTROQUE IMMANIS VULTUR OBUNCO. In Romano, & aliquot aliis codicibus antiquis, *voltur abunco*, legitur: in Mediceo *adunco* habetur.

598. JECUR TUNDENS. In antiquis fere omnibus exemplaribus, quae tractarim, *tondens*, habetur: pro, decerpens, & leviter abrodens. Sunt tamen, quibus *tundens*, ut in Mediceo est, magis placeat: nempe quia ejusmodi est gestus avium pascentium: vel ut cum eo conveniat, quod dictum est *immortale jecur*, adeo ut non abrodi, sed tundi tantum a vulture videretur.

602 SILEX JAM JAM LAPSURA, CADENTIQUE IMMINET ASSIMILIS. In codicibus plerisque veteribus *que* particula post participium *cadenti* vel minime notata est, vel sublata: in aliquot aliena manu adscripta. Est & *labsura*, per characteristicon sui thematis, de quo alibi.

604. E-

604. Epulaeque ante ora paratae. In Romano codice legere est, *paternae*, quasi assimulata esset ea edulii species, quam pater ex filio Dis condierat; sed omnino *paratae* magis eruditis auribus satisfacit.

607. Atque intonat ore. Nonnulli codices, *increpat*, legunt; sed multo majoris horribilitatis est *intonat*, dicere.

613. Dominorum fallere dextras. In antiquis aliquot exemplaribus, *dextram*, unitatis numero; sed melius, *dextras*, quum *dominorum* itidem multitudinis numero positum sit.

627. Percurrere nomina possem. In antiquis pene omnibus, *possim*, non invenuste.

630. Acceleremus, ait, Cyclopum educta caminis. Praetetibo, quod in aliquot antiquis exemplaribus, *hac celeremus*, legitur; quasi viam alteram, qua progrediendum esset, indicarit Sibylla. Illud non fuit dissimulandum, quod varie legitur *educta*: nam codices aliquot, *obducta*, hoc est, circumducta, habent: aliquot absque praepositiva compositione, *ducta*, tantum, ut alibi: *Pars ducere muros*: & apud Livium: *Murum duxit*. Sunt tamen quibus, *educta*, satisfaciat magis, utpote numerosius; & quod *caminis*, de loco positum sit.

631. Adverso in fornice portas. Vulgata aliquot exemplaria, *in fornice*; sed codices omnes antiqui, quotquot habui, *adverso fornice*, absque ea praepositione interjecta legunt.

632. Haec ubi nos praecepta jubent deponere dona. Antiqui nonnulli codices, *hic ubi*, legunt; sed *haec dona*, magis omnino placet.

638. Et amoena vireta. In antiquis exemplaribus, *virecta*, per ct; & a viridi actu *virectum*, dictionem esse Grammatici tradunt.

640. Largior hic campos aether, et lumine vestit Purpureo. In codicibus aliquot antiquis legere est: *Largior hic campus*: inde altero membro, *aether & lumine vestit Purpureo*. In quibusdam aliis: *Largior hic aër campos*: quod veriti sunt ponere aethera apud Inferos, quum tamen & *Solem suum, & sua sidera norint*. Sed vulgata lectio, quae est, *Largior hic campos aether*, magis placet.

651. Currusque virum miratur inanis. In antiquis sane omnibus codicibus, Longobardico excepto, *miratur* est, singulari numero; ut de Aenea tantum id dicatur. Quid enim Sibylla miraretur, quae sibi alias innotuerant?

652. Stant terrae defixae hastae. Antiqui plerique codices, *Stant terra defixae*, legunt ablativo casu: utrunque enim dicitur eleganter.

653. Per campos pascuntur equi. In antiquis aliquot exemplaribus, *campum*, legitur unitatis numero; sed non displicet, *campos*, pluraliter, ad amplitudinem indicandam. Quae gratia currum Armorumque fuit. Sunt antiqui codices, Mediceus, & alii, in quibus, *curruum*, integra dictione scriptum habeatur. Prisciano placet syncopam fieri: neque tamen negat uu duplex scribi posse, ut fiat synalepha cum subsequente versu.

664. Sui memores alios fecere. Non placet, quod in exemplaribus plerisque veteribus, *aliquos*, legitur: plus enim est *alios* dicere.

674. Et prata recentia rivis. In Romano codice, *silvis*, pro *rivis* legitur; sed enim *rivi* in caussa sunt, cur prata sint recentia.

675. Si fert ita corde voluntas. In codicibus aliquot antiquis, *voluptas*, habetur. Errore, ut puto, quia alibi simili indiligentia *voluptant*, pro, *volutant*, scriptum animadverti.

676. Et facili jam tramite sistam. In codicibus aliquot antiquis, *facili vos tramite*, legitur, sed *jam* in antiquioribus habetur.

692. Quas ego te terras. Romanus codex, & aliquot alii vetusti, *Quas ego per terras*, legunt. Mihi prior lectio facit satis: quia etiam si *per* legas, *te* pronomen desideraretur.

696. Haec limina tendere adegit. In codicibus aliquot pervetustis, legere est, *adire coëgit*; sed omnino lectio haec ex aliqua paraphrasi desumpta est, pedestris enim & exilis est. Illud vero *tendere adegit*, longe sublimior phrasis & elegantior.

699. Simul ora rigabat. In antiquis plerisque, *rigabant*, plurali numero est; sed de Aenea tantum hoc dictum volunt multi, quod absurdum dicunt dare lacrimas Anchisae in beatorum jam numerum adscito; sed fecit hoc Poëta ad affectum mutuae pietatis exprimendum.

704. Seclusum nemus. In Romano codice, *reclusum*, legitur; sed enim Virgilius hujus dictionis primam libentius corripere solet. Virgulta sonantia silvis. Servius *silvae* legit: & Romanus illi codex adstipulatur. Reliqui etiam variant. Advertendum autem, *silvae*, apud Servium accipi genitivo casu. In Mediceo *silvis* habetur.

712. Quive viri tanto complerint agmine ripas. In vetustis quibusdam exemplaribus legere est, *quidve*, hoc est, quorsum, quanam de caussa; sed non ita placet. In aliquot aliis, *quique viri*, habetur: quod rectius mihi succedere videtur, *quae flumina, quique viri*. Est & *compleruut*, finitivo modo, in bona codicum antiquorum parte. In aliquot, ut in Mediceo, *complerent*, per E. Nusquam vero *complerint*, per I legi.

718. Quo magis Italia tandem laetere reperta. In codicibus aliquot antiquis, *laetare*

tare imperativo modo: deque re praesenti, ad solidiorem gaudii caussam. In omnibus deinde pro *tandem*, uno exemplo, *mecum*, scriptum est. In Romano totus versus ita mutatus, *Quo magis Italiam mecum laetare repertam.* Jam enim in Italiam descenderat Aeneas, eamque repertam esse plurimum gaudebat; sed eo magis gaudendum ait Anchises, quod non tantum erroribus finis sit impositus, quodque sedes fato debitae jam apprehensae; sed quod praeter haec tot illustres viri sint ex suo genere propagandi, totque & tantae sanguini suo accessiones praeparatae: quocirca, *Laetare*, ait, *nunc magis ac magis.*

720. Iterumque ad tarda reverti Corpora. In codicibus aliquot antiquis, *in tarda*, legere est. Utrumque placet.

721. Quae lucis miseris tam dira cupido? In codicibus aliquot antiquis, *cupido est*, una plus dictione legitur; sed absque ea suavius.

723. Suscipit Anchises. In probatioribus codicibus antiquis, *suscipit*, habetur: quod significat, *respondet*. Et in Euangelica lectione, multa eo modo reponenda animadvertas: recte quidem prius traducta, sed imperitia saeculi postmodum corrupta. Huic vero lectioni Prisciani etiam subscribit auctoritas dicentis: Illi ὑπολαμβάνω, pro, respondeo: ὡς ὑπολαβὼν ἔφη. Nos, *suscipiens*, inquit. Hinc Virgilius: *Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit:* pro, respondit ad interrogationem Aeneae.

724. Principio coelum ac terras. In Romano codice, *Terram*, unitatis numero scriptum est. Alibi tamen eadem pene sententia dictum: *Deum ire per omnes Terrasque tractusque maris, coelumque profundum.*

733. Nec auras respiciunt. In antiquis omnibus codicibus, quos viderim, eodem exemplo legitur, *neque auras despiciunt*. Alicubi etiam, *respiciunt*, habetur.

747. Atque aurai simplicis ignem. Antiqua omnia exemplaria, quae legi, *aurae*, quidem legunt: versumque absque collisione scandendum offerunt; sed enim ab eruditis omnibus, *aurai*, trisyllabum receptum video. Et unum hunc inter eos quatuor locos, quibus ea diaeresi Virgilius sit usus, enumerat Valerius Probus.

750. Supera ut convexa revisant. In codicibus aliquot antiquis, *supera in convexa*, est: quod non ita placet.

754. Longo ordine possit. In antiquis plerisque codicibus, *posset*, habetur. Et *Longo ordine*, secus a Servio, No. Marcellus interpretatur, *ingenti multitudine.*

762. Italo commixtus sanguine surget. Sunt codices admodum antiqui, in quibus legere est, *Italo mixtus de sanguine*. Vulgata tamen lectio plures fautores habet.

768. Et qui te nomine reddet. In Romano codice, *reddat*, legitur, optativo modo, non invenuste.

772. Atque umbrata gerunt civili tempora quercu. Antiqui omnes codices, quotquot legi, *atque umbrata*, per conjunctionem copulativam, non per *at*, & relativum *qui*, scriptum habent.

776. Pomerios. In antiquis omnibus codicibus, quos habuerim, *Pometios*; per T, non per R legitur.

780. Viden' ut geminae stent. In antiquis, *stant*, finitivo modo est. Ita *signat*, in inferiore versu: quod male quaedam exemplaria, *signet*, scribunt.

793. Augustus Caesar Divom genus. In Romano codice, in Mediceo, & plerisque aliis legere est, *Divi genus*, id quod in nummo pulcherrimo, a cujus altera parte C. Caesaris caput habetur, titulus est: DIVOS JULIUS: ab altera vero parte Augusti Octaviani caput, cum inscriptione: AUGUSTUS DIVI. F. ad quem titulum crediderim hoc loco Virgilium adluisse. Praeterea vero lapidum inscriptiones, quae sunt & in Capitolio, & alibi, in quibus, DIVI. F. scriptum observavi. Sane etiam in Porcio codice, *Divi genus*, prius fuit. In eo vero, quem Janus Vitalis praestantissimi ingenii, neque vulgatae eruditionis juvenis, mihi tradidit, dubio procul, *Divi genus* legitur.

794 Latio regnata per arva. In Romano codice legere est, non inepte forsitan, *regnata per annos*; ut sit *saecula regnata*, non *arva regnata*. Vulgata tamen lectio adhuc in precio est.

799. Hujus in adventu. In Romano codice, & quibusdam aliis legere est, *Hujus in adventum:* quam lectionem spero eruditis auribus placituram.

800. Et Maeotica tellus. Alibi *Maeotia*, absque c littera passim in antiquis codicibus scribi adnotavimus. Ita hoc loco habetur.

803. Fixerit aeripedem cervam licet. In Romano codice & quibusdam aliis, *Fixerat aeripedem*, legitur; & exacta specie, *fixerat*, hic positum Carisius agnoscit. Ita enim ipse praeteritum plusquam perfectum appellat, quae quidem figura Graecanica est, & elegantissima. Neque tamen ierim inficias, ubi *aeripedem*, Episynalephen esse notat, *fixerit* scriptum esse. Sed quum superius tempus & modus sit expressus, errore alterum hoc librarii omnino transcriptum esse credendum est.

803. Aut Erymanthi placarit nemora. In Mediceo, & plerisque aliis veteribus exemplaribus,

ribus, *pacarit*, habetur. Si *placarit*, ad monstri feritatem referri debet; si *pacarit*, ad loci quietem, qui hoste veluti sublato quiescere coepisset. Aut Lernam tremefecerit arcu. Veluti superius, *fixerat*, in codicibus aliquot antiquis legebatur, ita in iisdem etiam, *tremefecerat*, habetur, eadem specie modoque.

807. Virtutem extendere factis. In Romano codice hemistichius ita legitur, *virtute extendere vires*. Plerique vero alii, qui priorem lectionem offerunt, abrasi sunt: nam & apex supra ultimam vocalem in *virtute*, & dictio tota *factis*, aliena manu & atramento notata inspiciuntur; sed quamvis plurimum ita veteres codices legant, non tamen pervincunt, ut ea vulgata lectio, *virtutem extendere factis*, displicere possit.

811. Regis Romani. Multa quidem vetera exemplaria, mutato numero, Trithemimerim faciunt, *Romani regis*; sed vulgata lectio, spondaeo suspenso, multo plus omnino videtur habere gravitatis. Primus qui legibus urbem fundabit. In plerisque codicibus antiquis, *primam*, legitur, hoc est adhuc recentem: nam ante Numam Romulus leges tulit. In Mediceo, *primum* est: & addita paraphrasis, *In principio*.

813. Cui deinde subibit, Otia qui rumpet. In aliquot veteribus exemplaribus, *quoi*, scriptum: cujusmodi lectiones plerasque missas facio, quum tam paucos videam, qui rerum hujusmodi eruditione delectentur.

815. Et jam desueta triumphis agmina. Totum hoc in Romano codice longe diversa lectione habetur, quum ibi scriptum sit: *& magnum deinde triumphum agmina:* quod quo pacto quadrare possit, non intelligo, quum neque ordo structurae ullus, neque sententia congrua discernatur: quare me ad vulgatam refero lectionem.

818. Vis et Tarquinos reges. In codicibus omnibus antiquis, *Tarquinios*, quadrisyllabum legitur: ut si, quae pene ultimam praecedit, syllaba non corripiatur ratione numeri polysyllabici, certe κατὰ συνίζησιν duae ultimae in unam coëant, quando sunt qui secundam a principio syllabam longam existiment. Hoc eodem modo saepius apud Ovidium ex veteribus codicibus legi: *Illic Tarquinius mandata latentia nati*. Et eodem poëmate: *Ultima Tarquinius Romanae gentis habebat*. Qui si dicant his quoque locis, *Tarquinus*, trisyllabum scribi debere: certe quadrisyllabum in eo pentametro non negabunt: *Natus ait Regis, Tarquiniusque vocor.*

821. Natosque pater. Plerique codices antiqui, *gnatos*, una plus littera scribunt, ut solitos esse veteres, ait Victorinus. At Cornelius Fronto tam asseveranter *gnatum* a *nato* distinguit, ut *gnatum*, cum G, filium dicat; *natum* vero, vel pullum, vel quid hujusce modi, cum significatione temporis, ut sit potius participii vox, quam nominis.

823. Infelix utcumque ferent ea fata minores. In antiquis omnibus exemplaribus, quotquot habere potui, *ea facta*, sub voce participii scriptum animadverti. Quam lectionem divus etiam Augustinus III. De civitate Dei videtur agnovisse: cujus verba, quod ad Virgilianae sententiae declarationem faciunt, subjicere non pigeat: *Quod factum Virgilius postquam laudabiliter commemoravit, continuo clementer exhorruit: quum enim dixisset:* Gnatosque pater nova bella moventis Ad poenam pulchra pro libertate vocabit, *mox exclamavit & ait:* Infelix! utcumque ferent ea facta minores. *Quomodo libet*, inquit, *ea facta posteri ferant, id est, post ferant, & extollant! Qui filios occidit, infelix est. Et tanquam ad consolandum infelicem subjunxit:* Vincet amor patriae, laudumque immensa cupido.

828. Nunc et dum nocte premuntur. In antiquis codicibus legere est: *prementur*, futuro tempore, quod multo magis placet, quum praesens per adverbium *nunc*, sit jam expositum.

846. Quo fessum rapitis, Fabii? In Romano codice, *Quo gressum rapitis*, habetur; ut ex hoc tacite ad trecentos illos adludat, una pugna trucidatos: quos omnes ad bellum missos, ut apud Ovidium est, *Abstulit una dies.* Sed elocutio illa, *Rapere gressum*, insolita videtur, magisque placet, *Quo fessum rapitis*, legere, ut variata in orationis genere figura loquendi, non Anchisem tantum longa ea nomenclatura delassatum levet, verum etiam lectori consuluisse videatur.

847. Cunctando restituis rem. In Romano, in Mediceo, & aliis quibusdam antiquis exemplaribus, *restitues*, futuro tempore positum est: quod non displicet.

853. Pacique imponere morem. In Longobardico, & quibusdam aliis codicibus vetustis, *pacis*, genitivo casu legitur: quam lectionem Servius agnoscit.

859. Sistet eques sternet Poenos, Gallumque rebellem. Parum me movet, quod in Romano codice *equis*, legatur, quum eadem sit sententia, sive *eques*, sive *equis*, dicas. Illud curiosius animadvertendum, quod in plerisque veteribus exemplaribus coma praejecta est dictioni, *eques*, ut clausula superioris membri sit, *sistet*, totumque id simul legatur: *Hic rem Romanam magno turbante tumultu Sistet*. Inde altero membro: *Eques*, sive malis, *Equis sternet Poenos, Gallumque rebellem.* Nam quum ad eam diem rem Punicam equitatu potiorem esse, pluribus praeliis compertum esset: Marcellus is, qui primus Hannibalem terga ostendere docuit, equis rem gessit, ho-

hostemque ab obsidione Nolae turpiter recedere coegit: & eo genere pugnae saepius res hostiles adflixit.

860. TERTIAQUE ARMA PATRI SUSPENDET CAPTA QUIRINO. Non placet, quod in Romano codice legitur, *tristiaque arma*, quum ex Numae Regis lege Tertia spolia opima Quirino suspendenda essent, quod Interpretes tangunt. Apud Livium quidem legimus Flamines institutos a Numa Marti, Jovi, & Quirino. Nihil ibi de spoliis. Idem quarto ab Urbe condita de Cosso ait: *Spolia in aede Jovis Feretrii prope Romuli spolia, quae opima appellata, sola ea tempestate erant, cum solenni dedicatione dono fixit.* Ubi adnotandum est, vulgata exemplaria una plus dictione legere, *quae prima opima appellata*; sed in veteri codice, *prima*, non habetur. Satis enim est dixisse *sola*.

866. QUANTUM INSTAR IN IPSO EST In Romano, & aliquot aliis codicibus antiquis, *est*, non habetur; sed appositum addit ornatum orationi.

868. LACHRYMIS INGRESSUS ABORTIS. Romanus codex, uti etiam superius observatum, & hic, & alibi, *obortis*, legit; & *lacrimis*, more suo, per 1 Latinum absque adspiratione.

870. NEQUE ULTRA ESSE SINENT. In pluribus antiquis codicibus, *nec*, monosyllabum est; sed enim *neque ultra*, ea vocalium collisione nescio quid miserabilius ostendit, versu etiam ejulatum quodammodo emittente.

871. NIMIUM VOBIS ROMANA PROPAGO VISA POTENS, SUPERI. In Romano codice, *superis*, legitur; sed neque id placet: longe enim melius est: *Visa potens* vobis, *o Superi*, quam, *vobis Superis*.

877. IN TANTUM SPE TOLLET AVOS. Neque id satisfacit, quod in Romano codice legitur, *spes*, quamvis antiquo declinatu genitivi casus esse potest, ut sit: *in tantum spei*.

898. HIS UBI TUM NATUM. In Romano codice, & aliquot aliis veteribus legere est, *His ibi tum:* quod si advertas, melius quadrabit.

900. ILLE VIAM SECAT AD NAVES. Quod antiqui codices, *navis*, per I scriptum ostendunt, id etiam in veteribus Prisciani codicibus eodem modo scribitur: *Fessas non vincula navis. Quoque magis fessas cupiam dimittere navis. Muneraque in navis.* Et ita reliqua.

LIBER SEPTIMUS.

TU QUOQUE LITORIBUS NOSTRIS. Quod *litus*, ubique simplici T scripserim, id me movit, quod in antiquioribus codicibus ita scriptum inveni. Et vetera quaedam monumenta nomen id unico T notatum ostendunt, ut illud apud aedem D. Laurentii in Lucina:

LITORE PHOCAICO PELAGI VI EXANIMATAS.

Non enim abraduntur, aut transcribuntur marmora veluti codices. Praeterea uti per unum T scribatur, deposcere videtur analogia, sive a *lido*, *lidis*, forte descendat: quippe quod assidue fluctibus illidatur: sive, ut multi volunt, a *lino:* nam *litus* est ex M. Tullii Arbitri sententia, *quousque maximus fluctus a mari provenit*. Ti. Donatus aliquanto simplicius, *ubi aqua maris finitur, ita & finis terrae, quae litore jungitur:* ideoque alibi dixit Virgilius: *Navis sicco litore subductas*, quia est, & udum litus. Sed hoc etiam animadvertendum tris continuos versus vocabulum idem repetere: *Tum se ad Cajetae recto fert litore portum. Anchora de prora jacitur, stant litore puppes. Tu quoque litoribus nostris Aeneia nutrix.* Quod siquis tertium hoc nihil facere ad superiora dixerit, quia sit alterius libri principium; videat unum esse corpus totam Aeneida, duodecim veluti membris compactum: neque ita ut in Georgicis heterogeneum, quod ibi ostendunt prooemia distinctas materias, argumentaque dissimilia dividentia, *Agrorum* quippe *cultum*, *Arborum naturam*, *Armentorum curam*, *Apum studium*. At Aeneis uno tantum comprehenditur argumento, *De rebus ab Aenea gestis :* librique ipsi ita invicem colligati sunt, ut verborum etiam structura uniuscujusque finem cum alterius principio connectat. Hinc *omnes conticuere*, quamprimum audivere Dido poscere ab Aenea, ut *ab origine prima ederet insidias Danaum, casusque suorum.* Et *postquam jam non spes opis ulla dabatur, Resque Asiae, Priamique gens, superbumque Ilium, & omnis Troja conciderat, Diversa exilia, & desertas quaerere terras dis auspicibus* coactus est Aeneas, qui ad finem usque tertii libri *Fata renarrabat Divom cursusque docebat. At Regina gravi jamdudum saucia cura Vulnus alit venis.* Cui dum Iris Junonis jussu dextra *crinem secat, omnis & una dilapsus calor, atque in ventos vita recedit: Interea medium Aeneas jam classe tenebat Certus iter.* Qui, Palinuro mox in mare excusso, quum *amisso fluitantem errare magistro navem sensisset, animum concussus amici casu, Sic fatur lacrimans : O nimium coelo &* pelago

pelago confise sereno, Nudus in ignota, Palinure, jacebis harena. Ab Avernis inde quum se *ad Cajetae portum recto litore tulisset, arrepta tellure*, dum interim *stant litore puppes*, Nutrix ejus *Cajeta aeternam moriens litoribus nostris famam dedit.* Atque ita libri reliqui invicem connectuntur.

7. Portumque relinquit. Non placet, *reliquit*, tempore praeterito, ut codices plerique veteres habent: nam & *tendit*, & *aspirant*, praesentia sunt.

12. Assiduo resonat cantu. In Romano codice, *adsiduo*, per *d* scriptum est. Eos vero reprehendit Caper, qui *assiduus*, proferre malebant: quod eadem littera E in *sedeo* primitivo reperiatur: dici enim *adsideo* notat: unde *adsiduus*. Contra cujus sententiam Fl. Sosipater, *adsiduus*, ait, quidam per D scribunt, quasi sit a *sedendo* figuratum; sed errant: nam quum a Servio Tullio populus in quinque classes divisus esset, ut tributum, prout quisque possideret, inferret: ditiores, qui asses dabant, *assidui*, dicti sunt. Et quoniam soli negotiis publicis frequentes aderant, eos, qui frequenter adsunt, *assiduos*, ab *assibus* dixerunt. Hinc ait Gellius: *Assiduum in Duodecim tabulis & pro locuplete, & facile munus faciente, dictum ab assibus, id est, aere dando, quum id tempora Reipubl. postularent: aut a muneris pro familiari copia faciendi assiduitate.* Et alibi: *Assiduum quasi per Antitheton opponit Proletario.* Ex quibus manifestius constat, quid sibi velit M. Tullius, quum in Topicis argumentum ex vi verbi sic assumit posse docet: *Quum lex Aelia Sentia Assiduo assiduum vindicem esse jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim assiduus, ait Aelius, appellatus est ab asse dando.*

20. In vultus ac terga ferarum. Veteres quidam codices, *in vultus & terga*, legunt: sed *ac* magis placet, quia magis unit.

31. Vorticibus rapidis. In Romano codice, in Mediceo, & in plerisque aliis sane quam vetustis passim, *verticibus* per E scriptum observes. Tametsi Caper, ut alibi diximus, differentiam interjicit. Sed enim Arusianus Messus non alia ratione *vortex*, pro *vertex*, scribi solitum tradit, quam *volnus*, pro *vulnus*: atque ita quoquo scribatur modo, idem significare. Quid vero contra Plinius, quid Sosipater tradant, in primo dictum eo versu: *Torquet agens circum, & rapidus vorat aequore vortex.* Addam illud ex Quintiliano, ut Arusianum recte sensisse videamus: *Quod vortices, & vorsus, primo Scipio Africanus in e litteram secundam vertisse dicitur.*

35. Flectere iter sociis, terraeque advertere proras imperat. In codicibus aliquot antiquis, *socios*, accusativo casu legitur; quod minime displicet.

38. Quis Latio antiquo fuerit status. In quibusdam antiquis codicibus, *fuerat*, legitur, exacta specie; sed *fuerit*, magis placet.

69. Et partes petere agmen easdem. In Romano codice, & quibusdam aliis legere est, *partis petere agmine*, ut comitatu potentem eum subindicet.

72. Et juxta genitorem astat Lavinia virgo. In antiquis aliquot codicibus, *Ut juxta genitorem adstat*, legitur, quod non displicet: quia structura est ita colligata magis: *Adolet dum altaria flammis, Ut juxta genitorem adstat Lavinia virgo, Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem.*

86. Huc dona sacerdos Contulit. Scribendi modus, quod in codicibus aliquot antiquis, *qom tulit*, legebatur, per Q & O, effecit, ut alii postmodum unica dictione scribere coeperint. Sed enim in antiquioribus codicibus duae sunt partes, *cum tulit*, sive malis *quum*, sive *quom* scribere.

94. Atque harum effultus tergo. Tametsi non probo lectionem, *atque earum*, ex codicibus nonnullis antiquis, quae καλῶς συνίζησιν stare posset; fuit tamen adnotandum, quia non uno tantum loco repertum erat.

98. Externi veniunt generi. In antiquioribus omnibus exemplaribus, quotquot habui, *venient*, legere est, futuro tempore: quamquam *veniunt*, instanti tempore, magis efficax videtur, & magis interpreti Servio satisfacit: nisi quis dicat oracula de futuris esse debere.

102. Haec responsa patris Fauni. Sunt codices antiqui, in quibus, *haec praecepta*, scriptum est. Illud enim praecipiendo dictum fuerat: *Ne pete connubiis natam sociare Latinis:* monendo vero, *Externi venient generi*, & quae sequuntur; sed enim Latinus superius *responsa* petierat: & hujusmodi oracula eleganter & usitate responsa nuncupantur.

109. Et adorea liba per herbas Subjiciunt. In antiquis plerisque codicibus, *per herbam*, unitatis numero legitur: & ita in veteribus Prisciani codicibus scriptum est, eo citato versu: sed *herbas* legere magis nunc placet eruditis viris.

110. Sic Jupiter ipse monebat. Priscianus agnoscit, *Juppiter ille.* Quae quidem lectio prius erat in codice Mediceo. Ait vero Priscianus, *ille*, demonstrativum est. Terentius in Eunucho: *Viden' tu illum Thais?* Relativum, Virgilius in septimo: *Sic Juppiter ille monebat.* Apud Servium *ipse* scriptum est; sed nihil prohibet, quin *ille* illic etiam esse potuerit, & ita legi, *ille*, qui per Harpyiam vaticinatus est.

112. Et vertere morsus. In plerisque veteribus codicibus, *morsum*, singulari numero scriptum est; sed parvi hoc momenti.

116. Heus

116. HEUS ETIAM MENSAS CONSUMIMUS, INQUIT IULUS. In Mediceo codice, & aliquot aliis antiquis, *consumpsimus*, praeterito tempore scriptum est.

119. ERIPUIT PATER AC STUPEFACTUS NUMINE PRESSIT. In codicibus aliquot antiquis, *& stipefactus*, habetur, ut: *Obstipuit*, & similia; sed nos usum sequamur.

125. ACCISIS COGET DAPIBUS CONSUMERE MENSAS. In codicibus aliquot antiquis, *ambesis*, legitur: ut in III. *Ambesas subigat malis absumere mensas*. Servius, *accisis*, agnoscit, & particulas AC, OC, AN, idem apud Graecos ἀμ: & crediderim ego, *ambesis*, loco hoc ex paraphrasi desumptum esse.

128. HAEC NOS SUPREMA MANEBAT. In Romano codice, *suprema manebant*. Ac de *supremo* quidem alibi, quibus locis, quibusque marmorum testimoniis aliquando gemino PP scribi solitum. Quod vero *manebant*, plurali numero scriptum sit, subintelligendum esset, adversa: nam Celeno, quum multa horrenda moneret, supremum hoc addidit, ut gravissimum infortunium. Fuitque semper Aeneas super obscena ea fame sollicitus, qua quidem adversa omnia terminanda Helenus pollicetur, fututumque, ut sit requies ea certa laborum. Placet & *manebat*, quod esset ea fames exitiis posituta modum: nam quod ad labores, *Terra graviora manent*.

144. DEDITUR HIC SUBITO TROJANA PER AGMINA RUMOR. In antiquis *diditur*, quo saepe utitur Lucretius pro spargitur, diffunditurve.

145. QUO DEBITA MOENIA CONDANT. In antiquis aliquot codicibus, *condent*, habetur, futuro tempore modi finitivi; sed *condant*, eodem tempore modi optativi, elegantius est, & vocale magis.

148. POSTERA CUM PRIMA. Vetera aliquot exemplaria *primo* legunt, adverbialiter; sed *prima lampade*, multo magis placet.

160. TURRES AC TECTA LATINORUM. In codicibus nonnullis admodum vetustis, *turris ac tecta Latini* legitur. Servius *Latinorum*, hypermetrum agnoscit: quod etiam in Mediceo codice habetur. In plerisque aliis aliena id manu scriptum, priore abrasa lectione. In Porcio *orum* ultimae duae syllabae derasae sunt; sed fuit haec eorum imperitia, qui figuratum id genus in carmine non intelligebant, Porro Asper Grammaticus ita *Latinorum* Virgilianum putat, ut versu etiam in suos pedes dividendo, neque syllabam, neque litteram ullam deerrare permittat: exemplaque insuper alia oggerit, quibus Virgilium Hypermetro libenter usum ostendat. Est etiam in aliquot antiquis, *turris & tecta*, pro, *ac tecta*: quod in aliorum sit arbitrio.

161. MUROQUE SUBIBANT. In Romano codice, *muros*, per accusativum est: quod secundum naturam esse ait Servius; *muro* vero, per dativum, figuratum.

166. CUM PROVECTUS EQUO LONGAEVI REGIS AD AURES. In codicibus omnibus antiquis, quotquot habui, uno exemplo legitur, *praevectus*: quod magis ostendit anticipationem. Est & ubi loco particulae *quum*, scriptum sit *tum*; sed hoc ob similitudinem litterarum C & T, quae eadem pene forma sunt in notis Longobardicis, ut alibi dictum.

171. URBE FUIT MEDIA. Veteres codices nonnulli una cum Mediceo, *summa*, nonnulli *media*, legunt. Utrumque placet: si *summa*, propter arcem, quae solita est editiori loco poni: si *media*, quia domus regia in medio esse debet, ut de angue in orbem voluto cum domo in medio sita, quod Imperatorem significet, in commentis Aegyptiorum habetur.

173. HINC SCEPTRA ACCIPERE. In antiquis plerisque codicibus, *hic sceptra adcipere*, hoc est, in loco consistentibus. Quanquam placet & *hinc*, de loco adverbium, veluti etiam omen erat, coronas lauteas Caesaribus triumphaturis ex eo carpere laureto, quod in Vejentano Livia post Augusti statim nuptias pangi jusserat: de quo plura Suetonius. Neque vero illud dissimulabo, esse codices veteres, qui *sceptrum*, unitatis numero legant: quod aliorum arbitrio relinquimus.

175. HAE SACRIS SEDES EPULIS. In Romano codice, *haec*, unitatis numero legitur: ut sit, *haec sedes*. In reliquis plurale est. In Mediceo, *sacrae sedes*; sed melius *sacris*, ut in Porcio.

178. ANTIQUA EX CEDRO. In veteribus codicibus, quos legerim, vel *antiqua e cedro*, absque X littera, quod omnino suavius videtur: vel absque ulla praepositione *antiqua cedro*, ut in Mediceo habetur.

182. MARTIA QUI OB PATRIAM PUGNANDO VULNERA PASSI. In Romano codice, *Martiaque*, legitur, per particulam copulativam, ut cum regibus eos etiam pari propemodum honore decoratos indicet, qui pro patria pugnando vulnera passi fuerint; sed longe omnino magnificentius, id ornamenti regibus ipsis addere.

192. TALI INTUS TEMPLO DIVUM PATRIAQUE LATINUS. In antiquis nonnullis exemplaribus legere est, *Tali intus temploque deum patriaque*; sed illud, *templo divom*, in pluribus habetur; aut *Tali intus divum templo*, ut in Mediceo est.

200. QUALIA MULTA MARI NAUTAE PATIUNTUR IN ALTO. Veteres aliquot codices, *qualia saepe mari*, legunt; sed *multa* Interpretes agnoscunt.

204. VETERISQUE DEI SE MORE TENENTEM.

tem. Sunt veteres codices, in quibus *ferentem*, pro *tenentem*, scriptum invenias; sed quum superiore versu facta sit mentio vinculi & legum, *tenentem*, magis placet.

206. Auruncos ita ferre senes. Quanquam non sum nescius, quod subjiciam, risu a multis excipiendum esse, dicam tamen in codicibus aliquot antiquis, *Auricomos*, positum ab iis, qui forte quid sibi vellet *Aruncos*, minus intelligebant.

207. Ideas Phrygiae penetravit. In Romano codice, & quibusdam aliis, *penetrarit*, legitur: quod melius quadrat, ut penetrarit.

211. Accipit et numerum Divorum altaribus auget. In nonnullis antiquis codicibus, *addit*, legitur: ut alibi: *Decus addite Divis:* sed enim melius *auget*, dicendo numerum.

214. Vestris succedere terris. Sunt & qui *tectis*, legant. Codices tamen emendatiores, *terris*, plurimum habent.

224. Concurrerit orbis. In Romano codice, *concurreret*, habetur: sive familiari vitio I mutarit in E: sive, vel tunc auditum dicat, quum res gereretur. Utcumque autem, magis placet *concurrerit*, perfecto praeterito.

225. Audiit et si quem tellus extrema refuso Submovet Oceano. Praeteribo, *audit*, unico I, quod pro duplici oblongiore nota scribi solitum est. In Romano codice, *siquam*, legitur foeminino genere, ubi intelligendum esset terram, aut plagam; sed enim virili genere melius.

235. Sive fide, seu quis bello est expertus et armis. In Mediceo absque verbo *est*, legitur, *Sive fide, sive quis bello expertus & armis.* In qua lectione Penthimemeris ratione caesurae produceretur.

237. Vittas ac verba precantum. In codicibus plerisque veteribus legere est, vel *&*, vel *ac verba precantia*, hypermetro versu. In aliquot vero aliis satis inemendate: *Proferimus manibus vittasque precantia verba:* nam quum precantia omnino legerent, neque hypermetrum agnoscerent, ita carmen interturbare sunt adgressi. Quoniam vero non temere credendum tot in codicibus, *precantia*, scriptum esse, eam ego lectionem minime rejecerim. Sane vero in colloquiis de pace, *precari verba* dicuntur: ut illud apud Livium libro decimo de secundo bel. Pu. *Itaque infecta pace, ex colloquiis quum se ad suos recepissent, frustra verba precata renuntiant, armis decernendum esse.* *Precata* enim in veteri codice habetur, quod in vulgatis, *pacata*, substitutum est.

240. Imperiis egere suis. In codicibus aliquot antiquis, *cogere* legitur: quod forte *coëgere* fuit κατὰ συνίζησιν, ut illud: *Trojaeve opulentia deerit:* &, *Vir gregis ipse Caper deerraverat.* Utcumque vero, *imperiis egere*, castior mihi lectio videtur. Hinc Dardanus ortus Hunc repetit, Jussisque ingentibus urget Apollo Tyrrhenum ad Tybrin, et fontis vada sacra Numici. Quia plerique sunt, qui vel nevos ex Romano praesertim codice requirunt, subjicienda ex eo lectio est, quae mihi minime probatur: *Hinc Dardanus ortus, Hunc repetet, jussisque ingentibus urguet Apollo Tyrrhenum & Tybrin & fontis vada sacra Numici.*

254. Fauni volvit sub pectore sortem. In codicibus aliquot antiquis, *volvens*, legitur: quod usque ad verbum *ait* protraheretur; id vero mihi satis nequaquam facit.

255. Externa a sede profectum. In antiquis omnibus codicibus *ab sede*. Et in aliquot, *provectum;* sed syllaba repugnante, prima enim in *provehor* longa est: *Provehimur pelago.*

257. Hinc progeniem virtute futuram Egregiam. In Oblongo codice Vaticanae bibliothecae, & in Mediceo, *hinc*, adverbium, scriptum observavi: in reliquis omnibus *huic*: quod apte quadrare videtur: *Hunc portendi generum, Huic futuram progeniem virtute egregiam;* sed neque inconcinnum est *hinc* legere.

264. Sociusque vocari. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis, *sociusve*, legitur: quod magis placet.

277. Instratos ostro alipedes. Non placet, quod in plerisque legitur exemplaribus, *instructos*, quum *equos insterni* dicatur, & *stragula*, quae dorso *insternuntur*.

290. Jam fidere terrae. Antiqui plerique codices, *sidere terrae*, legunt, ut eo significato *considere* saepe dictum: quod enim proxime futurum videbatur, jam actu esse sibi proponit: ideoque etiam illud eodem modo dictum: *Moliri jam tecta videt.* Priscianus tamen, *fidere terrae*, agnoscit: perinde ac illud etiam: *Fidere nocti.*

298. Odiis haud exsaturata quievi. In Oblongo illo pervetusto Vaticanae bibliothecae codice, *exsatiata* legitur, praeter differentiam, quam Cornelius Fronto ponit, ut *satiatus ventris*, *saturatus animi* sit. Contra quem Fl. Sosipater ita: *Saturitas in cibo tantum dicitur. In caeteris vero, satietas.* Sed Virgilius: *Odiis haud exsaturata quievi*, dixit, superstitiosa nimirum utriusque observatione, quum & *sature*, & *satio*, *saturitas*, & *satietas*, ad omnes sensus pertinere M. Tullii, Sallustii, Columellae, & aliorum auctorum testimoniis comprobetur: quae ideo non apposui, quod ea omnibus in promptu esse satis sciebam.

300. Toto me opponere ponto. In antiquis aliquot codicibus, *exponere*, habetur; quasi ipsa quoque Juno sese periculis objecerit; sed *opponere*,

ponere, quod in pluribus habetur, omnino melius, & conatum adversus Trojanos ingentem ostendit.

302. QUID VASTA CARYBDIS? Sunt quidem antiqui codices, in quibus, *dira Carybdis*, habetur; sed *vasta*, longe decentius dictum, idque ex Synepeia Catulli: *Quae Syrtis, quae Scylla mihi, quae vasta Carybdis?*

307. QUOD SCELUS AUT LAPITHIS TANTUM, AUT CALYDONE MERENTE. Priscianus, ubi non semper copulativas eosdem casus sibi adjungere disserit, testimonium hinc citat. Ubi scriptum agnoscat: *Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydona merentem.* Utrumque tamen melius, accusativo vel ablativo casu quibusdam in codicibus inveniri, ut sit *concessit* verbum: cui subjicitur per repetitionem: *Quod scelus, aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem:* vel in modo consequentiae (ut jam passim legitur) *Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente.*

313. NON DABITUR REGNIS, ESTO, PROHIBERE LATINIS. In Mediceo codice ita legitur: *Non dabitur, esto, regnis prohibere Latinis:* forte mutatum ab iis, qui Trithemimerim brevem aufugiebant.

316. AT LICET AMBORUM POPULOS EXSCINDERE REGUM. In Mediceo codice, *excidere*; sed *exscindere*, plus est.

329. TOT PULLULAT ATRA COLUBRIS. In veteribus plerisque codicibus, *pullulat ora*, figurate positum invenias: quamvis, *atra*, magis placeat eruditis. Est & illud more quodam suo scriptum in Romano codice: *pollulat ora colobris:* cujus scriptionis rationem alibi retulimus.

330. HIS ACUIT VERBIS. In antiquis aliquot codicibus, *dictis*, legitur.

331. HUNC MIHI DA PROPRIUM, VIRGO SATA NOCTE, LABOREM. In Romano codice, *laborum*, legitur: quippe hunc ex laboribus tuis; sed elocutio non placet. Castior enim lectio: *hunc laborem*, id est, hanc operam, quod expositive statim subjungit.

335. TU POTES UNANIMES. In antiquis plerisque codicibus *unanimos* legitur, & *unanimis*, utrumque recte, ex proba Grammaticorum disciplina.

339. DISJICE COMPOSITAM PACEM. In antiquis omnibus codicibus, quotquot legi, *dissice*, s geminato & unico I scriptum observavi, & hic, & in aliis locis; ea forte ratione, ut concitatius enuntiaretur, quod in *imperiossus*, in *aussus*, in *odiossus* fieri solitum a veteribus ostendimus.

340. ARMA VELIT POSCATQUE SIMUL, RAPIATQUE JUVENTUS. In antiquis quibusdam codicibus legere est: *Arma velit poscatque simul Trojana juventus:* quod si admittendum sit, magnitudo rei, quam petit, demonstrabitur, si, qui placida nunc pace quiescunt, & quibus jam certa laborum requies promissa est, *Arma velint poscantque simul.* Quanquam posito velle, & poscere, tumultuantium furorem ostendat, addito *rapiatque:* nam & antiqua paraphrasis est, *Contra Trojanos.*

349. ET LEVIA PECTORA LAPSUS. In quibusdam antiquis codicibus, *levia corpora labsus* legitur; sed *pectora*, receptum magis.

354. AC DUM PRIMA LUES UDO SUBLAPSA VENENO. In codicibus aliquot antiquis, *at dum*, legitur. Missum vero facio, *uno sublapsa veneno:* quod habetur in Romano codice, quum *udo* Servius agnoscat, cui reliqui veteres codices adstipulantur.

356. NEC DUM ANIMUS TOTO PERCEPIT PECTORE FLAMMAM. In Romano codice, quod minime displicet: *toto concepit pectore*, legitur, etsi plus est, *percepit.*

359. EXULIBUSNE DATUR DUCENDA LAVINIA TEUCRIS. In antiquis, *exsulibus* per xs, veteribus Grammaticis adsentientibus. Praeterea totus versus in nonnullis codicibus antiquis ita legitur: *Exsulibus ducenda datur Lavinia Teucris.* In sexto enim dubitatum est, utrum *Lavini* prima correpta poni debeat, eo loco, *in regna Lavini Dardanidae venient:* quod nonnulli, *Latini*, legere malunt. Siquis vero orationem absque NE languere dixerit: Poëta ipse tradit, Amatam initio mollius locutam esse. Inemendate vero codices aliquot, *exulibus abducenda*, legunt: nam collisionem ejusmodi in principio Virgilius non admisisset: qui vel parcissime, vel fere nunquam, ea utatur; vel in medio, ubi plus licentiae esse solet. Sed enim quantum pertinet ad syllabam, in primo, *promissa Lavini moenia.* Et paulo post: *Regnumque ab sede Lavini.* Et a Tibullo: *Ante oculos Laurens castrum murusque Lavini est:* prima nimirum brevi positum est. Et apud Asprum Grammaticum antiquo codice, *ducenda Lavinia*, legitur.

363. AT NON SIC PHRYGIUS. In aliquot codicibus, *an non*, habetur; sed *at* magis placet eruditis.

378. CEU QUONDAM TORTO VOLITANS SUB VERBERE TURBO. *Turbonem* ait Sosipater Carisius a Virgilio vocari, qui apud Tibullum *turben* est. *Namque agor ut per plana citus sola verbere turben:* ut obiter locum etiam apud eum indicemus: esse vero, qui passim, *hic turben*, dici debere putent: quia & homo, & tempestas, & buxum eodem possint nominativo perhiberi. Sed hoc stulte dictum ajunt nonulli: nam alii sic distinguunt, ut *turbo turbonis*, si proprium sit hominis nomen: cujusmodi apud Cornelium Tacitum inve-

venias; *turbinis*, si procellam voluerimus exprimere: *aut in eo*, inquit Plinius, *nominando*, *qui est in lusu puerorum*. Sed Caesar de Analogia secundo: *turbonem*, non *turbinem*, etiam in tempestate dici debere ait, ut *caro caronis*, non, ut *homo hominis*.

380. Ille actus habena. In antiquis aliquot codicibus, *habenis*, numero multitudinis; sed *habena* magis placet.

381. Stupet inscia turba Impubisque manus. Sunt qui legant: *super inscia turba*; sed enim in Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus legere est: *Stupet inscia supra Impubesque manus*: quanquam & *impubis* recte, quorum neutrum Priscianus excludit.

385. Quin etiam in silvas simulato numine Bacchi. In codicibus nonnullis pervetustis legere est: *in silvis simulato nomine Bacchi*. Ut *evolat* absolute ponatur, & in silvis res geratur; sed enim prior lectio mihi castior videtur, remque magis augere numinis vi intercedente, nisi *nomine* eo modo scriptum sit, quo *fonus* in Legibus duodecim tabularum.

386. Majus adorta nefas, majoremque orsa furorem. In antiquis quibusdam exemplaribus, *adorsa*, legitur, uti superius etiam observatum. Praeterea etiam in Romano codice, *majorem exorsa furorem*, absque particula copulativa habetur.

389. Evohe Bacche fremens. Sunt, in *evohe* qui unam tantum adspirationem notent, eamque interjiciant inter ultimas vocales duas. Sunt, qui statuant in medio, duabus hinc inde vocalibus adnotatis, *evhoe*. Sunt, qui etiam dictionem incipiant ab adspiratione, *hevhoe*. Apud Carisium una tantum in medio sita adspiratione scribitur *evhoe*. Sane apud nos oe ex oi diphthongo Graeca factum est: nam quod illi εὐοῖ, nos *evoe* dicimus. Demosthenes in oratione contra Ctesiphontem, Βακχικὸν τι ἐπιφθέγγομαι ἐστὶ τὸ εὐοῖ. Quare potius *Evoe* spondeum esse dicendum. Hor. Secundo Carminum: *Evoe recenti mens trepidat metu*. Et alibi: *Evoe Bacche precor*. Catullus: *Evoe Bacchantes*, *Evoe capita inflectentes*.

391. Te lustrare choro. In plerisque veteribus codicibus cum Romano & Mediceo legitur: *choros*; non tamen displicet, *choro*.

394. Deseruere domos. In codicibus aliquot antiquis, *domus*, forma declinationis quartae; nisi mutatum sit o in u, ut: Sacerdus dei Brontis in antiquo marmore in aede sancti Martini in Montibus.

400. Io matres, audite, ubicumque Latinae. Sunt, qui ex Prisciano legant: *ubi quaeque*: atque ita in Mediceo, & antiquis omnibus codicibus Vaticanae bibliothecae legere est. Verba vero Prisciani ponere non pigeat: *O matres audite*, *ubiquaeque Latinae*, *pro*, *quaecumque*. Potest tamen hic, & ibi, pro ubicumque accipi. Atque ego crediderim ex hac Prisciani paraphrasi supra dictionem scripta credidisse multos, *ubicumque*, pro *ubiquaeque*, reponendum esse: atque ita legitima sublata dictione adulterinam insertam.

407. Consiliumque omnemque domum vertisse Latini. Praetereamus, quod in plerisque codicibus est, *concilium*: non enim id placet. Legitur etiam, *evertisse*; sed hoc quoque minus proprium.

411. Locus Ardea quondam Dictus avis, et nunc magnum tenet Ardea nomen. Antiqui aliquot codices legunt: *locus Ardua quondam*: ut non temere dictum a Servio sit, *Bene allusit*: *nam* Ardea, *quasi* ardua *dicta est*. Est & pro *tenet*, *manet Ardua nomen*, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus.

414. Jam mediam nigra carpebat nocte quietem. Codices nonnulli pervetusti legunt: *jam media nigra*: ut utrumque sit noctis epitheton: alterum temporaneum, alterum proprium. In aliis invenio: *jam media nigram*; sed vulgata lectio magis placet.

415. Alecto torvam faciem, et furialia membra Exuit, in vultus sese transformat aniles. In veteribus aliquot codicibus legere est, *furialia membra Exit*, *& in voltus sese transformat anilis*. In aliquot aliis, quod minus placet, *exuit & vultus*, absque *in*; sed illud mihi adridet, ut figuratum magis, *Exit & in voltus*. Quanquam non improbo *exuit*, cujus antitheton subjunctum statim videam, *induit albos cum vitta crinis*.

423. Rex tibi conjugium et quaesitas. In antiquis aliquot codicibus non habetur *&*; sed id librarii negligentia: *&* enim eo loco positum addit versui gravitatem.

426. Tyrrhenas, i, sterne acies. Veteres aliquot codices legunt: *Tyrrhenas & sterne*: ut: *Testilis & rapido*: sed i, geminatum verbum longe venustius & elegantius.

433. Et dicto parere fatetur. In codicibus aliquot antiquis: *parere jubetur*, legere est, quod non ita receptum mihi videtur.

436. Classes invectas Tybridis undam. Romanus codex, Porcius, & aliquot alii veteres, legunt: *Tybridis alveo*: sed *undam* plerique malunt.

444. Bella viri pacemque gerant. In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *gerent*, futuro tempore scriptum observavi: quod multo magis placet: quia ex affirmativo modo sententia videtur absolutior. Si *gerunt* malueris, sententia definitiva est, ex morum consuetudine.

446. Su-

446. SUBITUS TREMOR OCCUPAT ARTUS. In antiquis aliquot exemplaribus: *subito*, adverbium est; sed epitheton receptius.

447. DIRIGUERE OCULI. In Romano codice, & in quibusdam aliis scriptum est, *Deriguere* per *de*. significat vero, utcumque legeris, *indurvere*, quod est insaniae signum. Inde apud Plautum in Menaechmis, interrogat medicus eum, quem insanum esse credebat: *Soleutne tibi unquam oculi duri fieri?*

448. TUM FLAMMEA TORQUENS LUMINA. In Romano codice *fumea*; sed enim hic *flammea* lectio castior; nisi velimus ad pineam facem adludere, quam intorserit, quae alibi eodem modo circumscribitur a Virgilio: *Nec fumea tedis lumina:* nam & Ovidius, & eum secutus Claudianus, fingunt Furias etiam facem gestare: & inferius Virgilius ait: *Sic effata facem juveni conjecit, & atro Lumine fumantes fixit sub pectore tedas.* Sed utcumque haec accipiantur, placet hic de oculis dictum, ut in VI. *Lumina flammea*, non sine codicum varietate legi diximus.

451. RAPIDOQUE HAEC ADDIDIT ORE. In Romano, & paucis aliis, *rabido*, legitur per B.

453. FALSA FORMIDINE LUDIT. In Romano codice, *falso*, adverbialiter scriptum est; sed longe melius, *falsa formidine*, ut objecta per verba eadem eludat.

458. OLLI SOMNUM INGENS RUPIT PAVOR. In Romano codice, & in quibusdam aliis legere est, *Illi ingens somnum rumpit pavor*; sed vulgata lectio venustior habetur: & *olli*, agnitum a Grammaticis. OSSAQUE ET ARTUS PERFUDIT TOTO PRORUPTUS CORPORE SUDOR. Et hic *perfundit*, eodem praesenti tempore: alibi enim adnotavimus rem gestam per praesentis temporis formam enarrari, majoris esse vehementiae; nisi putare voluerimus N illud in antiquis fuisse accentus notam. Praeterea sunt vetusti codices, in quibus *praeruptus* legatur; sed *proruptus*, omnino melius.

464. FURIT INTUS AQUAI FUMIDUS ATQUE ALTE SPUMIS EXUBERAT AMNIS. Sane Servius, *aquai*, repositum a Tucca, & Varo asserit, quum Virgilius, *aquae amnis*, scriptum reliquisset, ut in vulgatis est Servii commentariis, quod an sit fide dignum, alii viderint: nam Probus Valerius, quum Virgilium quattuor locis tantum Diezeuxi usum ex AE diphthongo, in A & I asseveret, unum ex his recenset, *furit intus aquai*. In antiquis vero codicibus omnibus, quotquot versare contigit, *furit intus aquae vis* scriptum animadverti: neque tot codices temere convenire crediderim. Praeterea, si Virgilius usquam varietatis amator fuit, in hac praecipue comparatione eam affectasse videtur: aquam enim effervescentem dicere cum velit, modis circiter senis eandem sententiam variavit. Mira eloquentiae vis, & sermonis copia, ubertasque facundiae vere redundantis, dum enuntiatur: *Undantis aheni, Exultant aestu latices, furit intus aquae vis, Fumidus atque alte spumis exuberat amnis, Nec se jam capit unda, volat vapor ater ad auras.* Quo circa, quum veteres codices *aquae vis* legant: & unum plus membrum in hac varietate, neque id indecorum acquiratur, si aliter quam *aquai* legendum sit, (Valerio enim libenter suas partes integras relinquo) eo modo Virgilium crediderim scriptum reliquisse. Praeterea ita habetur in Servii commentariis manu scriptis, quae mihi Petrejus Zancus, juvenis utraque lingua optime peritus, legenda dedit, quamvis vulgata *aquae amnis* habeant.

473. HUNC DECUS EGREGIUM FORMAE MOVET ATQUE JUVENTAE. In codicibus aliquot antiquis, *juventa* legitur; sed omnino melius *decus formae*, & *decus juventae* legere.

474. HUNC CLARIS DEXTERA FACTIS. In Mediceo codice, *clari factis*, scriptum est: cum paraphrasi, virtutis; sed melius videtur, *claris factis*, ut sit hypallage, pro dextera clara factis.

481. QUAE PRIMA MALORUM CAUSSA FUIT. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis: *laborum*, legitur: eo enim vocabulo Virgilius adversa solet exprimere.

486. ET LATE CUSTODIA CREDITA CAMPI. In Romano codice, *lati*; sed familiari vitio: nam, *late*, adverbium omnino melius judicatur.

489. PECTEBATQUE FERUM. In codicibus aliquot antiquis: *potabat*, legitur: quod non ita venustum videtur: neque adeo cicurationi adcommodatum.

490. ILLE MANUM PATIENS. In codicibus aliquot, *manuum*, ubi manifesta Synizesis; subtractum tamen U alterum plerique malunt: & ita codices emendatiores habent. Quanquam nihil prohibet *manum*, quarto casu, inservire participio.

493. RAPIDAE VENANTIS IULI COMMOVERE CANES. In codicibus aliquot antiquis: *rapidi*, virili genere; sed in Romano, atque in Porcio, significatione, & genere mutato, *rabidae*, legitur: quod ideo placet, quia superius rabiem canibus objectam legimus.

495. RIPAQUE AESTUS VIRIDANTE LEVARET. Missum faciam, quod plerique codices antiqui, *lavaret*, legunt: quum magis omnino placeat, *levaret*. Id minime dissimulaverim, quod in codicibus aliquot manuscriptis invenitur: *Ripaque aestus undante levaret:* nihil enim hoc diplicet, quamvis *viridante* gratius, & lascivius.

498. NEC DEXTRAE ERRANTI DEUS ABFUIT. Hoc varie reperitur in codicibus antiquis scriptum: nam *affuit*, & *afuit*, & *adfuit*, & etiam *atfuit* legi-

legitur. Vera tamen lectio, & antiqua magis, *abfuit*, est.

505. OLLI (PESTIS ENIM.) Plerique codices antiqui, cum Mediceo, legunt: *illi*; sed puto hoc ex paraphrasi emanasse, quae, *olli*, vocabulum vetus interpretaretur.

506. ARMATUS OBUSTO. Exemplaria vetera Palatina legunt: *abusto*. Sunt tamen alia, in quibus, *adusto*, legere est; sed *obusto* nulli displicet, ut in Mediceo.

507. QUOD CUIQUE REPERTUM RIMANTI TELUM IRA FACIT. In omnibus Vaticanae bibliothecae codicibus *repertum est* habetur: & pro *ira facit*, in codicibus aliquot antiquis *ira fuit*, legitur, quod aliorum judicio relinquimus.

508. VOCAT AGMINA TYRRHUS. In codicibus aliquot antiquis legere est, *Tyrrheus*, eaque de caussa superius in Romano codice scriptum est: *Tyrrhaedae*; sed enim pene ultima EI esse deberet: est vero passim in obliquis *Tyrrhei*, ut *Orphei*, *Ilionei*, eodem codice.

511. AT SAEVA E SPECULIS. In plerisque codicibus manu scriptis, non habetur E; sed id male.

514. INTENDIT VOCEM. In Romano codice: *incendit*, quod non aeque placet: pleraque vero ita immutata sunt in omnibus pene auctoribus: quia, ut alias admonuimus, plerisque in libris manu scriptis C & T eadem pene forma notata reperiuntur.

515. SILVAE INTONUERE. In Romano codice, & quibusdam aliis antiquis: *Silvae insonuere*, legitur; sed *intonuere* melius.

516. AUDIIT ET TRIVIAE LONGE LACUS, AUDIIT AMNIS. In antiquis codicibus plerisque: *audit*, unico I, utroque loco scriptum est; quod tamen pro duobus pronuntiari debeat, ut antiquo marmore, *filis*, pro *filiis* scriptum observavimus: & alia quaedam hujusmodi. Neque praeterierim in Romano codice, & quibusdam aliis, *audit & amnis*, legi; sed omnino magis placet, *audiit*, dactylus, una dictione.

517. SULPHUREA NAR ALBUS AQUA. In Romano codice, *sulpurea*, per P scribitur: ut alibi etiam *sulpura*: ex quo patet *sulphur* aliquando per PH scribi solitum; quum tamen dictio Latina sit: id enim Graece θεῖον, & θεῖφιον dicitur.

520. RAPTIS CONCURRUNT UNDIQUE TELIS. In veteribus aliquot codicibus, *occurrunt*, non ita proprie legitur; sed dicamne illud, *curro*, verbum eandem olim habuisse pronuntiationem, quae nunc in ore vulgi est? *concorrunt* enim in antiquissimis codicibus notatum animadverti: ne credamus sola illa *torvom*, *divom*, *saevom*, & alia hujusmodi U in O mutasse.

524. STIPITIBUS DURIS AGITUR, SUDIBUSVE PRAEUSTIS. Nonnulli, *styipitibus*, per Y prima syllaba scribunt: ut ἀπὸ τοῦ στύω veniat: idem enim significat. Quidam malunt per I Latinum, uti etiam stipare per I, quamvis στύπειν, unde verbum deductum volunt, per Y scribatur, quae apud nos in U transit: *Stupam* enim dicimus. Est & illud animadversione dignum, quamvis & hoc καλῶ πάρεργον, apud T. Livium libro primo primae decadis desiderari lectionem castam: *Sudem praeustam:* nam ita in codice vetusto legimus: *Ut Fecialis hastam ferratam, aut sudem praeustam, ad fines eorum ferret.* Vulgata enim exemplaria legunt, *hastam ferratam*, *aut sangineam*.

527. ET LUCEM SUB NUBILA JACTANT. In codicibus aliquot antiquis, *lumen*, legitur; sed *lutem*, melius. In aliquot aliis, *lucem sub lumina*, habetur, cum paraphrasi Solis; sed, *nubila*, ob antitheton magis receptum est.

528. COEPIT CUM ALBESCERE VENTO. In Romano codice, *ponto*, legitur, hoc est, prima parte ponti; sed magis placet omnino, *vento*, quo spirante crispantur in spumas undae, & ita albescunt.

532. NATORUM TYRRHI FUERAT QUI MAXIMUS, ALMON. Veteres quidam codices versum ita scribunt: *Gnatorum Tyrrhei fuerat qui maximus Almo:* dicitur vero *Almo* per O finale, ut *Plato*, *Solo:* nullum enim nomen Latinum ON litteris finiri, ait Sosipater. Plinius quaedam designat usu recepta, ut *Pluton*, *Xenophon*. Juniores Grammatici plura recepere.

533. HAESIT ENIM SUB GUTTURE VULNUS. In antiquis aliquot codicibus, *exit*, legitur: ubi, *vulnus*, pro telo ponetur, veluti superius: *Illum infesto vulnere Pyrrhus Insequitur*. Est huic simile, *transabiit costas*, de quo suo loco dictum. *Haesit* tamen, Medicei codicis lectio, haudquaquam contemnenda.

535. SENIORQUE GALESUS. In Romano codice, & hic, & inferius, *Gelaesus*, scribitur per E prima syllaba, & AE diphthongo pene ultima. In reliquis *Galesus*.

537. DITISSIMUS ARVIS. In Mediceo, *agris*; sed *arvis*, hic receptum.

543. COELI CONVEXA PER AURAS. Sunt qui *convecta* legant; sed in exemplaribus non inveniri Servius attestatur.

545. EN PERFECTA TIBI BELLO DISCORDIA TRISTI. In codicibus aliquot antiquis legitur: *Belli discordia tristis;* sed magis placet, *bello tristi:* quo medio discordia perfecta esset.

546. DIC IN AMICICIAM COEANT. In codicibus aliquot antiquis legere est: *Sic in amiciciam coëant:* ironice. Servius tamen, & alii agnoscunt, *dic:* idque late exponunt.

547. QUANDOQUIDEM AUSONIO RESPERSI SAN-

SANGUINE TEUCROS. In Romano codice legitur: *Quando equidem*; ſed, *quandoquidem*, in aliis omnibus habetur.

552. ET FRAUDIS ABUNDE EST. In Romano codice per apoſtrophen, *abundeſt* legitur, ut: *in teſt*, & hujuſmodi pleraque in antiquis marmoribus ſcribi ſolita adnotavimus.

555. TALIA CONUBIA. In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *conjugia*, legi: & alibi obſervatum, pro *conubio*, *conjugio*, haberi in manu ſcriptis exemplaribus pleriſque.

558. HAUD PATER IPSE VELIT. In antiquis omnibus codicibus, *pater ille*, uti etiam mutatum ſuperius pronomen hoc adnotavimus, eo loco: *Sic Juppiter ille monebat.*

559. FORTUNA LABORUM EST. In pleriſque codicibus antiquis, *eſt*, non habetur.

563. ITALIAE IN MEDIO. Antiqua omnia exemplaria legunt: *Italiae medio*, abſque *in*. Succurrit vero ad hoc ex Solino, quod Varro tradidiſſe fertur: *Italiae umbilicum in agro Reatino eſſe.*

565. AMSANCTI VALLES. In Romano codice, *amfracti*, legitur, inemendate: nam Servius, & alii veteres Grammatici, *amſancti*, agnoſcunt: cui quidem lectioni Claudianus etiam adſtipulatur.

566. MEDIOQUE FRAGOSUS DAT SONITUM SAXIS, ET TORTO VORTICE TORRENS. In codicibus aliquot antiquis: *fragoſis*, ut cum *ſaxis* jungatur; ſed longe magis placet: *Torrens fragoſus ſaxis, & torto vortice.* In antiquis vero aliquot, *vertice*: quod, uti dictum ſuperius, tantundem eſſe vult Arulianus.

568. SPECUS HORRENDUM ET SAEVI. In antiquis pleriſque non habetur, *&*: dictum vero per appoſitionem, *ſaevi ſpiracula Ditis*, oſtendit verbum unitatis numero poſitum, *monſtratur*, in iiſdem codicibus; ſed enim exemplaria pleraque, *monſtrantur*, legunt numero multitudinis.

570. QUEIS CONDITA ERINNYS. In Mediceo codice, *condit*, verbi voce ſcriptum eſt: quam lectionem non ignoravit Servius.

571. TERRAS COELUMQUE LEVABAT. In aliquot antiquis codicibus, *terram*, legere eſt, unitatis numero: & *levavit*, praeterito tempore; quum tamen imperfectum Servius agnoſcat.

577. MEDIOQUE IN CRIMINE CAEDIS ET IGNIS. In Romano codice, *igni*, legitur: quippe medio; ſed *caedis & ignis*, melius.

583. CONTRA OMINA BELLUM. In antiquis aliquot codicibus omnino legere eſt, *contra omnia:* quam lectionem agnoſcit Servius, quamvis ibi mutilus videatur, Interpreteſque *auguria* ſubaudiendum ajunt; ſed utcumque illi, *omina* magis placet: & antiquorum exemplarium bona pars ita legendum perſuadent.

585. CERTATIM REGIS CIRCUMSTANT TECTA LATINI. In Mediceo, *tecta tyranni*, ſcriptum cum paraphraſi, *Latini*. Dubitarunt forte aliqui nugationem eſſe, *Regis Tyranni:* atque ideo paraphraſin admiſere. Verum hoc ego in medio relinquo.

586. ILLE VELUT PELAGI RUPES IMMOTA. In antiquis nonnullis codicibus legere eſt: *pelagi moles*, propterea quod ſtatim ſubſequitur, *ut pelagi rupes.* Verum hujuſmodi repetitio magno cum decoro, & venuſtate ſumma facta mihi videtur: & probatiora omnia exemplaria, *rupes*, habent: nam de *mole* ſtatim ſubjicit: *Quae ſeſe multis circum latrantibus undis, Mole tenet ſcopuli nequidquam, & ſpumea circa Saxa fremunt.* Ubi Servius *tenet* diſtinguendum dicit, ut *ſcopuli*, nominativus ſit caſus. In antiquis tamen codicibus diſtinctio eſt poſt dictionem, *ſcopuli*, ut legatur, *mole ſcopuli.* Sequitur vero abſque *&* in iiſdem codicibus vetuſtis: *nequicquam ſpumea circum Saxa fremunt*; ſed copulativa ea inſerta multum habet venuſtatis, & gratiae.

590. LATERIQUE ILLISA REFUNDITUR ALGA. Variat haec lectio in codicibus antiquis; aliis, *aſperſa*, aliis *infuſa*, aliis aliter legentibus; ſed enim, *illiſa*, vulgata lectio magis placet.

591. COECUM EXSUPERARE POTESTAS CONSILIUM. In aliquot antiquis codicibus, *expugnare*; ſed *exſuperare*, in pluribus habetur.

592. NUTU JUNONIS EUNT RES. In Romano codice una dictione legitur, *euntes*, quippe populos. Sed enim *eunt res*, longe venuſtius: & figura apud auctores frequentiori dictum videtur.

593. TESTATUS INANES. In antiquis aliquot codicibus, *teſtatur inanis*, legitur; ſed alterum illud magis placet, ut cum verbo, *frangimur*, connectatur.

594. FERIMURQUE PROCELLA. In antiquis aliquot codicibus, *procellis*, eſt numero multitudinis; ſed, *procella*, ſuavius.

598. OMNISQUE IN LIMINE PORTUS. Nonnulli veteres codices abſque particula *que: Omnis in limine*, legunt; ſed, *omniſque*, multo melius.

600. SEPSIT SE TECTIS. In Romano codice, *ſaepſit*, cum diphthongo, veluti etiam, *ſaepta*, ſuperius adnotavimus. Ejuſdem enim analogiae, *ſaepe*, *ſaepes*, & *ſaepio*.

601. MOS ERAT HESPERIO IN LATIO. In codicibus aliquot antiquis legere eſt: *Mos erat in Latio Heſperio:* quod non aeque placet.

605. HIRCANISVE ARABISVE PARANT. In Mediceo codice, & pleriſque aliis per copulativam, *que*, ſcriptum eſt: *Hircaniſque Arabiſque.* Advertendum vero, quod a genitivo Graeco Ἄραψ, Ἄραβος, Latini nominativum, *Arabus*, faciunt, ut *Elephantus* ab Ἐλέφαντος; ita *Delphinus*,

Abacus, *Titanus*: quanquam & Graeco etiam declinatu interim delectemur. Agnoscit Sosipater *Arabs*, *Arabis*; & *Arabus*, *Arabi*, utrumque positum a Virgilio: Cinnamque ait in Propemptico Pollionis, *Belidis* dixisse, ut Virgilium, *Arabis*: atque haec ex Plinio subjungit: ES nume. plu. finita nominativo, dativo, *bus* recipiunt: idque Commentatores jubent. Quid ergo si sic declinavit, ut Plautus in Bacchidibus: *Arabus*. Et in Penulo: *Murrinus odor Arabus*. Lucillius XXV. *Arabus Artemo*. Denique & C. Cassius in epistola, quam de Dolabella scripsit: *Arabi mirifico animo erga nos fuerunt*, inquit. *Arabs*, Maro: *Omnis Arabs, omnes verterunt terga Sabaei*. Florus ad Hadrianum: *Quasi de Arabe, aut Sarmata manubias*. Haec a magnis viris accepta ideo libenter retuli, ut eorum calumniis obviam irem, qui saepe incusant me, nimis ad humilia nonnunquam declinare, videantque summos viros haec eadem non incuriose pertractasse, quae delicata nostra aetas quodammodo fastidit.

612. CINCTUQUE GABINO. In plerisque codicibus antiquis, inemendate legitur: *Sabino*, quum *Gabino*, sit omnino legendum: de quo *cinctu*, ut obiter locum apud Livium corrigamus, ita habetur in veteri codice Parrhasiano. *Sacrificium erat statutum in Quirinali colle genti Fabiae: ad id faciendum C. Fabius Dorso, Gabino cinctu sacra manibus gerens, cum de Capitolio descendisset*. Vulgata exemplaria habent, *Gentis Fabiae*, genitivo casu, & pro, *C. Fabius Dorso*, corrupta verba, *Claudius Fab. Dorsum*.

626. LUCIDA TERGUNT. Quamvis codices nonnulli, *tergunt*, legant; plures tamen & probatiores, *tergent*, legunt: & *Tergo*, *tergis*, ex usu penitus recessisse Servius adfirmat.

627. ARVINA PINGUI. In antiquo codice solita mutatione ex V digammo, in B mutam, *arbina*, scriptum est: perinde ac, *Jubentutis*, pro *Juventutis*. In antiquis aliquot marmoribus notatum inspicitur:

EX LONGO TEMPORE JUBENTUTIS.

Et ita JUBENTIUS CELSUS, pro, JUVENTIUS. Jam vero BIXIT, pro VIXIT sexcenties notatum observavi. Sed illud non praeterierim ob vitae longioris memoriam, quod in aede D. Caeciliae trans Tyberim legitur:

T. FIELLENIUS. JANUARIUS
SE. VIBO. FECIT. SIBI. QUI
VIXIT. ANNIS. LXXXXVIII.

635. VOMERIS HUC ET FALCIS HONOS, HUC OMNIS ARATRI. Valerius Probus in Artium institutis, *Honos*, habere ultimam natura longam tradit hoc loco citato.

636. REQUOQUNT. In codicibus, aliis, *recoquunt*, secunda syllaba per c. In Romano, *Recocunt*, utraque per c: nam superius diximus, referente Velio Longo, Q litteram olim a multis exclusam fuisse: neque a Nigidio Figulo unquam in Commentariis suis positam, teste Victorino. Praeterea diximus placuisse aliis, quoties post c sequeretur U, semper Q adnotare, ut MEQUM, TEQUM SEQUM, scribendum procurarent. Quocirca, *requoquunt*, hi scriberent.

642. QUAE QUEMQUE SECUTAE COMPLERINT CAMPOS ACIES. In antiquis plerisque codicibus: *quemque* per M, & *complerunt*; sed quia *floruerit* sequitur, placet *complerint*. Taceo *compulerint*: quod alibi legitur inemendate.

643. QUIBUS ITALA TANTUM FLORUERIT TERRA ALMA VIRIS. In antiquis omnibus exemplaribus, legere est: *Quibus Itala jam tum Floruerit*: quod mirifice placet, ut non modo nunc dicat Italiam viris florere; verum ab eo jam tempore florescere coepisse.

648. CONTEMPTOR DIVOM MEZENTIUS. In antiquis cod. *divom*. Cur vero *Divum contemptor* habitus sit, caussam ponit Macrobius. Eum quippe Rutilis imperasse, ut sibi offerrent, quas diis primitias offerebant. Quoniam vero passim in Romano codice *Mezzentius*, geminato ZZ notatum invenitur, & Grammaticorum plerique scriptionis ejusmodi rationem graviter improbarunt, libuit investigare, numquid temere id a librariis, an ex usu temporum factum esset. Quumque usum fuisse comperissem, pro antiquissimi illius codicis auctoritate tuenda, visum est, quod bona lectorum venia factum velim, aliquanto latius evagari: nam veteres etiam Grammatici super hujus scriptionis ratione diu multumque decertarunt. Confidenter vero Terentius Scaurus eos dubio procul falli dicit, qui *Mezzentium*, per duo ZZ scribunt: ignorantes duplicem litteram non debere geminari. Verum idem non inficiatur, colligere quosdam duplicem non esse eam. Negat & Valerius Probus, Z dupliciter scribi posse, eadem objecta ratione, quoniam duplex sit: quam tamen, siquis aure sinceriore voluerit explorare, non esse forte duplicem inveniet: ea ratione, quod duplices pronuntiatione ipsa quas contineant intra se litteras ostendunt, ut Ξ & Ψ: de quibus nemo dubitarit: nam quum *dixit* proferimus, c quae fuit in *dico*, *cis*, & s, quae formam praeterito dat, articulatim discernuntur, non aliter quam si quis, *dicsit*, prout in Longobardicis aliquot exemplaribus notatum est, pronuntiaverit. Ita in *finxit*, G & S audiuntur. Habet vero G magnam cum c cognationem, ut apparet

paret in *negotio*, quod a *nec otio* factum est: ob quam scribendi rationem Val. Probus ait, quosdam existimasse x litteram supervacuam. Id vero quod de duplicium sono quaerimus, liquidius apparet in ψ, ut, quum Δίψας Graece protulerimus, scriptum apud Latinos in eas litteras resolvetur, quae auditu excipiebantur, P scilicet & S. *Est quaedam nomine Dipsas anus.* Hinc nonnulli *opstitit*, per P, non *obstitit*, per B, scribendum praecipiunt, quod ejus pronuntiationis sonus sit ψ. Sed enim eadem affinitate copulatae sunt B & P, qua C itidem & G. Itaque ξ nunc CS, uno eodemque sono videtur auribus inferre; ψ vero nunc PS, nunc BS repraesentare. Missas facio litteras alias, in quas duplices ipsae multipliciter resolvuntur, quum de iis tantum, quae auditu discernuntur, nunc sermo sit. Sed enim quum ἀϊάζω dicimus, aut φράζω, vel alia ejusmodi, nullas in Z pronuntiato distinctas litteras, auribus quantum libet arrectis excipimus; sed unum eundemque sonum simplicem, & ejus litterae proprium: neque vero quis huc σδ, Δωρικῶς & φράσδω, vel μάσδης, vel κωμάσδω objiciat, quaeque multa Grammatici de quartae conjugationis futuro, deque praeterito medio & aoristo secundo, dicere consuerunt: nihil enim horum in φράζω, μάζω, & κωμάζω, aurium sensu percipimus. Sed esto, cognoscatur ex resolutione vis duplicium Z quidem, siquando in alias abeat litteras, aut in C aut in S, aut in G resolvi videmus: nam quod eam in geminum SS resolvi dicunt, nondum liquet: in C quidem eam abire ex eo manifestum est, quod *Zethum*, & *Cethum*, pro Amphionis fratre promiscue Graeci scribere consuerunt, ut Martianus Capella se observasse tradit. Quin etiam nomen idem per S notatum, *Sethum*, nonnulli prodidere. Sane *Smyrna*, unico S, quae prius, ut idem Martianus auctor est, *Zmyrna*, Z ante M praeposita, dicebatur: cujusmodi inscriptionis exempla & nos in antiquorum monumentis observavimus. Romae enim in Divae Anastasiae antiquo marmore legitur:

CASSIA L. L. ZMYRNA NUTRIX V. A. XXIX.

Et in Campo Florae:

POMPONIA ZMYRNA TESTAMENTO.

Eadem porro ratione *Smaragdum*, & *Zmaragdum*, scriptum animadvertimus. Ut in Vejentibus in Arce Castri novi Urna vetus admodum indicat, ita inscripta:

DIS MANIBUS
OSSUIS
ZMARAGDI

Et in hortis Joannis Coritii, quos in Fo. Trajani Academiae Ro. Genio consecravit, antiquissimo lapide legere est:

M. AEMILIO M. F. APPRONIANO FILIO
DULCISSIMO
M. AEMILIUS ZMARAGDUS ET SPERATA
PARENTES.

Quid vero *Lesbia*? nonne & *Lezbia*, per Z scribi solita est? Sane apud Marium Maffeum Volaterranum, Aquinatum Antistitem, monumentum est sane quam antiquum, in quo scriptum:

LEZBIAE OSSA HIC SITA SUNT.

Ac ne nomen id aliud esse dubites, eodem marmore & LESBIA legitur:

SEI NOMEN QUAERIS, SUM LESBIA.

Idem in *Mezzentio* crediderim evenisse: quod nomen gemino SS aliquando scribi solitum Velius Longus ait: quo loco, sunt qui pro SS geminato, S & C substituere malunt: quod mihi tantundem est, quum supra ostenderimus ζ & σ pro eadem littera aliquando Graecis agnitas. Has vero qui mutarunt, in ZZ geminatum transtulere: vel cum antiquitus *Mezzentius*, duplicato ZZ scriberetur, in geminum inde SS utrumque Z commutatum est. Quod vero minus Z sit duplex, id satis superque potuerit indicare, quod ante M eadem syllaba praejici solita sit ab antiquis: quae si duplex fuisset, dubio procul resilire coacta foret. Multa praeterea repeiiuntur exempla, tam apud Graecos, quam apud Latinos, in quibus Z vocalem praecedentem minime producat: quod quidem facere non posset, si duplex esset. Id forte Latini neglexerunt, qui etiam in nonnullis ipsa re geminatis, praecedentem vocalem corripuere, ut, *ponite spes*. Sed enim Graeci regulam eam religiosissime suscepere. Quare Homerum ajunt nunquam scripturum ὑλήεσσα Ζάκυνθος, si ζ duplicem agnovisset. Quod quia veritus Theocritus sit, cum ajunt subsequentem etiam vocalem ob Z litterae duplicitatem produxisse in hoc eodem nomine, καλὰ πόλις ἁ Ζάκυνθος. Versum enim hunc spondaicum esse volunt. Sed enim utrum duplex littera vim habeat producendi vocalem subsequentem, an α littera dichrona suapte vi in Zacyntho produci potuerit, viderint eruditi: mihi sane minime displicet eorum sententia, qui Διάκυνθος per resolutionem scriptum a Theocrito contendunt. Atque ita facile persuasum habuerim eam minime duplicem esse litteram, quae id nequaquam praestet, quod est duplicium maxime proprium. Quantum vero pertinet ad ejus naturam, Z aliter

sonat simplex, aliter geminata: quae si duplex esset, neque quidem in dictionibus inarticulatis pronuntiari posset geminata: ne dum in nominibus aliquid significantibus ex nullorum idiomatum usu frequenter adeo geminaretur: geminatas enim, quas isti semper duplices ajunt, vel ξξ vel ψψ, nemo unus unquam expresserit. At *Mezzeatius*, geminato zz etiam Balbus non difficulter enuntiarit. Sed quaenam, bone Deus, religio sit, z vel non esse duplicem, vel non semper duplicem asseverare, quum peritissimorum hominum consensu, ne x quidem semper duplex habeatur? quorum opinionem plerique secuti longa annorum serie s litteram semivocalem illi suppetias ferre jusserunt: unde toties in veterum monumentis VIXSIT, ALEXSANDER, AUXSILIUM, CAPPADOXS, & in Galbae nummis, PAXS, inveniuntur. Sed quia hujusmodi pleraque nonnulli audent imperitiae saeculorum adscribere, audiamus obsecro Probum in Arte super x ita differentem. *Nam & hoc monemus, quod pauci sciunt: siquidem non semper x littera duplex sit accipienda, quando subjecta syllabam conformat, ut puta nox, & nocs, lex & lecs, felix & felics, & caetera talia: siquidem tunc & sonum duarum litterarum contineat. At vero quando praeposita syllabae existat, non duplex, sed simplex est accipienda, ut puta Maximus, Auxius; nunquid nam macsimus, aut aucsius, & caetera talia? & ideo, ut diximus, quoties x littera syllabae praeposita existat, simplex est supputanda, scilicet cs, & gs, litterae geminatae, si vocalibus praeponantur, nunquam sonum syllabae suscitabunt.* Haec Probus. At quanto honestius haec de z dici possunt, quae in Latinis & Graecis nominibus syllabae praeposita fere semper existat; in alterius vero linguae nominibus nunc subjecta syllabam conformet, nunc expresso & intelligibili sono non aliter geminari sentiatur, quam ss in *esse*; *ll* in *tollo*; *rr* in *horreo*, & similia? namque soni diversitatem in z simplici, & in geminato, nomen hoc ostenderit μάζα, pro pane dulciario, in quo unum quidem z tantum, & id leniter enuntiatum auditur; si vero *mazza*, quo vocabulo vulgo *clavam* appellant, & utrumque z distinctum, & vox plenior & crassior percipitur, non aliter quam si *teras*, a *tero teris*, & *Terrasque, tractusque maris* enuntiaveris. Liceat vero mihi exempla quaedam, ex ea, quae nunc in Italia viget, lingua desumere. Quod & Adamantio, & Capro, & aliis, ubi de hujusmodi aliqua re disputandum sit, bona est venia concessum. Neque clarissimi aetate superiori viri, Jovianus Pontanus, & Hermolaus Barbarus, talia sunt aspernati. Quinimmo illud forte non temere asseverarim, z aliam apud Graecos litteram, aliam apud Latinos esse, si quo apud Graecos, & quo apud Latinos sono pronuntietur, diligentius animadverterimus: nam quum Graeci νίζω, hoc est lavo dicunt, aut φύζα fuga, aut ὑλήεσσα Ζάκυνθος, aut Ζάμα oppidum, non aliter fere apud Latinos sonat ejus litterae vox in ore Graecanico, quam si *niso*, simplicis s, aut *physis*, *Sacynthus*, *Sama*, ore Latino pronuntientur. Contra vero, si Graecus Latinum hominem audierit pronuntiantem vel *Asiam*, vel *Aspasiam*: si quem audierit sonum, suae linguae litteris scribere voluerit, Ἀζίαν dubioprocul, & Ἀσπαζίαν scribet. Siquidem s apud ipsos pleniori sono vibratiusque pronuntiatur quam apud Latinos, apud quos ea littera nescio quo pacto languidior videtur esse. Et, ut Caper ait, in Etruria raro exprimitur ob exilitatem. Longe vero validius sonat s quum Graeci φύσιν dicunt, quam quum Latini *confusim*. Ea autem de pronuntiatione loquor, quae viget aetatis nostrae usu: nam quae fuerit in antiquis, tam Graecis, quam Romanis, pronuntiatio ignoratur prorsus: usque adeo tam apud illos, quam apud nos, omnia pessum ivere, vel a pristina illa Venere praevalente barbarie degenerarunt. Audivi tamen Patavii M. Musurum, quum Graecas litteras summa omnium admiratione profiteretur, & jucundissima ejus consuetudine, quamdiu Romae vixit, in eodem contubernio, apud Clarissimum Principem Julium Cardinalem Med. fruebar, Janum Lascarin, tanti nominis virum, & Venetiis, quum Regis Galliarum Orator esset, & Romae colui: cum Basilio Chalcondylo, Demetrii F. dum in gymnasio Romano Graece profiteretur, familiarissime vixi: omnes eo, quem dixi sono, litteras has pronuntiare memini. Nostri vero, quum Latine loquuntur, z eo sono pronuntiant, quo Bononienses, & Aemilia ferme tota G consonantem quintam: nam quod Latini *legere* dicunt, Bononienses *lezere* proferunt: & *Zeorzium*, pro, *Georgium*, & hujusmodi reliqua. Denique idem in z apud Latinos sonus, qui apud Hebraeos in Zain: ea enim simpliciter scribitur, nisi quum daghes punctum, qui duplicem facit literam, admittit; quum ipsi interim alias quasdam literras ostentent, quibus sonus ille nunc plenior, nunc incitatior evibretur, suis modo punctis, modo notis quibusdam & apicibus, distinctas; quas tamen omnes in unum z, tam apud Latinos quam apud Graecos, abire necesse sit. Quod, nisi Latinis concedatur, ut in aliquibus litteris Hebraeos imitari valeant, id impium saltem fuerit, nolle in Etruscis nominibus Etrusci nos usum idiomatis imitari. Nomen Etruscum est, *Mezzentius*. Consonantes ea natio tum reliquas, tum praecipue z geminare gaudet. Quod si, ut Velius Longus ait, *Messentius* scribi solitum sit, s geminato; s vero, uti ex marmoribus antiquis comprobatum est, in z abire consueverit; non est mihi mirum, utrumque ss in zz totidem transmutata. *Nissa* urbs, ut auctor est Theodorus, in Or-

Orthographiae praeceptis, ss duplicato scribitur: eadem apud Etruscos & universos Italos, zz geminato, *Nizza*, passim & scribitur & enuntiatur, & pleraque alia, quae in Latinis dictionibus unica & simplici consonante proferuntur, per geminatum zz scriptitamus; & hujusmodi pronuntiatio aequis omnium auribus totius jam Italiae lingua comprobata est. Neque vero audit quisquam eam barbaram appellare linguam, quam nunc Itali viri omnes, ut quisque maxime excellit litteratura, ita majori studio ostentare ac posteritati commendare affectant. Neque minorem ex Poëmatibus ea lingua conscriptis gloriam sibi proponunt, quam ex Latinis Graecisve litteris, quas studiosissime fuerint assecuti. Quique omnino politiores haberi volunt, tam facere ad litterarum & bonarum artium ornamentum idiomatis Italici cognitionem putant, quam Graecas litteras ad Latinarum necessitatem. Sed quid a vulgo exempla mutuemur, quum ipsamet natura ostendat z in medio nomine proferri non posse, nisi geminatum? Nam si *Mezentius* enuntiaveris, adeo sonus ille primae secundaeque vocali inhaerebit, ut cui prorsus adcommodata sit ea consonans ignores: quod Valerius Probus non inficiatur, tametsi in ea est sententia, ut z geminatum scribi non debeat. Aut igitur *Mezen*, unicam esse syllabam dicendum erit, quod absurdum est: aut, si distinguere velis, suum unicuique vocali z fuerit applicandum. Sed esto, noluisse Graecos z unquam duplicari, dum aequo forsan delicatius omnes pronuntiandi veneres affectant: quos ideo nostri elusere, quod sermo ille nimium mollis haberetur, & illecebris, adblanditionibusque amantium praecipue conveniret: vel hujusmodi sit eorum lingua, ut in z geminati pronuntiationem flecti nequeat. Quid tum, non ideo poterunt Latini quicquam pronuntiare, quod Graeci proferri nequiverint? Atqui tertias utriusque numeri voces in verbis nos per T proferimus, quod illis adeo est a natura negatum: Q litteram tam frequentem apud nos, tamque concinnam, neque forma, neque enuntiatione quisquam apud eos invenerit: quare pro *Quintus*, Κοιντος illi scribere coguntur, quod ad Graecorum morem scriptum in aliquot adhuc inscriptionibus antiquis inspicitur, ut in aede D. Steph. Rotundi: COINTO AUG. LIB. AFRUM MINISTRAT. Proinde nos H inter litteras, non illiteratorum hominum consensu recepimus, illique figuram litteris parem, ordinem inter alias octavo loco adsignavimus, sonumque proprium & potestatem obtulimus, quam in *mihi*, in *nihil*, nonnullisque aliis hujusmodi, palam exercere posset: quum ea inter accentuum apices apud eos pro nota cujusdam spiritus recenseatur. Praeterea nos non omnes Graecorum litteras admisimus: non enim ητα, neque θητα, neque χι, neque φι, Latinorum quisquam adnotavit. Sed has, quas illi densas appellant, maluimus nos per duas potius litteras explicare: si modo H in litterarum collegium adscitam non exigamus. Ητα vero adjectione tantum temporis sub E vocalis figura expressimus. Quid vero illud, quod I & U litteras vocales, consonantes nonnunquam appellamus, & tot in dictionibus duplices etiam esse profitemur? An non licebit hoc facere Latinis, quia non ita Graeci faciunt? Denique quum tam multa sint, quae Latini diversa a Graecorum modis esse voluerunt, infirmum mihi videtur argumentum, ea de caussa z passim duplicem asseverare, quia nunquam apud Graecos geminetur. At dicet aliquis, Latinam olim linguam neque K, neque Y, neque Z recepisse: neque harum unquam mentionem apud Romanos extitisse, nisi postquam peregrina nomina sonum hunc intulere: quumque omnia, quae litteram Z admittunt, nomina peregrina sint, tametsi civitate donentur, habitum ea, non naturam commutare. Sed de K deque Y alibi latius disseruimus. Ut vero, quod nunc instat, agamus: Velius Longus auctor est Z in Saliari carmine reperiri, ac perinde sermoni nostro non alienam. Quare quum ea littera uno modo habeat apud Graecos, alio apud Etruscos, & per Italiam universam; apud Hebraeos vero multipliciter & notetur, & enuntietur, ut Graeca quaedam nomina, quae in Italiam commigrarunt, ad Graecorum normam scribenda censuerim, ita Etrusca & Hebraea suis legibus vivere permiserim: neque absurdum unquam judicaverim, *Mezzentium* Etruscum nomen, ad Etruscae, sive dicere malis Italicae linguae, consuetudinem notari zz geminato: qui tam multa hujus linguae vocabula eo modo citra ullam offensionem audiamus, & non gravate proferamus. Quod vero *divom* per V & O in antiquis codicibus habetur: non ignoro esse litteratissimos viros, qui scriptionis hujusmodi rationem haudquaquam admittere voluerint, quod *divum* ajunt per syncopam, ex dictione *divorum*, O & R mediis litteris expunctis, factum. Sed hoc nihil prohibet, quin veteres illi suo jure facerent, qui terminationem eam, quae per UU geminatum esset, in omnibus formis abhorrebant: quare tam accusativo, quam genitivo casu *divom* scriptitabant: ita *aevom*, *salvom*, *rivom*: & distinctis etiam syllabis, SUOM MAREITUM, & sexcenta hujusmodi: quorum exempla ex inscriptionibus antiquis passim toto opere disposuimus. Et nos ita saepe scribendum curavimus, quia saepissime ita scriptum in antiquis Virgilii codd. offenderamus: & Fab. Quintilianum affirmare videbamus, ad tempora usque praeceptorum suorum *cervom*, & *servom*, & similia V & O litteris scripta, ea adjecta ratione, quod subjecta sibi vocalis in unum sonum coalescere, & confundi nequiret. Sed quoniam

niam satis superque sumus evagati, quod eruditorum quorundam amicorum gratiae dedimus, tempus est, ut ad instituti operis negotium revertamur.

649. Filius huic juxta Lausus. Codices aliquot antiqui legunt, *Filius huic fuerat Lausus.* Aliquot alii: *Filius hunc Lausus juxta.* Alii: *huc juxta:* quae quamvis ita multipliciter legantur, non tamen a vulgata lectione, quae est, *Filius huic juxta Lausus*, discedendum est.

656. Satus Hercule pulchro pulcher Aventinus. Sunt codices, in quibus *Hercule forti* legatur. Observatum vero est alibi, *Herculi* nomen a fortitudine inditum: nam *Alcides*, ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, hoc est, *a robore* atque viribus appellatus est. Puto vero ego *forti*, loco hoc Servianam esse paraphrasim, qui *pulchrum*, pro forti poni dicit. Multum praeterea venustatis & decoris est in ea agnominatione, *Satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus:* ut id denique fit, quod Horatius ait: *Fortes creantur fortibus.* Est & *ostendit equos*, in aliquot antiquis; sed longe melius, *ostentat.*

659. Collis Aventini silva. In codicibus aliquot antiquis, *in silva*, legitur. Magis vero Virgilianum videtur absque praepositione dictum.

660. Furtivum partu sub luminis edidit auras. Antiqui plerique codices legunt, *furtivo partu:* & *oras*, non *auras:* quanquam exemplaria itidem vetera non desunt, in quibus *ad sublimis edidit auras*, legere est; sed enim *sub luminis edidit oras*, magis omnino placet, ut Lucretianum illud sapiat: *Dias in luminis oras:* nam qui *auras* scripsere, forte secuti sunt eorum superstitionem, qui *olam*, *aulam*; *plostra*, *plaustra*, & alia eodem modo scribere malebant. Atque ut de mutatione hujusmodi aliquid ulterius referamus: Scimus *Oratam* ex Verrio Flacco, teste Festo, piscis genus a colore auri appellari, quod veteres o pro au ponebant. Hinc Sergium, quod annulis aureis & gradibus uteretur, *Oratam* appellatum.

663. Boves in flumine lavit Iberas. In codicibus aliquot antiquis, *Iberos*, virili genere legitur; sed in usu frequentiori est per foemininum dicere, ut *Reddidit una boum vocem:* &: *Abstractasque boves*, cum & tauros etiam abstraxisset.

666. Ipse pedes tegmen. Antiqua omnia exemplaria, *tegimen*, legunt, ut etiam in III. *Consertum tegimen spinis.* Inferius tamen est: *tegmen habent capiti:* καῖα συγκοπήν.

667. Terribili impexum seta. In codicibus aliquot, *implexum*, legitur; sed *impexum*, magis receptum.

671. Fratris Tyburti dictam cognomine gentem. In Romano codice, *Tyburni* legitur, quod non ignoravit Servius. Adverte vero *Tyburtia* per I prima syllaba, non per Y scribi apud Graecos, & ita in plerisque veterum monumentis observavi. Est & ubi legas, *Tiburtia limina*; sed *moenia*, omnino agnoscitur ab eruditis: ut ad conditores fratres fratris adludatur, quorum unus tantum urbi nomen dedit.

684. Quos dives Anagnia pascit. In nonnullis codicibus, *pascis*, habetur, per apostrophen: ut conveniat cum sequenti membro: *Quos Amasene pater.*

686. Nec clypei currusve sonant. In antiquis aliquot codicibus, per *que*, copulativam, non per *ve*, disjunctivam particulam, legitur: *Nec clypei currusque.* Sed *currusve*, receptum magis.

689. Tegmen habet capiti. In plerisque codicibus antiquis, *habent*, numero multitudinis notatum est, &c, quod superius adnotavimus, *tegimen*, ut *regimen*. Eadem proportione hoc quoque loco scriptum inveni *tegimen*, per Proceleumaticum; sed magis placet eruditis *tegmen*, per syncopam. Sicubi enim Proceleumaticus pes apud Virgilium invenitur, ex iis ille dictionibus constat, quae vocalium hiatum habeant; vel ut ex figura aliqua syllabae duae in unam coire possint; vel ex duabus vocalibus altera consonans fieri, ut in vocabulis, *parietibus*, & *ariete*, I potest in consonantem solidescere, & in *genua labant*, U, ut nonnulli putant, pari modo pro consonante censeri.

691. At Mesapus equum domitor. *Mesapus*, varie scribitur in codicibus antiquis, aliis ss, aliis PP geminantibus: id quia nondum a veteribus Grammaticis observatum, neque in marmoribus usquam a me lectum est, in medio relinquam.

692. Nec sternere ferro. In antiquis aliquot exemplaribus, *nec sistere*, legitur; sed *sternere* malunt omnes.

709. Postquam in partem data Roma Sabinis. In antiquis aliquot codicibus legere est: *postquam pars est data Roma Sabinis.* Sed *in partem* usus est superius etiam Poëta noster: *In partem praedamque.*

711. Ereti manus omnis, oliviferaeque Mutuscae. In codicibus aliquot antiquis, *Heriti.* Sed omnino Ἤρητος Graece scribitur: & quamvis ἀπὸ τῆς Ἥρας, in honorem cujus positum oppidum ajunt, deducatur; nusquam tamen in Graecis auctoribus adspirationem observavi: parceque in Latinis, & in antiquis Valerii Maximi codicibus prope, *vicinum Sabinae regionis Eretum*, scriptum est, absque adspiratione, quam dictionem nonnulli ita depravarunt, ut *Fretum* scripserint. *Mutuscae*, quoque varie scribitur; sed inemendate, veluti superius in plerisque codicibus, lu-

lucosque Calenos, pro, *Capenos*, invenias.

712. QUI ROSEA RURA VELINI. Sunt quidem codices, in quibus *roscida* legatur; sed *rosea* agnoscit Servius a loci nomine; legas tamen apud Plinium: *Sabini, ut quidam existimavere, a religione, & cultu deorum Sevini appellati: Velinos incolunt lacus roscidis collibus*: qui dubio procul ad Virgilianum carmen respexisse videtur. Ῥῶσον tamen agnoscunt Graeci: unde *Rosius*, & *Roseus*, gentile nomen. Quare Servius non imperite *Rosea* legit.

714. CASPERULAMQUE COLUNT. Ex antiquis codicibus, omnino *Casperiam* legendum. FORULOSQUE. In antiquis aliquot, *Ferulos* habes; sed inemendate: ita *Himillae*, pro *Himellae*.

715. FABARIMQUE BIBUNT. *Faburum* in antiquis aliquot codicibus sic habetur, sed apud plures, *Fabarim*, lectione auctorum consensu comprobata.

718. VOLVUNTUR MARMORE FLUCTUS. In plerisque codicibus antiquis, pro *marmore*, *litore*, scriptum invenias; sed in Romano, *marmore*; ita in Mediceo, & aliquot aliis.

722. SCUTA SONANT, PULSUQUE PEDUM TREMIT EXCITA TELLUS. In plerisque antiquis codicibus scriptum inveni, veluti prius in impressis legebatur, *Scuta sonant pulsuque pedum conterrita tellus*: lectionem vero illam, *tremit excita tellus*, quam nuper eruditissimi viri publicarunt, in Mediceo, & in Porcio, tantum ex manu scriptis codicibus vidi.

730. OSCORUMQUE MANUS. Male in quibusdam antiquis codicibus, *Tuscorum*, est. TERETES SUNT ACLIDES ILLIS TELA. *Aclidas* quidem, teli genus, Commentatores tradunt; de quo tamen nemo certum asseverat. In quodam vero antiquo codice, legimus, *acides*: quod apud Graecos, & *telum*, & *cuspidem* significare manifestum est. Forte tamen aliquis erit, qui de *aclide* certius aliquid in medium ferat: nobis enim ad plurima hujusmodi perquirenda otium non fuit.

732. LAEVAM CETRA TEGIT. In aliquot antiquis codicibus, *laevas*, numero multitudinis; sed & *laevam*, unitatis numero reperitur. *Cetra* quoque varie scribitur in vetustis exemplaribus: nam & *caetra*, & *scetra* reperitur; sed melius ex Livio *cetra*: unde *cetrati milites*.

736. PATRIIS SED NON ET FILIUS ARVIS CONTENTUS. In antiquis aliquot codicibus, *sed non jam*, legitur.

739. BATULUMQUE TENENT ATQUE ARVA CELENNAE. In Romano codice, *Batalum*, & *Celemne*, pro *Celennae* legitur: utrumque inemendate.

740. DESPECTANT MOENIA AVELLAE. Antiqui omnes codices, quotquot habui, *moenia Bellae*, legunt; quod vero & *Abellae* legi possit, rationem videris apud Servium; tum etiam apud Strabonem *Abella* legitur, ubi has hoc ordine ponit urbes: Τῆς δὲ Λατίνης ὁδῷ καὶ ἔτι Σουέσουλα, καὶ Ἀτέλλα, καὶ Νῶλα, καὶ Νουκερία, καὶ Ἀχέρραι, καὶ Ἄβελλα.

741. SOLITI TORQUERE CATEJAS. Quia in plerisque codicibus, I littera longiori forma notata est, supraque aliarum fastigia alte producta, factum est, ut in Romano codice, & quibusdam aliis, *catelas*, inde *catellas* notatum fuerit: illud enim I longum, L litteram, qua nunc scribentes utimur, esse crediderunt: quod ideo dictum volui, quia Longobardica manus saepe fallat in litterae scriptione, nisi hoc adverteris.

744. MISERE IN PRAELIA NURSAE. In Romano codice, *Nyrsae*, per Y scribitur, ut *Cymarum*, pro *Cumarum*. Sunt & plerique codices, in quibus *Nersae*, per E scriptum est; sed *Nursae* receptum.

747. DURIS AEQUICOLA GLEBIS. In plerisque veteribus codicibus, *Aequicula*, pene ultima per U notata est: nam ea terminatio, quae est in *ola*, plerumque per U scribi animadverti, ut, *epistula*: quod non in veteribus tantum codicibus, verum etiam in antiquis monumentis non semel observavi.

750. QUIN ET MARUVIA VENIT DE GENTE. Veteres pene omnes codices, *Marubia*, legunt per B mutam. Romanus tamen, *Marula*, habet. Stephanus in iis, quae compilavit ex Hermolao Bizantino, Μαρέβιον: sed in Sabinis ponit; verum auctor ille adeo passim corruptus est, ut parce admodum ei sit adhibenda fides.

757. NEQUE EUM JUVERE IN VULNERA CANTUS. Antiqui plerique codices, *in vulnere*, legunt ablativo casu, dum vulneraretur; idem tamen significat, *in vulnera*.

758. QUESITAE IN MONTIBUS HERBAE. Ita habetur in Mediceo; sed in antiquis plerisque aliis exemplaribus legitur, *quaesitae montibus*, absque IN. Leve hoc fortasse videbitur multis, sed iis, qui sese stilo exercere gaudent, pensitatione non injucundum.

759. TE NEMUS ANGITIAE. Antiqua aliquot exemplaria, *Argitiae*, legunt; sed *Angitiae* melius, ex Solino, ut etiam habetur in codice Porcio.

762. VIRBIUS INSIGNEM QUEM MATER ARITIA MISIT. Saepius dictum, in Romano codice familiarem esse mutationem ex I in E, ut in veterum aliquot monumentis, NEGLEGENTIA, in nummis MAURETANIA, & alia pleraque. Ita hoc loco & *Verbius*, & *Aretia* scriptum est; sed *Verbius*, non in hoc auctore tantum, sed in aliis quoque, per E scriptum observavi; per I vero scribi debere ostendit analogia: quoniam, ut apud Ada-

Adamantium est, eum virum bis factum esse memorant. Cavet vero auctor is, ne *Virvius*, littera media per v digammon scribatur: quoniam *bis* numerus per B mutam notetur: quum tamen eo loco, quod superius attigimus, *Favium*, non *Fabium*, contra nostri temporis usum praecipiat scribi. Quantum vero pertinet ad urbem, in Strabonis codicibus Ἀρίτια μετὰ τὸ Ἄλβανον per ἰῶτα scriptum, quum Ἀρήτιον τῆς Τυῤῥηνικῆς χώρας per ἦτα scribatur. Non praeteribo vero loco hoc, quod ad litterae mutationem attinet, observasse Quintilianum, ut *sibe*, a Messala, ita *quose*, scriptum in multorum libris, comperisseque se ex Pediano T. Livium ita his usum, qui & ipse eum sequebatur: *Quae nos* (ait ille) I *littera finimus*. Quid vero illud apud Verrium, qui Scipionem Africanum Pauli F. *rederguisse*, per E litteram enuntiasse dicit; contra vero *pertisum*, per I? cujus meminit Lucilius, cum ait: *Quo facetior videar & scire plus quam caeteri*, pertisum *hominem*, *non* pertesum *dicens*, *ferum natura genus*.

763. Hymetia circum Litora. In Romano codice, legere est, *humentia circum litora*; sed malunt omnes *Hymetia*, ab Atticae monte. Sed id quoque observandum est, apud Graecos geminato ττ scribi Ὑμήττιος, nomenque observant τὸ υ natura producere.

773. Phoebigenam Stygias detrusit ad undas. In antiquis codicibus alibi, *ad undas*, alibi, *in undas*, legitur.

777. Exigeret versoque ubi. Plerique codices antiqui absque particula, *que*, legunt, *verso ubi*: in qua dictione eruditioribus auribus judicandum relinquo, quam venustius sit legere: *Solus ubi in silvis Italis ignobilis aevum Exigeret verso ubi nomine Virbius esset*. Posse vero versum ita nulla collisione consistere ostendit, quod superius legimus: *Antiqua e cedro Italusque paterque Sabinus:* & hujusmodi pleraque apud hunc eundem Poëtam.

778. Unde etiam Triviae templo. Plures antiqui codices habent, *templo Triviae*, quod eorum curae commendamus, qui spondeum duobus dactylis interjectum addere carmini majestatem agnoscunt.

779. Quod litore currum, Et juvenem monstris pavidi effudere marinis. In codicibus aliquot antiquis, *quo litore*, legitur. Neque obstat, Hippolytum in Attica, non in his regionibus fuisse dilaceratum, quando Poëtis ea concessa licentia, ut & fabulas, & historias nonnunquam ex commodo suo pervertant; placet tamen *quod*, ut sit redditio caussae.

781. Haud secius aequore campi. In antiquis plerisque codicibus, *segnius*, legitur: quam lectionem Servius agnoscit, quum dicit, *non segnius patre*.

794. Agmina pensantur campis. In antiquis codicibus, & *densantur*, & *densentur*, observavi: utrumque recte, ex usu veterum.

799. Quis Juppiter Anxuris arvis praesidet. In antiquioribus sane, *Jupiter* unico P habetur. In Romano, & aliquot aliis *Anxirus*. In aliis plerisque, *Anxyris* per Y, ut Graece scribitur. Et *Anxiris*, per I Latinum, iis, qui Graece nesciebant.

810. Fluctu suspensa tumenti. In aliquot veteribus codicibus legere est: *fluctus tumentis*, quod minime placet: non sum vero nescius esse aliquos usque adeo naris supra modum emunctae, ut, quum quatuor illos versus legunt:

Illa vel intactae segetis per summa volaret
Gramina, nec teneras cursu laesisset aristas;
Vel mare per medium fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeris nec tingueret aequore plantas;

adulterinos eos judicent, ut qui a Virgiliana gravitate videantur alieni. Sed valeant tam severi Critici, quando in exemplaribus omnibus antiquis ea carmina reperiuntur: neque hyperbolica ea lascivia indecora est, praesertim in virgine laudanda, quum toleretur in Apollonio in Polyphemi agilitate describenda, unde locum Poëta noster mutuatus est, cujus versus non apposui, quia sunt jam omnibus in promptu.

816. Lyciam ut gerat illa pharetram. Sunt antiqui codices, ubi *ferat* scriptum est. Sunt qui *gerat* magis proprium velint, & alterum illud ex paraphrasi adjectum esse. Est & *ipsa*, pronomen, pro *illa*, in antiquioribus exemplaribus; verum alterum hoc receptius.

LIBER OCTAVUS.

Atque impulit arma. Saepius dictum est, praepositionem IN subsequente P in plerisque codicibus antiquis, in M minime mutari, id quod non in Virgilianis tantum exemplaribus est, verum etiam in Horatianis, Caesarianis, Ammiani Marcellini historiis, & aliis auctoribus, qui vel Longobardicis, vel ejus generis litteris notati sunt. In illis enim Tineis praepositiones fere omnes in dictionibus omnibus incolumes habentur, ut hoc loco, INPULIT per N. Neque nescius sum Grammaticos adversus hanc scriptionis rationem reclamare: quos illius litterae sonus ante P non nisi M sona-

sonare possit, quum necessarium sit, post eam particulam enuntiatam, statim occludere labia secunda syllaba IMPULIT. Sed esto, vi naturae, M sonus ipsius litterae ante P pronuntiatae: quid obstat, ut, & si aliter enuntiatur, non tamen integra scribi possit, quum alia pleraque sint, quae aliter scribimus, aliter pronuntiamus, ut observat Velius Longus? Ac ne Graecorum sermonem in testimonium adducamus, qui T quum scribunt ante N, D tamen pronuntiant, litterae illius remollita duritie: iidem γ ante γ, κ, χ, ξ, notant, sed enim litterae, quae est N, pro γ scripto, sonum exprimunt. Noluimus nos eos superstitiosius imitari, ideoque Angelus non Aggelus scribimus, Ancora non Agcyra, Anchises non Agchises, Phalanx non Phalagx, ea enim sic Graece scribuntur, ἄγγελος, ἄγκυρα, Ἀγχίσης, φάλαγξ. Sed M tamen aliquando quum scripsimus, alterius litterae sonum pronuntiamus, ut Quintiliano & Velio Longo testibus apparet, in *multum ille*, & *illum ego*. Quare me nihil offenderit, siquis in N etiam eandem esse rationem asseruerit, & IN praepositionem scribendo incolumem servaverit, pronuntiationis vero leges naturae concesserit.

16. EVENTUM PUGNAE CUPIAT. In aliquot antiquis codicibus, *cupies* legitur: sed longe venustius *cupiat*.

25. SUMMIQUE FERIT LAQUEARIA TECTI. Miror Servium eos non neglexisse, qui *lacunaria* legunt: quum vel ex Horatii exemplo, quod apposuit, syllabae repugnantiam viderit, etsi multi polysyllaborum regulam usurpant.

38. EXPECTATE SOLO LAURENTI. In antiquis aliquot codicibus, *exspectate:* quamvis nonnulli adimant S, quum opperiri significat.

39. NE ABSISTE PENATES. Inemendate legitur *adsiste*, in plerisque codicibus etiam antiquis: quum *absiste* dubio procul sit legendum. Ait enim Tyberinus: Tametsi tantus bellorum motus insurgit, ne tamen animum desponde, sed quod instat, audacter exequere.

40. TIMOR OMNIS ET IRAE CONCESSERE DEUM. In veteribus omnibus codicibus, quotquot habui, *tumor* legitur, quod physice dictum esset. Effusa enim bile jecur intumescit, inde oritur excandescentia. Unde apud Hor. *Vae, meum fervens difficili bile tumet jecur*. Et alibi Virgilius: *Tumida ex ira tunc corda residunt*. Deque Meleagro apud Ovidium est: *Tumida frendens Mavortius ira*. Neque tamen displicet *timor*, quia Juno ea tot, quae eventura erant, metuens, veterisque memor belli, tantas exciverat turbas. In timore praeterea tumor est, ut Cornelius Fronto tradit, ut in metu motus animi, in formidine interdum ratio, in pavore nil non puerile.

42. JAMQUE TIBI NE VANA PUTES HAEC FINGERE SOMNUM. In Romano codice, *nec vana putes* legitur, quod minime displicet. Sed & *ne* recte.

58. ADVERSUM REMIS SUPERES SUBVECTUS UT AMNEM. In codicibus aliquot, mutato numero, *Adversum superes remis*. Sed concursus ille syllabarum *sum*, *su*, *res*, *re*, molestam prae se fert asperitatem. In aliquibus autem manu scriptis, versus hic non habetur.

59. SURGE AGE, NATE DEA. In Romano codice, & quibusdam aliis non habetur *age*. In nonnullis altera manu superadditum, quum antea legeretur, *Surge, o nate dea*. Sed omnino *Surge age* magis placet. Missum facio *gnate deum*, quod & ipsum in veteri habetur codice.

61. SUPPLICIBUS SUPERA VOTIS. In Romano quidem codice, *votis* legitur. Sed in plerisque aliis, *donis:* ut idem repetatur, quod in III. praeceptum ab Heleno fuerat. Tametsi Ti. Donatus *votis* agnoscit utroque loco.

62. EGO SUM PLENO QUEM FLUMINE CERNIS. In codicibus aliquot antiquis legere est, *Ego sum quem pleno gurgite cernis*. Sed altera lectio magis omnino recepta.

67. NOX AENEAM SOMNUSQUE RELIQUIT. In antiquis aliquot exemplaribus, *relinquit*, per instans, ut conveniat cum surgit.

69. CAVIS UNDAM DE FLUMINE PALMIS SUSTULIT. In antiquis aliquot codicibus, *sustinet* legitur. Et quod subsequitur, *talis effundit*, praesenti tempore, quod in vulgatis *effudit* habetur.

72. TUQUE, O TYBRI TUO GENITOR CUM FLUMINE SANCTO. *Tu o Genitor*, distinguendum esset ex antiquis codicibus, in pronomen & adverbium vocandi: corripereturque *tu*, ob subsequentem vocalem. Quod non ideo apposui, quia lectionem hujusmodi probarem: sed, ut codicum tantum varietatem indicarem. Quidam, ut in plerisque aliis locis, *que* particulam inseruere. Hinc plerique codices habent, *Tuque o Tybri, tuque o Genitor:* tam imperite quam absurde. Perinde ac etiam *xancto* pro *sancto* scripsere. Nam S etiam simplex in X mutare quorundam mos fuit. ut habetur in veterum monumentis, CASSIUS XECUNDUS, & alia quaedam hujusmodi.

74. QUO TE CUMQUE LACUS MISERANTEM INCOMMODA NOSTRA FONTE TENET. In Romano codice, *tenent*, legitur, ut *lacus* sit pluralis numeri: non enim adhuc proprium fontem aut lacus novit.

76. SEMPER CELEBRABERE DONIS. In plerisque codicibus antiquis, *venerabere*, specie Latino sermoni insolita; *celebrabere* autem omnino melius.

78. ADSIS O TANDEM ET PROPIUS. In Romano codice, & in Mediceo, *Adsis o tantum*, legi-

legitur. In aliquot aliis, *adſis & tandem propius*; ſed omnino venuſtius eſt, *o tandem.*

86. Quam longa est nocte. In codicibus aliquot antiquis, non habetur *eſt*, ſed enim figuratam illam priorem lectionem agnoſcit Servius.

87. Leniit et tacita. In Romano codice, more ſuo, *lenit*, unico i, quod vel oblonga figura ſcribi debet, ut pro duobus accipiatur, ſicuti *memor beneficI*; vel ſpondeus eſt κατὰ συναίρεσιν: ſed magis placet *leniit*, dactylus.

90. Ergo iter incoeptum celerant. In pleriſque codicibus antiquis, *peragunt*, legitur. Utrumque placet, ſed melius *celerant*. In Mediceo, *celebrant*, quod cum eo quadraret, quod ſequitur, *rumore ſecundo*. Quod vero ajunt Interpretes, *rumore ſecundo*, id eſt, bona fama, nihil ad Virgilianam ſententiam facere videtur: nam *rumor* hic pro plauſu ponitur.

91. Labitur uncta vadis abies. In codicibus aliquot antiquis, *uda*, non *uncta*, legitur; ſed *uncta* magis proprium, quo epitheto alias etiam Poëta uſus eſt ad pingendas navis: *Natat uncta carina.* Quod vero ſubjunxit, *undas & nemus mirari*, ſecundum Pythagorae diſciplinam dictum, qui putabat omnia, ſpiritum vegetationis habentia, poſſe mirari.

98. Cum muros arcemque procul et rara domorum. In Oblongo codice perveteri, & quibuſdam aliis, *arces*, legitur numero multitudinis, ut referatur ad colles ſeptem, vel ad illud: *Septemque una ſibi muro circumdedit arces.* Nam *rara domorum Tecta vident, quae nunc Romana potentia coelo Aequavit.* Eſt autem pro *& rara*, in Romano codice, & in Mediceo, *ac.*

100. Euander habebat. In Romano, & in Mediceo, *Euandrus*: nam *Euander*, vocativi caſus eſſe volunt, pro *Evandre*, κατὰ μετάθεσιν. Reliqui tamen codices, *Euander*, habent, nominativo caſu. Voluntque alii *Euandre*, in vocativo fieri κατὰ μετάθεσιν, ut illud: *Nam tibi, Tymbre caput*; quod agnoſcit Probus. Soſipater tamen Cariſius ita ſcribit: *Alexander, Teucer, dici debet; ſed & Alexandrus, & Teucrus, dici poſſunt, ut Virgilius: Teucrus & Evandrus, ſecundum illam ſcilicet rationem, qua nomina Graeca in os exeuntia, Latine in us exire Aurelio placet.* Contra quam regulam a Graecis ἀγρός, idem a nobis *ager* dicitur. Ideoque, ut in his, & caeteris conſuetudo ſequenda eſt. Sed enim ſuper hoc latius habetur libro tertio, eo verſu: *Teucrus Rhoeteas.*

102. Forte die solennem illo. In Romano codice, *ſolemne*, genere neutro legitur, quod minime placet.

104. Pallas huic filius una. Quod in veteribus aliquot codicibus, *Pallans*, ſcriptum invenitur, non eſt praeter alicujus aetatis conſuetudinem: nam praeter ea, quae alibi retulimus, in antiquis inſcriptionibus obſervata, Romae apud Marium Melinum, magnae celebritatis Patricium, hoſpitem olim meum officioſiſſimum, in antiquiſſimi monumenti titulo, vidi, *Pallans*, per n ſcriptum. Eſt vero cippus is pulcherrime elaboratus opere Corinthio, omnium, quae ad hanc diem viderim, laſciviſſimo, cujus inſcriptionis verba ſingula in hunc modum habent:

VOLVSIAE
ARBVSCVLAE
PALLANS Q. N.
A. PRVM.
CONTVBERNALI
CARISSIMAE ET SIBI.

In cujus baſi eſt:

PERMISSV DEC.

Alibi etiam nomen id hoc pacto ſcriptum in veterum monumentis obſervavi, praeſertimque ll duplicato, quod jam plerique non illiterati viri ſimplici l ſcribere coeperunt. Sed enim non ſum neſcius, veteres inſcriptiones hujuſmodi plerumque variare, litteramque ipſam n, non modo ſuperaddi ſolitam, verum etiam, ubi ex analogiae ratione ſit adſcribenda, plerumque rejici, ut alibi factum in nominibus, *infas*, & *clemes* oſtendimus. Sed quamvis ita veteres ſcriptitaverint, Probus tamen Valerius nomen hoc in *as* terminari tradit. Et hunc locum citat, ut *as* longum oſtendat. Qui ſi *ans* per n & s agnoviſſet, non hoc uſus eſſet teſtimonio. Alibique errare eos dicit, qui putant *Pallantis*, genitivum a recto *Pallas*, per n litteram: & *Palladis*, a *Pallas*, abſque n deduci: quas voces accentu tantum diſtingui monſtrat, quum *Pallas*, dea, ſit oxytonon: *Pallans*, heros, paroxytonon. De terminatione vero eorum nominum, quae ſunt *infas*, & *clemes*, ſatis eſt libro primo dictum. Hujuſmodi vero generis eſt etiam *praegnas*, quod per *as* abſque n in antiquiſſimo codice Terentiano ſcriptum in Ecyra legi eo loco: *Nam abducta a vobis praegnas fuerat filia.* Sane apud Soſipatrum Cariſium, ubi utrum *partium*, an *partum*, genitivo plurali, a *pars*, *partis* dicendum ſit, quaeritur, Plinii verba referuntur, dicentis conſuetudinem jam *partium* proferre coepiſſe, ut *praegnatium*, & *optimatium*: ubi videtur etiam *praegnas*, *praegnatis*, ut *optimas*, *optimatis*, a Plinio agnitum. Illud pro corollario addere viſum eſt, quod in eodem codice Terentiano, qui eſt in bibliotheca Vaticana, qui ſubſequitur verſus poſt eum, quem paulo ante citabamus: *Neque fuiſſe praegnantem unquam ante hanc ſcivi diem*: abſque dictione *praegnantem*, notatus eſt, ut ita legatur: *Nam abducta a vobis praegnas fuerat filia. Neque fuiſſe unquam ante*

hanc

hans scivi diem. Quam lectionem ex peritis nonnulli plurimum approbarunt. Sed enim animadvertendum, non esse locum Pyrrhichio in senario versu, nisi bis absque synalepha scandere voluerimus; primo loco Tribrachum statuentes, in hunc modum: *Neque fu. iss' un. quam an. te hanc. sci-vi. diem.* Verum haec in medio relinquere consilium est, quae sola sibi longum orationis apparatum exposcerent. tam multa apud eum quoque auctorem sunt injuria temporum labefactata.

108. ALLABI NEMUS ET TACITIS INCUMBERE REMIS. In Romano codice, & aliquot aliis, *tacitos*, legitur, quippe viros; non tamen displicet, *tacitis remis.*

112. QUAE CAUSSA SUBEGIT IGNOTAS TENTARE VIAS? In antiquis aliquot exemplaribus, *quae cura*, legitur; sed *caussa*, magis placet: ea enim ab Aenea refertur, eo versu: *Quos illi bello profugos egere superbo.*

114. QUOD GENUS. In antiquis aliquot codicibus, *qui genus*, non ineleganter positum. In aliquot aliis *quis genus:* quod aliis diligentius examinandum relinquo.

120. DARDANIAE VENISSE VIROS. In Romano codice, & aliquot aliis, *duces*, legitur, pro, *viros*. In plerisque vero codicibus, vel haec, vel illa dictio, abrasa discernitur; sed enim *duces* omnino magnificentius est.

121. OBSTUPUIT TANTO PERCULSUS NOMINE PALLAS. Ne repetam amplius *obstipuit*, eo me vertam, quod *percussus* in antiquis codicibus habetur, a *percutio*. Quod vero isti *percellere*, unde *perculsus*, ad animum tantum spectare dicunt, apud Ovidium quinto Metamorphoseos legas: *Stipite qui media positus fumabat in ara perculit:* quod quidem nulli non videatur ad corpus pertinere.

122. EGREDERE, O QUICUNQUE ES. In Romano codice, sententia non profertur per dissolutum; sed conjungitur cum *obstipuit*, copulativa particula adjecta, hoc pacto; *& gradere, o quicunque es, ait.* sed enim *egredere*, video magis eruditis placere. CORAMQUE PARENTE ALLOQUERE. Codices plerique veteres, *parente*, legunt, ablativo casu, ut sit *coram parente*; sed mihi magis placet, *parentem adloquere*, ut est in Romano codice, & aliis optimis.

124. ACCEPITQUE MANU, DEXTRAMQUE AMPLEXUS INHAESIT. In plerisque codicibus antiquis, *Excepitque manu dextraque:* & pro, *amplexus*, sunt codices, in quibus, *implexus*, legitur: quae lectio cum *dextra*, ablativo, conveniret; sed enim *amplexus* plures fautores habet.

132. TUA TERRIS DIDITA FAMA. Praeteribo, quod in antiquis aliquot codicibus *debita* legitur; quum *didita* in emendatioribus habeatur: quod Servius etiam agnoscit in codicibus emendatis: dumque exponit *didita*, divulgata, ut illud, *Diditur interea Trojana per agmina murmur.* Lucretianum id quidem verbum, & in hoc significato ab utroque horum saepissime positum.

136. MAXIMUS ATLAS. In Romano codice: *maxumus Atlans:* de cujus scriptionis ratione pleraque diximus in primo Aeneidos. Succurrit vero nunc marmor simili ratione inscriptum, quod elegantia ingenia subjectum hic non aspernabuntur:

ASPRENANS CALPVRNIUS
TORQVATVS PATRI SVO.

Fuisse enim in hujuscemodi nomine veram lectionem, *Asprenas*, apud antiquiores, fatentur omnes. Tum in aede Divae Ceciliae trans Tyberim: ASPRENATIS CAESIANI legitur, absque N, obliquo casu.

139. CYLLENES GELIDO CONCEPTUM IN VERTICE FUDIT. In antiquis codicibus, partim *Cyllene*, partim *Cyllenae*, legitur; & *conceptum vertice*, absque IN: quod non placet.

140. AUDITIS SI QUICQUAM CREDIMUS, ATLAS. In codicibus aliquot antiquis, *si cuiquam credimus Atlans* legitur; sed *quidquam* magis placet. Et *Atlas* absque N scribi dictum.

144. TENTAMENTA TUI PEPIGI. In antiquis plerisque codicibus, *temptamenta*, per MP legitur: quam scribendi rationem, praeter omnium fere codicum antiquorum congeriem, in aliquot etiam marmorum inscriptionibus observavi: cujusmodi ea est: EJUS MONIMENTI PARTEM ALIENARE TEMPTAVERIT. Sed enim ubi ita scriptum invenitur, alia quoque praeter eruditorum usum inspiciuntur. Nos itaque *tentamenta* scribamus, ut omnes fere notae melioris homines hodie scribunt. ME ME IPSE, MEUMQUE OBJECI CAPUT. In antiquis aliquot codicibus, *memet*, legitur. De primae vero syllabae quantitate, vide Valerium Probum: & observatum a Grammaticis, *Tutemet*, esse dactylum, quod ejusdem est proportionis. Missum faciam, *caput*, per D, in antiquo quodam codice passim notatum: nam de litterae illius mutatione satis superius dictum.

149. QUODQUE ALLUIT. In antiquis, *abluit:* quod non ita placet. Est enim hic *adluere*, vel *alluere*, quo frequenter utitur Plinius in hanc sententiam.

151. ET REBUS SPECTATA JUVENTUS. In codicibus nonnullis antiquis *e rebus*, legitur; sed enim sententia videtur ET exposcere.

155. ACCIPIO AGNOSCOQUE LIBENS. In codicibus aliquot antiquis, *aspicio adgnoscoque*, legitur; sed plures omnino, *accipio*, habent, ut: *Illos porticibus rex accipiebat in amplis.*

157. HESIONES VISENTEM REGNA. In Romano

mano codice Graeca pronuntiatione ſcriptum eſt: *Hiſionae*, prima ſyllaba per I, quo ſono nunc ἦτα litteram pronuntiant, Ἡσιόνη enim ſcribitur. Variatque declinatio genitivi in antiquis codicibus: nam in aliis *Heſiones*, ut Ἡσιόνης. in aliis *Heſionae*, Latino declinatu, quin etiam *Heſione*, per E ſimplex reperitur; ſed *Heſiones*, omnino doctioribus placet.

160. Tum mihi prima genas vestibat flore juventa. In codicibus aliquot antiquis: *veſteibat*, ſive ut Priſcianus putat, mediarum vocalium tranſpoſitione, quae poſtmodum in EI diphthongo contrahantur: ſive magis ex Lucillii ſententia, ad I productam indicandam, ea diphthongus ſcribi ſolita ſit: nam in *deico*, & *ameiceis*, & *periculeis*, nulla ſynaereſis. Sed & *juventa* varie ſcribitur: in nonnullis enim codicibus, *juventus*; in aliis quibuſdam, *juventas*, invenitur: de quibus alibi dictum.

163. Juvenili ardebat amore. In Romano codice, & in quibuſdam aliis, *juvenali*, legitur per A in pene ultima, quod etiam in aliorum auctorum veteribus exemplaribus obſervavi. Et agnitum a Grammaticis alibi demonſtravi.

164. Et dextrae conjungere dextram. In antiquis aliquot codicibus legere eſt: *dextram & conjungere dextrae*; ſed quattuor ſyllabarum per E prolatarum ſonus, continuatioque, exilitatem quandam prae ſe ferunt ad faſtidium uſque.

165. Accessi, et cupidus Phinei. *Phinei* multis modis corrupte legitur: nam & *Phaenei*, & *Phoenei*, reperitur. Sed enim per E, *Phenei*, triſyllabum omnino legendum ex probatioribus exemplaribus. Homerus: Οἱ Φενεόν τ' ἐνέμοντο.

167. Chlamydemque auro dedit intertextam. In Romano codice legere eſt: *intertexto*; ſed *intertextam* melius.

168. Palas. Niſi placeat *Pallans*, ut in plerisque veterum monumentis notatum eſt; & quia nomen id N non recipere tradit Probus, certe geminato ſaltem LL ſcribendum erit.

171. Auxilio laetos dimittam. In hoc etiam nomine, *auxilio*, variatum; nam ſunt, qui *auſilio*, per S; ſunt qui per X; ſunt qui per utrumque X & S ſcribant: & ſuperius in monumentis veterum *auxſilium* per X & S notatum obſervavimus. Nos *auxilium*, ex uſu eruditorum emendatiore ſcribimus. Sed illud magis me moverit, quod in codicibus aliquot antiquis, *Auxilio tutos*, legitur; ſed *laetos* magis receptum.

184. Et amor compressus edendi. Diximus in Romano codice evenire ſaepius, ut dictiones, quae per geminum SS ſcribendae forent, per N & S notatae ſunt, ut hoc loco, *compreuſus*. Id ea de cauſſa factum eſt, quod geminandarum conſonantium diverſus admodum uſus apud veteres fuit: quadam enim aetate multa, quae nos unico S nunc ſcribimus, geminato illi, uti ſuperius dictum eſt, ſcribebant, AUSSUS, IMPERIOSSUS, FORMOSSUS, & ſimilia. Contra fuere tempora, quibus, ut obſervatum a Verrio eſt, conſonantes minime geminarentur. Ubi vero quid gemina conſonante ſcribendum occurriſſet, ſupra litteram, quae gemina ſcribenda erat, notam quandam ponere conſuerant. Amplius Velius Longus Niſum auctorem citat, qui *comeſe* & *ſueſe*, & alia hujusmodi ſimplici S ſcribenda cenſuerit, ea ratione, quod juxta productam vocalem conſonans progredi non ſoleat, & S praeſertim quondam minime geminaverint. Quam vero notam Victorinus Sicilicon appellat, geminandis conſonantibus ſuperponi ſolitam hujuſmodi eſt figura ' ut alibi monuimus. Quod apud eos, qui de Ponderibus & Menſuris ſcribunt, animadverti. Poſterioris inde ſaeculi imperitia factum eſt, ut crediderint, notam eam compendiariae ſcripturae apicem eſſe, quem loco litterae N ſolemus interdum adlinere. Hinc *compreuſus*, hoc loco & in aliis codicibus, *imperionſus*, & *formonſus*, quae nonnunquam SS geminato ſcribi conſuerunt, emanaſſe crediderim. Quanquam in *formonſus* circumflexum accentum, aut τὸν μακρὸν etiam huic errori anſam dediſſe credi poſſit, ut alibi diſputatum eſt.

185. Rex Evander ait. Pauci admodum codices ſunt, in quibus, *Evander*, legatur; ſed in quam plurimis, *Evandrus*: de quo ſuperius ſatis dictum. Quamvis Servius in Georg. dicat nomina, quae apud Graecos in *gros*, *tros*, *pros*, *cros*, *dros*, exeunt, apud nos in *er* terminari, & ſecundae eſſe declinationis. Ex quibus duo tantum nomina deſignentur, *Codrus*, & *Congrus*. Verum haec latius ex Cariſio recitavimus libro tertio.

187. Vana superstitio veterumve ignara deorum. In Romano codice, & quibusdam aliis antiquis, legere eſt: *veterumque*; & ita ſcriptum eſt in Lactantii Firmiani codicibus, ubi libro IIII. locum hunc exponit in hunc modum: *Qui novos ſibi ritus aſſumebant, ut Deorum vice mortuos honorarent, quos ex hominibus in coelum receptos putabant, hos ſuperſtitioſos vocabant; eos vero, qui publicos & antiquos deos colerent, religioſos nominabant, unde Virgilius:* Vana ſuperſtitio veterumque ignara deorum.

190. Jamprimum saxis. In perveteri codice, *jampridem*, legitur, quod nonnullis minime diſplicuiſſe animadverti.

191. Disjectae procul ut moles. In Romano codice, *dejectae*, legitur, quod non aeque placet. Dicturus enim rem ab Hercule geſtam, majus neſcio quid oſtendit, dicendo, *moles disjectas*. Loquitur vero de fragmentis illis, quae ab Aventini vertice, & imis radicibus avulſit Her-

cu-

cules, ut sibi aditum in antrum Caci patefaceret.

194. FACIES QUAM DIRA TENEBAT. In Romano codice, & aliquot aliis pervetustis, *tegebat*, legitur; sed, *tenebat*, receptum magis.

196. FORIBUSQUE AFFIXA SUPERBIS. In aliquot antiquis exemplaribus legere est: *foribus suspensa superbis*; sed *adfixa* nescio quid atrocius ostendit. In Mediceo absque particula copulativa, *foribus affixa*, legitur.

201. NAM MAXIMUS ULTOR. In codicibus nonnullis perveteribus, *maximus heros*, legitur; sed magis placet *ultor*, quod ex iis titulis est, qui Diis adscribi soliti sunt in veterum nummis, ut: *Jovi ultori*. Et: *Mars ultor*. Resque ipsa gesta titulum hujusmodi exposcere videtur.

205. AT FURIIS CACI MENS EFFERA. Non inficior in Romano codice, & quibusdam aliis recentioribus codicibus, *furiis*, legi; sed enim exemplaria pleraque vetusta cum Mediceo, & Porcio, *furis*, habent, quo vocabulo quam maxima exprimitur ignominia: neque enim ignorabat Virgilius, quam severe olim apud veteres furtum puniri solitum esset, quamque levi de caussa, vel uno verbo furti quis argueretur: quippe si jumentum quis aliorsum duxisset, quam quo utendum accepisset, aut longius quam quem in locum petiisset, Q. item Scaevola declarante: *Quod cui servandum datum est: si id usus est, sive quod utendum acceperit, ad aliam rem, atque acceperat, usus est, furti se obligasse*. Multaque hujusmodi tum a Labeone, tum a Sabino examinata, quae temporum illorum integritatem ostendant. Quare Servius pro ingenti scelere *furis* nomen positum ait. Hoc vero loco non tam epitheton illi monstro proprium est, quam etiam inservire tempori videtur. NEQUID INAUSUM, AUT INTEMPTATUM, SCELERISVE DOLIVE FUISSET. Juniores, *intentatum*, scribunt. In Romano codice, & in Mediceo, *intractatum*, legitur: nam *tractare*, & *contrectare* de furibus saepe dictum observes. Solinus: *Dum tractat etiam ea, quae concesserant in Arcadum jura, duce Hercule oppressus est*.

212. QUAERENTUM NULLA. In Romano codice, & aliquot aliis, *quaerentis*, legitur, numero multitudinis: non enim verisimile est, Herculem tantum quaesivisse; sed oratio crescit ex infinito. In Mediceo, *quaerente*, per modum consequentiae scriptum, cum paraphrasi, *Hercule*: quae quidem structura videtur subagrestis.

217. SUB ANTRO MUGIIT, ET CACI SPEM. In antiquis plerisque codicibus, *mugit*, per synaeresim scribitur, sive potius I oblongum fuerit pro gemino.

227. EMUNIIT OBJICE POSTES. In antiquis codicibus, *obice*, unico I; de quo plura Gellius.

228. ADERAT TIRYNTHIUS, OMNEMQUE ACCESSUM LUSTRANS. In plerisque codicibus antiquis, non est versus hypermeter, sed, *omnem accessum* legitur; magis tamen placet, *omnemque accessum lustrans*.

239. IMPULSU QUO MAXIMUS INSONAT AETHER. In antiquis aliquot, *intonat*, habetur; sed *insonat*, in pluribus.

244. INFERNAS RESERET SEDES, ET REGNA RECLUDAT. In codicibus aliquot antiquis *reserat*, & *recludit*, legitur, praesenti tempore: sed altera lectio cultior ab eruditorum collegio judicatur.

246. TREPIDENT IMMISSO LUMINE MANES. In Romano codice, *trepidentque*, legitur, quod & versum & sententiam replet, & numerosius sonat.

247. DEPRENSUM IN LUCE. In codicibus aliquot antiquis, non habetur *in*.

248. INSUETA RUDENTEM. Sunt codices antiqui, in quibus, *insueta paventem*, scriptum est; sed *rudentem* magis tumultum auget.

251. FUGA JAM SUPER ULLA PERICLI EST. In plerisque codicibus antiquis, non habetur, *est*, verbum. Id vero me nihil offendit adjectum.

257. QUA PLURIMUS UNDAM FUMUS AGIT. In antiquis aliquot codicibus, *quo*

262. FORIBUS DOMUS ATRA REVULSIS. In codicibus aliquot, *reclusis*: quod est admodum leve, tanto in conatu: quare magis placet, *revulsis*, ut in Romano, & aliquot aliis probatioribus habetur.

274. POCULA PORGITE DEXTRIS. In codicibus aliquot antiquis, *spargite*, legitur; sed *porgite*, magis receptum.

278. ET SACER IMPLEVIT DEXTRAM SCYPHUS. In codicibus aliquot antiquis, legere est, *Et dextram implevit sanctus scyphus*; sed vulgata lectio receptior.

282. FLAMMASQUE FEREBANT. In codicibus aliquot antiquis, *flammam*, numero unitatis.

286. EVINCTI TEMPORA. In codicibus aliquot antiquis, *& vincti*, legitur, quod non ita placet.

287. HIC JUVENUM CHORUS, ILLE SENUM. Neque quidem placet, quod in nonnullis codicibus, *atque senum*, legitur, admissa Servii distinctione.

290. DISJECERIT URBES. In vetustis aliquot codicibus, *dejecerit*, legitur; sed majorem vim & impetum ostendit *disjecerit*.

291. UT DUROS MILLE LABORES. In Romano codice, *& duros*, quod non aeque placet.

295. NEMEAE SUB RUPE LEONEM. In Romano codice, *Nemea* legitur; sed enim Servius, *Nemeae*, legendum ostendit: quia *Nemeaeus* deri-

var-

vativum sit: apud Graecos tamen utrumque reperitur, ὁ Νέμιος, καὶ ὁ Νεμεαῖος, ut observatum a Grammaticis. Est etiam in Romano codice, *semensa*, pro, *semesa*, errore illo familiari.

316. Nec jungere. In aliquot antiquis. *neque*, particula ea ter repetita: *Queis neque mos, neque cultus erat, neque jungere tauros.* Sunt tamen qui *nec* monosyllabum tertio loco malint.

324. Aureaque (ut perhibent) illo sub rege fuerunt Saecula. Veteres codices fere omnes legunt, *Aurea quae perhibent:* nempe, saecula fuere sub illo rege, quae perhibent aurea. In aliquot vero codicibus, quod non ita placet, legere est, *Aureaque perhibent illo sub rege fuisse Saecula*; sed vulgata lectio, *Aureaque ut perhibent*, magis doctis omnibus adridet.

328. Tum manus Ausoniae et gentes. In Romano codice, *Ausonia*. *Ausoniam* vero putat Verrius dictam ab *Ausonio* rege, Ulyssis filio, ex Calypso: qui primus partem eam tenuerit, ubi Beneventum & Cales. Deinde paulatim sic dicta sit tota Italia, quae ab Alpibus includitur. Quod vero paulo infra, non procedere ait Servius, quod a Livio traditum est, *Tybrin dictum ab Albano rege Tyberino*, suppetias Livio fert Varro, dum is quoque *Tybrin a Tyberino Silvio Albanorum rege, quod is in eo extinctus sit*, dictum asserit.

341. Et nobile Pallanteum. In Romano codice legitur, *nomine:* veluti dixerat *Carmentalem Romano nomine portam.* Sed omnino, *nobile*, magis placet, ob antiqua tot eo de loco monumenta.

346. Et letum docet hospitis Argi. In codicibus aliquot legere est, *& mortem docet*; sed magis placet *letum*, ut perstet in nominis adlusione de *Argileto*. Quamvis non ignoro esse, qui ab *Argola* quodam, viro non ignobili, qui fuerit ibi sepultus, locum dictum velint. Alii ab *argilla*, quod ibi id genus terrae affatim fuerit.

350. Jam tum sylvam. In Romano, *silvas*. In quibusdam aliis, *jam jam silvam*; sed *jam tum*, magis omnino placet.

357. Hanc Saturnus condidit urbem. In codicibus aliquot antiquis, *arcem*, non *urbem*, legas: quod est historiae propius: nisi *urbem*, dictum sit ad ampliationem, & honestiorem rei nuncupationem: sive ad id respexerit, quod Roma inde κατ' ἐξοχὴν *Urbs* appellata est.

361. Lautis mugire carinis. In Romano codice, legitur, *cavernis*, errore foedo.

366. Augusti subter fastigia tecti Ingentem Aeneam duxit. In codicibus aliquot antiquis, *subeunt*, legitur; sed *subter*, lectio castior videtur; aliter *Ingentem Aeneam duxit*, imperfecta erit oratio.

373. Aspirat amorem. In aliquot codicibus antiquis, *inspirat*; sed & *adspirat*, invenitur, quod nonnullis placet.

377. Artis opisve tuae. In antiquis aliquot codicibus, *opusve*, ut sit, Arma opusve artis tuae: nam non tam armorum praesidium, quam etiam artificii visendam pulchritudinem admirabitur Poëta, in armis ipsis. Est etiam, *opisque*, legere.

381. Nunc Jovis imperiis Rutulorum constitit oris. In Oblongo codice, & quibusdam aliis antiquis, *imperio*, unitatis numero legitur, quod etiam apud Servium advertas. Missum vero faciam, quod in plerisque codicibus, & hic & alibi, *Rutilorum*, secunda syllaba per i notatur.

383. Arma rogo genitrix nato. Ex antiquioribus codicibus scribendum, *genetrix*, media syllaba per e, ut alibi monuimus. Te filia Nerei. In codicibus aliquot antiquis, *Neri*, legitur. In nonnullis, *Neres*. Super quo declinatu multa Servius memorat. Priscianus vero in hujusmodi nominibus positum ait dativum pro genitivo, quare *Nerei* scribendum erit; sed *Neri* pronuntiare non incongruum, facta synaeresi in ει Graecam diphthongum.

388. Cunctantem amplexu molli fovet. In Servii verbis aliquid desideratur: & ut illi etiam suppetias feramus, Nonius Marcellus locum hunc exponens ait: Cunctantem, dubitantem. Quare ita etiam apud Servium legendum crediderim, Cunctantem, *Dubitantem, scilicet de promissione.* Deest enim *dubitantem* in Servianis scriptis.

390. Et labefacta per ossa cucurrit. In plerisque codicibus antiquis, *calefacta*, legi; sed *labefacta* Servius agnoscit. Quae phrasis Catulliana est: *Non si illam rarae labefactes munere vestis.*

394. Tum pater aeterno fatur devictus amore. In Romano codice, & in quibusdam aliis perveteribus, *devinctus*, legitur, quod amoris proprium est, & vinculum in mysticis significationibus amorem denotat: neminem enim facilius ad te trahas, & arbitrio colligaris tuo, quam amantem. Poëtae vero passim amoris laqueos & retia decantarunt: ut saepe apud Lucretium:

Nam vitare plagas in Amoris ne jaciamur,
Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

395. Quid causas petis ex alto? fiducia cessit Quo tibi, diva, mei. Legitur utroque loco, *quid*, ut repetitio sit, *Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit quid tibi, diva, mei*; sed *quo* adverbium secundo loco magis placet. Illud autem, quod

quod est, *ex alto*, Servius exponit, argumentatione longe repetita. Nonius, *ex vetusto, & antiquo*, interpretatur.

402. QUOD FIERI FERRO LIQUIDOVE POTESTUR ELECTRO. *Potestur* omnino in codicibus aliquot antiquis reperitur. Et in aliquot etiam duae ultimae litterae abrasae sunt. In Romano tamen, & in quibusdam aliis codicibus, ipsa vetustate venerabilibus, *potest*, habetur, quod magis placet, ut duo declinemus evitanda. *Potestur* illud post Lucretiana tempora jam obsoletum, & primam in dictione *electro* correptam, quae natura longa est, ut: *Sudant electra Myricae*, Ἤλεκτρον enim Graece per η vocalem, omnium porro consensu longam, scribitur.

405. PLACIDUMQUE PETIVIT CONJUGIS INFUSUS GREMIO PER MEMBRA SOPOREM. Sunt codices admodum veteres, in quibus, *infusum* legitur, quod non aeque placet.

408. CEU FOEMINA PRIMUM CUI TOLERARE COLO VITAM TENUIQUE MINERVA. Quia sequitur inferius: *Haud secus ignipotens*, crediderunt nonnulli *ceu foemina* legendum; sed enim codices plerique veteres, cum iis, qui apud me sunt, *cum*, non *ceu*, legunt: spectat enim comparatio ad tempus etiam antelucanum, quod & *Volcanalia* nuncupant: quare addit: *Nec tempore segnior illo.* Sed hoc utcunque placeat, non laboro. Quod vero super, *tenuique Minerva*, tam multa congerantur ab Interpretibus, in loci hujus expositionem excogitata, aliter nonnulli codices admodum antiqui legunt, ubi *calathisque Minervae* habetur; sed enim *tenuique Minerva*, in Romano codice est, in Mediceo, & aliis quibusdam, eamque lectionem agnoscunt Aru. Messus, & Priscianus.

418. QUAM SUBTER SPECUS. In vetustis aliquot exemplaribus, *quam subtus*, habetur.

421. STRICTURAE CHALYBUM. *Strictura*, inquit Servius, est *terra ferri in massam coacta.* Nonius Marcellus locum hunc citat, exponitque, *stricturae sunt scintillae. A stringenda* vero *acie* vocabulum *stricturis* impositum ait Plinius libro XXXIIII.

423. HUC TUNC IGNIPOTENS. *Huc* quidem in plerisque vulgatis codicibus habetur; sed plerique veteres *hoc* legunt, quod Servius agnoscit pro *huc* positum. Circumfertur vero Epitaphium, quod extat Capuae, in quo de more hujusmodi scriptum sit: INFERRI HOC NON LICET NISI QUORUM NOMINA SCRIPTA SUNT ET QUIBUS CAVERO.

428. DEJICIT IN TERRAS. Antiqua aliquot exemplaria, *deicit*, unico I legunt. Longe vero plura *dejecit*, pene ultima correpta: eaque dictio praesenti tempore pluribus locis ita scripta, *dejecio*, *dejecis*, non *dejicio*, scribi aliquando solitum ostendit: ac de mutatione quidem litterae I in E, satis superius disputatum. Hoc vero loco No. Marcellus *dejicit*, mittit, interpretatur.

431. FULGORES NUNC TERRIFICOS. In Romano, & omnibus fere aliis veteribus codicibus, *horrificos*, est legere. Et ubi inferius habetur: *Aegidaque horrificam*, iidem omnes, quotquot viderim, codices, *horriferam*, legunt uno consensu.

436. POLIBANT. In aliquot antiquis, *poliebant*: de qua scribendi ratione satis superius disputatum est.

438. DESECTO VERTENTEM LUMINA COLLO. Sunt codices, in quibus, *diffecto*, legatur. In aliquibus *disjecto*. In Romano, *dejecto*; sed *desecto* magis placet, ut in Mediceo est.

439. CORPTOSQUE AUFERTE LABORES. In codicibus aliquot antiquis, *certos*, legitur, hoc est, qui quotidiana opera exercentur, qui olim instituti, qui vobis praecipue soliti: nam alia, quam soleant excudere, nunc opera imperaturus est. Non tamen displicet, *coeptos*, ut codices aliquot etiam manu scripti legunt.

443. PRAECIPITATE MORAS. In aliquot antiquis, *moram*; sed numero multitudinis magis placet, quod majorem ostendit festinationem.

453. FORCIPE MASSAM. Sunt quidem codices, in quibus, *forfice*, legatur; sed enim Servius agnoscit *forcipe*, & utriusque diversum ostendit usum. Carisius, *forcipe*, loco hoc positum a Virgilio tradit: quamvis de *forfice* cum Servio non sentiat. Quod vero exemplaria, *massam*, habent, in Carisii codicibus ejus loco, *ferrum*, legitur.

460. DEMISSA AB LEVA. Antiqui aliquot codices, *a levo* legunt, ut subintelligatur, *humero*; sed *ab leva*, scilicet, *parte*, vel *manu*, magis recepta lectio.

474. HINC RUTULUS PREMIT, ET MURUM CIRCUMSONAT ARMIS. In codicibus aliquot antiquis, *circumsonat arcens*, legitur; in aliquot aliis, *Arruns*: ut non unus nominetur hostis, ad majorem timoris exaggerationem, seque honestius excuset, quod modico eum auxilio juvet. Mihi autem *armis*, ut in codicibus emendatioribus habetur, nequaquam displicet.

487. TABOQUE FLUENTES. In antiquo codice, *fluenti*, quippe *tabo*, legitur.

492. ILLE INTER CAEDES RUTULORUM. In Vaticanis omnibus codicibus, *caedem*, unitatis numero legitur: non ita in plerisque aliis.

502. NULLI FAS ITALO. In antiquis aliquot codicibus, mutato numero legitur, *Fas Italo nulli*; sed principium a spondeo versum omnino graviorem reddit.

506. MANDATQUE INSIGNIA TARCON. In antiquo codice, *Tarcho*. Alibi vero ex C. Julii Romani & quorundam aliorum sententia, nullum no-

nomen Latinum *on* litteris finiri monuimus. Quamvis Plinius nomina quaedam dicit proprios gentis suae vultus formamque apud nos etiam custodire. De nominibus autem hujusmodi Fab. Quintilianus ait, ut *Palaemo*, *Thelamo*, & *Plato* (nam sic eum Cicero quoque appellat) dicerentur, retinuerunt: quia Latini, quod o & N litteris finiretur, non reperiebant.

512. ET GENERI FATUM INDULGET. In Mediceo codice, plurali numero, *fata indulgent*, scriptum est.

514. HUNC TIBI PRAETEREA. In aliquot antiquis, legere est, *nunc tibi*; sed pronomen illud indicativum longe plus ponderis & energiae habere videtur, dicendo *hunc Pallanta*: nam & in pronomine ipso, & in proprio nomine emphasis est.

517. PRIMIS ET TE MIRETUR AB ANNIS. Sunt codices antiqui, in quibus legere est, *te imitetur*, absque synalepha; sed omnino *miretur* magis placet: quia plus est *mirari*, in quo rei, quam vix te assequi posse speres, magnitudo ostentatur. ARCADES HUIC EQUITES. In antiquis & emendatis codicibus, *Arcadas*, per AS, scriptum est, metro ita suadente: nam accusativus pluralis in ES Latinus esset, & non nisi producta ultima poneretur.

518. ROBORA PUBIS LECTA DABO. Antiqui aliquot codices, *corpora pubis*, legunt; sed omnino longe melius est, *robora*.

519 TOTIDEMQUE SUO TIBI NOMINE PALLAS. In codicibus aliquot antiquis legere est, *suo tibi munere Pallas*; sed enim Servius *nomine* agnoscit.

520. DEFIXIQUE ORA TENEBANT. Vetusta quaedam exemplaria legunt, *intentique*; sed enim, *defixi*, magis placet, quod prae se fert etiam stuporem quendam.

527. FRAGOR INTONAT INGENS. Antiqui plerique codices, Vaticanique omnino, cum Mediceo, & Porcio, *increpat*, legunt: quamvis, *intonat*, ea ratione Servio placet, quod alibi dictum a Poëta: *Fulminat Aeneas armis*. Quod vero paulo post sequitur, *pulsa tonare*, in antiquis aliquot, *sonare*, legere est. Sunt etiam vetusti admodum codices, in quibus, *fragor intonat aures*, legatur; sed hoc aliorum judicio relinquemus.

531. AGNOVIT SONITUM ET DIVAE. In Romano codice, non habetur *&*, ut per appositionem legas, *divae promissa parentis*. Eruditis tamen auribus vulgata lectio, *sonitum & divae*, magis adblanditur.

532. NE VERO HOSPES NE QUAERE PROFECTO. In codicibus aliquot antiquis, legere est, *ne quaere hospes, ne quaere profecto*. Utraque lectio & venusta est, & a Virgiliana phrasi non aliena.

537. QUAM MULTA SUB UNDAS SCUTA VIRUM GALEASQUE ET FORTIA CORPORA VOLVES. In Romano codice, legere est, *sub unda*, quod non displicet: in loco enim volvenda sunt. Sed, *sub undas*, ad locum, omnino vehementius est.

542. HERCULEAS SOPITIS IGNIBUS ARAS EXCITAT. In antiquis plerisque codicibus, *suscitat*, legitur, non inepte, quam lectionem agnoscit Servius.

543. HESTERNUMQUE LAREM. Placet Servio, *hesternum*, cui pridie sacrificaverat, improbatque *externum*: quod tamen & in Romano codice, & quibusdam aliis pervetustis codicibus invenitur. Sunt, qui *parvos penates*, *externos*, intelligant: quum solitus sit Poëta Aeneae Penates magnos deos appellare, ut eo loco: *Feror exsul in altum Cum sociis, gnatoque, penatibus & magnis Dis*: & per *magnos penates* jurat Ascanius in nono. Dixerat tamen Euandrus: *Communemque vocate Deum*. De quo plura Macrobius.

545. EUANDER PARITER, PARITER TROJANA JUVENTUS. In antiquis plerisque codicibus, *Euandrus*, per terminationem US scriptum est, quod hoc loco perplacet: quia sic ὁμοιοτέλευτον evitatur, quae tribus continuis dictionibus haberetur in ER, si *Euander* etiam legeretur. Quid vero veteres de nominibus hujusmodi tradiderint, alibi recitatum est.

555. OCYUS IRE EQUITES TYRRHENI AD LITTORA REGIS. Antiqui aliquot codices, *ad limina*, habent; sed *littora* peritioribus placet: nam inde navibus in castra provecti sunt. Id etiam observandum, quod Servius ait: OCYUS, *positivus antiquus est, id est, celeriter: nec enim potest esse comparativus, ubi nulla est comparatio*. At quo modo positivus, cujus masculinum *ocyor* sit, ut: *fulminis ocyor alis*? Quare dicendum potius comparativum esse pro positivo, ita tamen, ut insolitum quiddam significet. Ita ibi; *Adloquitur Venus tristior*, quam scilicet solita sit.

557. IT TIMOR ET MAJOR MARTIS JAM APPARET IMAGO. In Romano codice, *& timor & major*. Sed id forte solito more. Sunt etiam vetusti codices, in quibus absque particula *jam* ita legitur: *major Martis apparet imago*. Nostrae tamen aetatis ingeniis, *jam*, illud interpositum magis adridet, quod nescio quid addat carminis majestati.

559. HAERET INEXPLETUM LACRIMANS. Non placet, quod in quibusdam codicibus antiquis, *inexpletus*, legitur: quamvis agnitum veterum etiam temporibus. In aliquot aliis, *in amplexus lacrimans*, habetur; sed *inexpletum* agnoscunt eruditi omnes.

561. CUM

561. CUM PRIMAM ACIEM. In antiquis codicibus, *primum*, legitur; sed melius, *primam acem*.

563. REGEM HAC ERYLUM. In Romano codice, *Erulum*, per U, more suo, ut *Sibulla*, pro, *Sibylla*, *Thrasullus*, pro, *Thrasyllus*, & alia hujusmodi passim apud Tacitum, & aliquot alios.

569. NEQUE FINITIMUS MEZENTIUS UNQUAM HUIC CAPITI INSULTANS. In antiquis aliquot codicibus, *finitimo*, legitur, vel mihi, vel huic capiti. *Et exultans dedisset funera.* Legitur & *usquam*, in codicibus aliquot antiquis, quod pertinet ad repetitionis ornatum, si cui ita legere placuerit:

Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Guate, tuo. Neque finitimo Mezentius usquam
Huic capiti insultans tot ferro saeva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.

Quo loco Servius ait, proprie *viduasset* dictum a Virgilio, quia urbs est generis foeminini; abusive vero & satis incongrue ab Horatio dictum: *Viduus pharetra risit Apollo.* Quia scilicet putat ipse *viduam*, quasi *viro iduam* dici. Atqui sunt ex Grammaticis, quorum auctoritas minime contemnenda est, qui *viduum*, a *ve* & *duitate*, dictum velint, sicut *vesanus*, *non sanus*, atque ita non incongrue dixerit Horatius *Viduus Apollo*.

572. AT VOS, O SUPERI, ET DIVOM TU MAXIME RECTOR JUPPITER, ARCADII QUAESO MISERESCITE REGIS; ET PATRIAS AUDITE PRECES. In antiquo admodum codice, lectio haec variat in hunc modum:

Divom tu maxume rector,
Jupiter, Arcadii quaeso reminiscere regis,
Exaudique preces patrias.

Vulgata tamen lectio plures habet fautores: quia sequitur: *Si numina vestra Incolumem Pallanta mihi, si fata reservent:* apostrophe ad plures.

576. SI VISURUS EUM VIVO. In codicibus aliquot antiquis, *vivom*, legitur: quod non ita placet: nam ad id, quod nonnulli objiciunt, recte *vivom* positum, quia praeter vota vidit eum postmodum, sed non vivum, responsum fuerim, satis esse, quod jam dixerat: *Si numina vestra Incolumem Pallanta mihi, si Fata reservent.* Et quia non satis erat desiderio patris filium esse incolumem, nisi & jucundissimo ejus frueretur aspectu, ejusque complexus peteret, adjecit: *Si visurus eum vivo, & venturus in unum.*

577. PATIAR QUEMVIS DURARE LABOREM. In antiquis pene omnibus codicibus, *patior*, est praesenti tempore, quod auget assensum, & rem jam actu esse subinnuit: vel ad incommoda senectutis respicit, quae per se ipsa morbus est, de qua Comicus ait: χαλεπὸν τὸ γῆρας ἐς ἀνθρώποις βάρος.

579. NUNC, NUNC O LICEAT. In antiquissimo codice Romano, & quibusdam aliis, legere est, *nunc, a nunc liceat:* quod quantam prae se ferat venustatem & elegantiam, nulli arbitror ambiguum esse.

581. MEA SOLA ET SERA VOLUPTAS. In Mediceo, & in Porcio transpositis verbis legere est, *mea sera & sola voluptas:* quod majori cum orationis ornatu, si diligenter inspicias, factum animadvertes. Est vero hoc, cujusmodi filium Homerus vocat: τηλύγετον, τηλυγέτῳ, καὶ μοῦνον ἐόντα.

582. COMPLEXU TENEO. In Romano codice, legere est per participium, *complexus:* dum te complexus. Sed enim *complexu* omnino melius. GRAVIOR NE NUNCIUS AURES VULNERET. In codicibus antiquioribus, scriptum est, *nuncius auris volneret*. Exponit vero Marcellus, *gravior*, *tristior*.

584. FAMULI COLLAPSUM IN TECTA FEREBANT. In antiquis codicibus, *conlapsum*, habetur, praepositione incolumi, instar ejus inscriptionis, quae Romae adhuc superat in monumentis L. Septimii Severi Pii:

ARCUS CAELIMONTANOS PLURIFARIAM
VETUSTATE CONLAPSOS ET CONRUPTOS
A SOLO SUA PECUNIA RESTITUERUNT.

592. OCULISQUE SEQUUNTUR. In plerisque vetustis codicibus, *secuntur*, notatum observes; sed enim per Q scribendum Victorini sententia est. Alii quidam Q in verbo *sequuntur*, & *loquuntur*, ita adamarunt, ut eorum etiam participia *secutus*, *locutus*, per Q, *sequutus*, *loquutus*, scribere voluerint, praecipientes horum scriptionem ad originem referri debere.

603. TUTA TENEBANT CASTRA LOCIS. In aliquot codicibus antiquis, legere est, *cuncta tenebant castra:* quod si admittas, Servii omnis ambiguitas tolletur: *Namque omnis furiis surrexit Etruria justis*, quae castra eo loco metata erat.

610. ET PROCUL EGELIDO SECRETUM FLUMINE VIDIT. In Romano codice, *haec gelido*, ut sit *haec*, scilicet Venus, quod incomptum videtur. In aliis ET, in aliis E separatim legitur. Placet vero unica dictione, *egelido*, per compositionem particulae, quae valde significat.

619. MIRATUR INTERQUE MANUS. In plerisque codicibus antiquis, legere est, *miraturque interque manus:* quod quidem mihi plurimum placet.

624. AUROQUE RECOCTO. In Oblongo codice,

dice, quem Pomponii Laeti delitias ajunt, *auroque nitentem*, legitur, ut sit, Levis ocreas electro, auroque nitentem hastamque & clypei non enarrabile textum. Sed magis placet, *recocto*, ut in reliquis omnibus exemplaribus habetur.

633. Illam tereti cervice reflexam, Mulcere alternos. In Romano codice, *reflexa*, eodem casu cum cervice legitur; sed *reflexam*, figuratum magis. Operae precium vero est hujusmodi figuram plerisque in locis, tum ex marmore, tum ex aere, Romae spectare. Ambigas enim utrum Virgilius a sculptoribus, an sculptores a Virgilio hujus imaginis desumpserint exemplar. Quod vero subsequitur, *& corpora fingere lingua*, sunt antiqui codices, in quibus *lingere* scriptum sit; sed enim *fingere*, pro, *tergere*, agnoscit Servius etiam M. Tullii Ciceronis usu.

635. Raptas de more Sabinas. Sunt, qui *de more*, praeter morem, hoc loco teste dici velint; sed enim ego de quidem illud in nullis antiquis codicibus notatum observavi. Passim, *raptas sine more*, scriptum animadverti; sed id de paraphrasti sumptum puto. Quod vero sequitur, *consessu caveae*, dictio, *consessu*, corrupta plurimum est in codicibus antiquis

641. Et caesa jungebat foedera porca. Quintilianus libro octavo, ubi de ornatu disserit, *Quaedam*, ait, *non tam ratione, quam sensu judicantur, ut illud*, Caesa jungebat foedera porca. *Fecit elegans fictio nominis, quod si fuisset* porco, *vile erat*. Quod vero ait Servius falso dictum a Virgilio *porca*, quod ad hoc sacrificii genus *porcus* adhiberetur, Suetonius Tranquillus in vita Claudii contra opinionem Servii: *Cum regibus foedus in foro icit, Porca caesa*, inquit. Tametsi Livius quoque *porcum* statuit.

642. Citae Metium in diversa quadrigae Distulerant. Antiqui omnes codices, quotquot habui, *Metum*, legunt, dictione bissyllaba, quam alibi unico t, alibi geminato reperias: mutilatamque esse dictionem caussa metri Servius ait, dum ipse quoque *Metum*, bissyllabum agnoscit. Sane *Mettius* duplicato t, pluribus locis in veterum monumentis scriptum animadverti. Placentiae in D. Pauli templo L. METTIVS. L. F. duobus TT notatum est: & Romae in aedibus Pauli Plancae legere est, Q. METTIO & P. METTIO; tametsi non ignorem & METIA, & METIVS, unico t alibi notatum. Utcumque vero, primam in eo nomine syllabam produci volunt. Sed enim hic minime praeterire possum, quod pervulgato errore in Livianis codicibus, & alibi passim *Metius Suffetius*, per s prima littera scriptum est, cum dubioprocul *Fuffetius* per f sit scribendum. Ita etiam apud Dionysium Halicarnaseum & Graecos alios invenias Φυφέτιον. Praeterea, si qui noluerint Graecis adhibere fidem, ostendit mihi Janus Parrhasius, vir utraque lingua eruditissimus, T. Livii codicem vetustate venerabilem, in quo *Fuffetius* scriptum erat prima littera per f, non per s. Quem quidem codicem nomina quaedam speciosa, Vindicianus, Nicomachus Dexter, & Victorianus se emendasse adscripserunt, idque in Symmachorum gratiam fecisse professi sunt. Ad haec, & Nonii Marcelli vetustum codicem protulit, & alios quosdam auctores, in quibus eodem modo *Mettius Fuffetius* scriptum habebatur. Ajunt praeterea Pomponium Laetum totius antiquitatis virum observantissimum, qui superiori aetate in Romano Gymnasio primas obtinuit, saepius inclamitare solitum, *Fuffetius* dicendum.

643. At tu dictis, Albane, maneres. Eodem aetatis vitio, quod saepius adnotavimus, in codicibus aliquot legitur, *Alvane*, per v digammon: quo sono hujusmodi nomina Hispani adhuc magna ex parte pronuntiant. Id quod priori etiam aetate frequentissimo usu receptum, Adamantium compulit, ut *albus*, *alba*, *album*, per b mutam scribendum praeciperet, discretionis gratia, ut *alvus* ab *albus* discerneretur: quae nomina tunc corrupta pronuntiandi ratione confundebantur. Est vero haec parenthesis, & apostropha conjuncta simul:

Haud procul inde citae Metium in diversa quadrigae
Distulerant (*at tu dictis*, *Albane*, *maneres*)
Raptabatque viri mendacis viscera tellus:

ut Quintilianus observat.

645. Et sparsi rorabant sanguine vepres. Pomponius foeminino genere *vepram* dixit, ut Nonius attestatur. Et apud Lucretium legitur libro quarto: *Nam saepe videmus illorum spoliis vepres volitantibus auctas:* quamvis ita dici debere neget Caper in Orthopeia.

646. Nec non Tarquinum ejectum Porsenna jubebat accipere. In codicibus antiquis, *Tarquinium*, quadrisyllabum esse diximus alibi, & Poëtarum testimoniis secundam a principio syllabam esse brevem ostendimus. *Porsena* quoque, unico n scribitur in antiquis plerisque: ut quae per se longa esse possit in *Murena*, *Ausilena*, pene ultima: tametsi jure suo, *Hanc spectare manum Porsena non potuit*, dixerit Martialis: non aliter ac illud etiam: *Traducta est Getulis, nec coepit barena nocentis*, duabus syllabis eluxatis. Illud etiam advertendum, quod Servius Lucretiae stuprum ab Arunte illatum ait; quum Livius Sextum dicat.

650. Pontem auderet quod vellere Cocles. In antiquis omnibus codicibus, quorquot habui, legi, *audere quia vellere*. In uno ex anti-

antiquioribus, *qui. avellere*, notatum est, puncto inter I & A, librariorum inscitia interjecto, quum forte, *quia*, scriptum invenissent; sed puto ego, *quia*, desumptum ex paraphrasi, & *quod*, antiquam esse lectionem.

652. CUSTOS TARPEJAE MANLIUS ARCIS. In Romano codice, *Malius*, legitur unico L; sed in Oblongo, & aliis, *Mallius*, LL geminato, ut apud Catullum in codicibus emendatis. Sane *Manlius*, per N parcissime habetur in antiquis his exemplaribus: tametsi apud Livium in veteri codice *Manlius* saepe legatur. Neque tamen mirum, si aliter inveniatur usquam; quum & antiquorum inscriptiones in hoc nomine, perinde ac etiam in aliis, plurimum varient.

654. ROMULEOQUE RECENS HORREBAT REGIA CULMO. Per litterarum transpositionem, in Romano codice, *Rumoleo*, scriptum est; nisi a *ruma Rumolum*, quod ajunt, dictum velis, atque inde *Rumoleus*, quod ego nusquam alibi observavi. Sed apud Asprum in antiquo codice, *Romolus*, omnino scriptum est per o in pene ultima, ut *popolus* in XII. Tabulis.

655. ATQUE HIC AURATIS VOLITANS ARGENTEUS ANSER PORTICIBUS. In quibusdam codicibus antiquis, *hinc*, legitur; sed Servius agnoscit *hic*, dum exponit in Capitolio.

657. GALLI PER DUMOS ADERANT. In antiquo admodum codice, *olli per dumos:* quia jam positum erat: *Gallos in limine adesse canebat*. Caeterum ea repetitio tam nominis quam verbi mihi non parum venustatis & elegantiae habere videtur: *Gallos in limine adesse canebat, Galli per dumos aderant.*

659. AUREA CAESARIES ILLIS. Hoc autem loco *ollis*, in antiquis habetur exemplaribus.

663. HINC EXSULTANTES SALIOS. In antiquis aliquot, *hic exultantis. Hic*, hoc est, in scuto, vel in hac parte.

664. ANCYLIA. In antiquis codicibus manu scriptis, *ancilia*, per I Latinum scribitur. Et eodem pacto in Antonini Pii nummis notatum est, ubi scuta tria oblonga ovali propemodum figura inspiciuntur, cum inscriptione: ANCILIA.

665. EXTUDERAT, CASTAE DUCEBANT SACRA PER URBEM PILENTIS MATRES IN MOLLIBUS. In Romano codice, *extuderant*, legitur numero multitudinis, ut de Cyclopibus intelligatur; sed magis placet, *extuderat*, ut omne opus ad Volcanum referatur, uti superius: *Fecerat Ignipotens:* & paulo infra: *Hinc procul addit.* Et in emendatis Prisciani codicibus, *extuderat*, est, ubi ait: *Tundo tutudi, cujus pene ultimam antiqui modo producebant, modo corripiebant.* Virg. VIII. *Coelo extuderat.* Enn. in Ann. *Viresque calentis Contudit crudelis hyemis.* Insulsum vero illud est, quod apud Interpretes legitur, *Matronat non nisi castos pilentis usas*, quum *casta*, sit epitheton *matronis* adcommodatum. Praeterea tangit hoc loco Virgilius historiam, quod matronis concessum est, ut pilento ad sacra, ludosque veherentur. Sed animadvertendum est, perperam in vulgatis exemplaribus Livii, *plaustro* legi, pro *pilento*, ut veteres codices habent: ita enim locus ille legitur: *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis hab.tum, ut Pilento ad sacra, ludosque, Carpentis festo, profestoque uterentur.*

672. SED FLUCTU SPUMABANT CAERULA CANO. In antiquis plerisque codicibus, *spumabat*, unitatis numero legitur, ut sit: Caerula maris imago spumabat fluctu cano.

675. ACTIA BELLA. In antiquis codicibus fere passim legitur *Accia*, CC geminato, quod a similitudine quadam inter C & T, quae est in litteris Longobardicis, evenisse puto, quum *Actia*, per CT sit scribendum. *Actia* enim, Acarnaniae oppidum, ab Ambracio sinu venientibus, ubi templum Apollinis, & certamina Gymnica, & Equestria celebrabantur: unde *Apollo* & *Actaeus*, & *Actiacus* cognominatur. Arcadius in Orthographia: Ἀκτία inquit, καὶ ἡ πόλις καὶ ἡ ἑορτή· ἀλλ' ἡ μὲν ἑορτὴ βαρύνεται τὰ Ἄκτια. *Attius* tamen, uti superius comprobatum est, pro nomine proprio ab *Ati*, duplicato T, etiam asserente Victorino in praeceptis de Orthographia, scribi debet, cui pleraeque veterum inscriptiones adstipulantur.

676. TOTUMQUE INSTRUCTO MARTE VIDERES FERVERE LEUCATEN. Antiqui aliquot codices, *extructo*, legunt: aliquot alii, *instructum*, per accusativum, quippe *Leucatem*; sed enim, *pugnam instruit*, apud Latinissimos historicos saepe. Quare melius *instructo Marte.*

680. STANS CELSA IN PUPPI. In Romano codice, & quibusdam aliis, *stat*, verbi, non participii forma, legitur. Respicit enim rectum suum, *Augustus agens Italos*, & quae sequuntur: quod si, *stans*, legas, subaudiendum, *sculptus erat.*

683. ARDUUS AGMEN AGENS. In aliquot antiquis, *arduos*, ea religione, quam superius contra Terentii Scauri sententiam nonnullos diximus observasse.

685. VARIISQUE ANTONIUS ARMIS. In codicibus aliquot antiquis, *variis Antonius armis*, legitur, absque particula *que:* ut sit: Armis variis opera Barbarica: de habitu enim & ornatu hic agitur, quo singuli internoscerentur.

687. AEGYPTUM VIRESQUE ORIENTIS. Sunt codices, in quibus, *Aegyptum*, per U scriptum inspicitur: & ita notari solitum Augusti temporibus, qui ea littera etiam in formae superlativae nominibus delectabatur, inscriptio declarat Horologii, quod in campo Martio erexit: in cujus basi haec adhuc inspiciuntur:

Aegupto in potestatem populi Romani redacta.
Et quae plurima hujusmodi supra recitavimus. Sane vero in Hadriani nummis utroque modo legitur, nunc AEGUPTOS, per v vocalem Latina; nunc AEGYPTOS, per υ ψιλὸν Graecam.

688. Sequiturque, nefas, Aegyptia conjux. Ita hic *Aeguptia*, in quodam antiquo codice, *conjux* vero, variat, & in veteribus codicibus, & in marmorum inscriptionibus, ut alibi dictum. Quantum vero pertinet ad sententiam, D. Hieronimus ad Oceanum de Vita clericorum locum hunc citat: quia Virgilius *nefas* posuit. *Uxores enim*, ait ille, *castra non sequebantur*. Quamvis *Romanis civibus matrimonia cum exteruis non permissa*, Livius dicit. Et super hoc Severinus in Topicis Ciceronis plura.

690. Convulsum remis, rostris stridentibus aequor. In antiquis, *convolsum*. De *rostris* vero *stridentibus*, in quinto Aeneidos multorum recitavimus opiniones; inserendumne esset *que*, an aliter legendum: quae non videntur nunc ad repetendum necessaria.

692. Aut montes concurrere montibus altos, Tanta mole viri turritis puppibus instant. Haec quidem non tam Hyperbole poëtica est, quam ex historia locus sumptus. Apud Florum enim legas de navalibus Antonii: *Sed numerum magnitudo pensabat: quippe a senis in novenos remorum ordinibus: ad haec turribus, atque tabulatis allevatae, castellorum & urbium specie, non sine gemitu marit, & labore ventorum ferebantur: quae quidem ipsa moles exitio fuit.*

698. Et latrator Anubis. In codicibus aliquot antiquis, *natator Anubis*, syllaba reclamante legitur, cum interpretatione superaddita, *sagax*. Natatores enim, nonnunquam proverbiali schemate, de iis dici solet, qui abditissima quaeque pervestigant: deque remotissimis penetralibus aliquid indagando eruunt; quum de stupidis contra, & rerum omnium ignaris, dici soleat: μήτε νεῖν, μήτε γράμματα. Sed enim Virgilius Aenigmata hujusmodi solitus est abhorrere. Quare *latrator*, omnino tam ex probatioribus exemplaribus, quam etiam ex Ovidii Synepeia legendum. Apud eum enim Metamorph. nono, *Cum qua latrator Anubis. Anubis* enim apud Aegyptios canino capite figurabatur. Quae vero multa de hujusmodi pictura dici possent, alterius esse negotii existimamus. *Sagax* autem, etiam *canis*.

701. Tristesque ex aethere Dirae. In Romano codice, & in Mediceo, *divae*, legitur; sed *dirae*, magis placet, quod agnoscit Servius. Tametsi *divae*, cum epitheto *tristes*, periphrasis Dirarum esse possit.

703. Quam consanguineo sequitur Bellona flagello. Legendum distinctis dictionibus, *cum sanguineo*: quod inscitia librariorum fere passim corrumpitur.

704. Accius haec cernens arcum intendebat Apollo. *Actius*, hic legendum, ut superius adnotatum. Est vero in Mediceo, *tendebat*, simplex verbum, ut apud Horatium: *Neque semper arcum Tendit Apollo.*

705. Terrore Aegyptus et Indi. In antiquis *Aeguptus*. Valerius vero Probus *Aeguptos*, per *os* agnoscit, ubi hujus carminis exemplo rectum in *os* quorundam nominum corripi tradit.

706. Omnis Arabs. In codicibus aliquot antiquis, *Araps*, per P scriptum est: nempe quia sonus litterae ψ in PS exire videretur. Hinc Scaurus, ut alibi dictum, ait voluisse nonnullos, *opstitit*, etiam per P scribere; sed enim inesse B mediam litteram in littera ψ declarant obliqui casus, ut Ἄραψ Ἄραβος. Et tamen eam, quam tangit Scaurus, consuetudinem mutandi B in P ante S, quod ψ sonaret, in plerisque veterum inscriptionibus animadverti, ut quam e regione sacelli Divi Eustachii legisse me superius ostendi, AUT HANC ARAM APSTULERIT. Et ita in plerisque aliis locis.

710. Et Iapyge ferri. In antiquis aliquot *Iapuge*, ut ejusmodi pleraque.

717. Laetitia ludisque viae. In Oblongo codice, *lusu*, legitur: quod non aeque placet.

718. Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aris. In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, legere est, *omnibus arae*, quod longe magis placet. *Arae* enim ad preces extruebantur.

722. Incedunt victae longo ordine gentes. In codicibus aliquot antiquis, *matres*, non, *gentes*, habetur; sed *gentes* rem facit ampliorem: & statim ad earum species descendit, genere jam posito.

724. Hic Nomadum genus. In antiquis plerisque codicibus, *Numidum*, legitur, quo pacto gentem eam ab Romanis appellari tradit Appianus, ut alibi diximus.

725. Sagittiferosque Gelonos Finxerat. In Romano codice, *tinxerat*: in aliquot aliis, *fixerat*: utrumque librariorum negligentia.

728. Indomitique Daci. Nomen hujus gentis varie scribitur in antiquis codicibus: nam codices omnino sunt, in quibus *Daci* scriptum habeatur. In aliquot *Dacae*. In Romano codice *Dahae*, adspiratione interjecta, unde factum ut etiam *Dache*, veluti accidit in *nichil*, alicubi notatum inveniatur. Sed enim *Daae* recipitur ab eruditis, qui sunt Scythiae populi. Hermolaus Byzantinus, ut ex Stephani compendio legitur, Δάαι Σκυθικὸν ἔθνος· εἰσὶ δὲ Νομάδες. λέγονται καὶ Δάκαι μετὰ τοῦ κ.

In

In quo advertendum est, impressos codices corruptos esse. Sed enim & *Daci*, ex regione *Dacia*, juxta Borysthenem dicuntur, quos a Graecorum consuetudine in Comoediis *Davos* appellamus, pro servorum nominibus. Eos Attici Δᾶυς dicunt. Vergunt illi in Germaniam, & ad Istri fontes, ut idem auctor est Hermolaus.

729. TALIA PER CLYPEUM VULCANI. In antiquis, *per clupeum Volcani:* de cujus utriusque ratione satis superque superius disputatum.

LIBER NONUS:

SCEPTRA PALATINI SEDEMQUE PETIVIT EUANDRI. In Romano codice, in Mediceo, & in quibusdam aliis legere est, *Palantini*, a *Pallante*, uno expuncto L, ut syllaba prima corriperetur. Magis tamen video placere, *Palatini:* sed hoc parvi refert. Longe vero majoris momenti est, quod sequitur, *petivit*. Sed enim & pro, *sedem*, *regnum*, in codicibus aliquot manu scriptis observavi: quum tamen & Romanus, & plerique alii codices, *sedem*, legant. In Romano praeterea codice, *petIt*, pro *petiit*, more suo unico I scriptum est, ut versus sit spondaicus. Nam *Euandri* prima correpta, nusquam, quod meminerim, observavi.

11. LYDORUMQUE MANUM COLLECTOSQUE ARMAT AGRESTES. In codicibus aliquot antiquis legere est, *Lydorumque manum & collectos armat*. In nonnullis absque ulla copulativa secundo membro, *Lydorumque manum collectos armat agrestes.*

12. NUNC TEMPUS EQUOS, NUNC POSCERE CURRUS. In Mediceo, & aliquot aliis, *currum*, unitatis numero legitur.

13. RUMPE MORAS OMNIS TURBATAQUE ARRIPE CASTRA. Trochaeus ille ex *turbata*, vel *que* particula absque collisione servata, multis negotium facessit; sed enim in codicibus omnibus Vaticanae bibliothecae, in Mediceo, & aliquot aliis pervetenbus legi, *& turbata arripe castra*. Quam lectionem ab eruditis receptam jam animadverti.

14. DIXIT ET IN COELUM PARIBUS SE SUSTULIT ALIS. In aliquot antiquis codicibus, *pariter*, habetur, ut sententia sit: simul atque ita locuta est, abvolavit.

16. DUPLICESQUE AD SIDERA PALMAS SUSTULIT, AC TALI. In antiquis aliquot, *duplicis ad*, absque *que:* &: *substulit & tali.* Sed reliqua utcumque legeris, facile tulerim; auferri vero ex hoc loco, *que*, particulam nunquam probaverim.

20. VIDEO MEDIUM DISCINDERE COELUM. Antiqua fere omnia exemplaria legunt, *medium video discedere coelum*; sed illud, *medium video*, aut, *video medium*, parvi refert. *Discedere* vero proprie dicitur coelum, in hujusmodi signis, dum aperiri videtur. Utitur eadem elocutione M Tullius in libro de Divinatione: *Nam & coelum discessisse visum est.* Quem locum, ut ingenue, hoc est more meo, loquar, mihi in memoriam redegit Jo. Bapt. Sanga, civis meus, in quo tam admirabilis quaedam morum integritas, quam stili gravitas & elegantia certare quodammodo videntur, sive carmen, sive orationem velis: cujus ego opera usus sum, dum antiquissimum illum codicem Vaticanum notae majoris evolvebam. Usque adeo studium ille in hac re meum semper approbavit, ut mecum interdum labores hos tolerare non aufugerit.

21. SEQUAR OMINA TANTA. In plerisque codicibus vetustis, *sequor*, praesenti tempore, legitur, quod magis placet: promptiorem enim ostendit animum ad obsequendum.

22. QUISQUIS IN ARMA VOCAS. In codicibus aliquot antiquis, *vocat*, persona tertia notatum est; sed *vocas*, non improbatur.

24. ONERAVITQUE AETHERA VOTIS. Plerique veteres codices manu scripti, *oneravit aethera*, absque particula *que* legunt. Neque desunt Grammatici, qui figuram tueantur, ut eo loco facere contendunt: *Cum clamore Gyas revocabat, ecce Cloanthum:* & quod paulo ante legebamus, *Turbataque arripe castra.* Sunt, qui *aëthera*, per diaeresin legant, ut apud Ovidium: *Tertia post illos successit aënea proles.* Sed enim & eleganter & absolute, *oneravitque aethera*, positum videtur, ut, quae necessaria fuerant ad augurium confirmandum, tribus invicem colligatis membris efferantur: *Ad undam Processit, summoque hausit de gurgite lymphas, Multa Deos orans, oneravitque aethera votis.*

26. DIVES PICTAI VESTIS ET AURI. Locus ex illis quattuor, in quibus ea Diaeresi Virgilius sit usus, ut notat Probus.

31. AUT PINGUI FLUMINE NILUS, CUM REFLUIT CAMPIS ET JAM SE CONDIDIT ALVEO. Protuerit interdum etiam, quae sententiam dilucidiorem reddunt, interserere, ut hoc loco, qui doctissimis etiam ingeniis negotium facessit: quum videantur adversa, atque inter se pugnantia, campis refluere, & jam alveo se condere. Alludit vero hoc ad visendae magnitudinis Colossum Nili, qui quamvis per arva longe lateque diffundi videretur, bona tamen corporis parte alveo demersus esset. Estque illud, *& jam*, pro, *& etiam*, ut alio

alio loco III. Georg. exponit Comminianus, ubi: *Invalidus etiamque tremens etiam inscius aevi*, scriptum: ait *& jamque*, atque esse *jam*, pro, *etiam*. Quam quidem sententiam saniorem esse ostendit id, quod de Turno paulo ante dixerat: *Medio dux agmine Turnus Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est*. Hic vero versus totus in codicibus aliquot antiquis desideratur.

37. Ferte citi ferrum, date tela, scandite muros. In Romano codice, in Mediceo, & quibusdam aliis legere est, *& scandite*. In Oblongo, *ascendite*: quia scilicet veriti sint *tela*, ultimam corripere: quum nonnulli judicaverint s in *scandite*, & similibus, spiritum esse potius, quam litteram, ut eo loco: *Ponite spes*; sed enim quamvis non negarim s aliquando solitam elidi; hoc tamen loco facere positionem crediderim, potius quam vel, *& scandite*, vel, *ascendite*, legerim. Ipsa enim loquentis festinantia cum trepidatione, membra haec dissoluta exposcere videtur. Quamvis sunt non inerudit viri, qui versum dicant pleniorem ac numerosiorem, si, *& scandite*, legitur.

42. Ne struere auderent acies. In quibusdam antiquis codicibus, *aciem*, singulari numero legitur: quod poëticum magis est. Praeterea in Mediceo, & nonnullis aliis manu scriptis, *Neu struere auderent aciem*: quod in aliis *ne* legitur.

43. Et tutos servarent aggere muros. In Oblongo codice, *tuto aggere*, legitur. In aliis, *tutos*, quod tantundem est.

51. Qui primus in hostem. In Mediceo codice, *quis primus*, habetur.

52. Et jaculum intorquens. In aliquot manu scriptis codicibus, *torquens*, legas: sed in Romano, in Mediceo, & plerisque aliis, *adtorquens*. Illud vero minime placet, quod pro *emittit in auras*, *evertit*, legitur.

53. Et campo sese arduus infert. In Romano codice, *campis*: & pro, *infert*, sunt codices, qui legant, *affert*: quod non aeque placet. Addam &, *arduos*, inveniri alicubi, de quo superius satis dictum.

54. Clamorem excipiunt socii. In Romano codice, *clamore*, septimo casu legitur: quod etiam superius habuimus: loquitur enim de sociorum adclamatione, quae fieri solet, quum regi adplauditur.

66. Ignescunt irae, et duris dolor ossibus ardet. In antiquis omnibus codicibus, quotquot inspexi, absque particula, *&*, notatum animadverti: *Ignescunt irae, duris dolor ossibus ardet*. Et in Mediceo pro, *ardet*, *haeret*, habetur.

67. Qua tentet ratione aditus, et qua via clausos Excutiat Teucros vallo. In Romano codice, & plerisque aliis legere est, *& quae via*, quae lectio Servio etiam videtur absolutior. In aliquot aliis legitur, *clauso excutiat Teucros vallo*.

68. Atque effundat in aequor. In Romano codice legere est, *in aequum*, ut scilicet aequo omnes pede conferre manus possint: nam Turnus nunc iniquo pugnat loco, dum illi in castris aggeribus & vallo clausi obteguntur. Hic in aperto provocat: mirabanturque paulo ante Rutuli *Teucrum inertia corda Non aequo dare se campo*.

70. Aggeribus septam circum. In Romano codice, *clausam*; sed enim, *saeptam*, magis placet: id vero per ae diphthongon scribitur.

79. Prisca fides facto, sed fama perennis. In Romano codice legere est, *fit fama perennis*. Quia D saepe vertit in T. maximeque *set*, pro *sed*, scribere solet; & E pro I, & vice versa I pro E: nam *sed*, omnino agnoscit Servius.

82. Ipsa Deum fertur genitrix Berecynthia. In Romano codice legitur, *Ipsa Deum genetrix fertur Berecynthia*. Ac de E in pene ultima nominis hujus, *genetrix*, satis superque dictum alias.

89. Nunc sollicitam timor anxius urget. In omnibus Vaticanae bibliothecae codicibus, & in Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis, *angit*, non *urget*, est.

91. Ne cursu quassatae ullo, neu turbine venti. In Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis codicibus antiquis, *neu cursu*, legitur, eadem repetitione, qua etiam superius in iisdem codicibus observavimus eo versu: *Neu struere auderent aciem, neu credere campo*.

102. Qualis Nereia Clotho. In codicibus aliquot antiquis, *quales*, numero multitudinis legitur. In Vaticanae bibliothecae omnibus exemplaribus, *Doto*, non *Clotho*, scriptum observavi. Quam lectionem in Valerii quoque Flacci codicibus emendatis invenias: *Quam Panope Dotoque soror:* licet Professores nonnulli, qui aetatem nostram proxime praecessere, *Clotho*, reponendum ex hoc Virgilii loco censuerint. Sed in Oblongo etiam codice nomen hoc altera manu depravatum est, quum *Doto*, prius scriptum esset. Praeterea Homerus lib. XVIII. Iliados cum Galatea, Doto, & Proto enumerat, atque alias complures Nerei filias, quae mare incolunt, neque cum iis Clotho recensetur. Ait enim: Δωτώ τε Πρωτώ τε Φέρουσά τε Δυναμένη τε. Paulo vero infra: Καὶ ἀγακλειτὴ Γαλάτεια. Eadem sunt apud Hesiodum in Theogonia, excepto epitheto Galateae, quam formosam Hesiodus vocat. Quumque Nymphas eas omnes numero quinquaginta recenseat, quae Νηρῆος ἀμύμονος ἐξεγένοντο, Clothus nusquam mentionem facit. Quare & his rationibus, & veteribus fretus excm-

exemplaribus, omnino legerim, *Nereia Doto.* Quod vero sequitur, *& Galatea*, in Romano codice *aut*, discretiva particula habetur.

109. ADMONUIT SACRIS RATIBUS. In antiquis fere omnibus codicibus legere est mutato numero: *admonuit ratibus sacris.*

110. LUX OCULIS EFFULXIT. In Romano codice, & aliquot aliis, *offulxit*, & *obfulxit* habetur; sed *effulsit*, receptum.

113. AGMINA COMPLET. Et *conplet*, & *conplerant* per N, & ita reliqua scribuntur praepositione incolumi, in antiquioribus quibusdam codicibus.

117. GENITRIX JUBET. In quibusdam codicibus antiquis ita scriptum inveni, *Genetrixque jubet, sua quaeque continuo* &c. ut sit: *Vox excidit: Ne trepidate*, & quae sequuntur: *Genetrixque jubet, vos ite solutae, Ite Deae pelagi, Sua quaeque continuo puppes Abrumpunt vincula.* Sed enim *genetrix jubet*, ex persona Deae magis placet.

120. HINC VIRGINEAE (MIRABILE MONSTRUM) REDDUNT SE TOTIDEM FACIES. In Romano codice legere est, *mirabile dictu*; sed *monstrum* magis placet. Quod vero sequitur, REDDUNT *se totidem facies*, in antiquis aliquot, *redduntur totidem* habetur.

121. QUOT PRIUS AERATAE STETERANT AD LITORA PRORAE. Versus hic non habetur prorsus in Romano codice, neque in Mediceo, neque quidem in plerisque antiquis, nisi subdititius. Habet vero locum in decimo, ubi Nymphae Aeneae obviam fiunt. Caeterum illud non omittendum, quod ubi invenitur adscripticius, non, *prorae*, sed, *puppes*, legitur. *Prorae* enim *pelago obvertuntur*, & *stant litore puppes.* In Oblongo vero codice, neque *prorae*, neque *puppes*, legitur; sed *naves.* Id autem loco suo examinabitur. Neque tamen dissimulandum, quod in codice Porcio versus is, qui desideratur in aliis, invenitur quidem; sed non eo ordine, quo in vulgatis exemplaribus; sed ita transpositus:

Ima petunt, hinc virgineae mirabile monstrum,
Quot prius aeratae steterant ad litora prorae,
Reddunt se totidem facies, pontoque feruntur.

Quae quidem structura, si versus sit admittendus, longe videtur elegantior.

124. TURBATIS MESSAPUS EQUIS. Non placet, quod in Romano codice legitur, *turbatus.* Praeterea *Messapus* varie scribitur: nonnullis, uti dictum, SS, nonnullis PP geminantibus: neque id constanter: aliis etiam utramque consonantem simpliciter scribentibus.

126. AT NON AUDACI CESSIT FIDUCIA TURNO. In codicibus aliquot antiquis, ad cappacismum evitandum, transpositis dictionibus legitur: *At non audaci Turno fiducia cessit.* Sed enim *cessit fiducia Turno* versum reddit sublimiorem, validioremque, qui languescere videatur, si *fiducia cessit*, legas.

130. EXPECTANT RUTULOS. In antiquis, *expectant.* Sed enim Grammatici quidam in hoc significato adimunt S, uti alibi dictum.

131. RERUM PARS ALTERA ADEMPTA EST. Neque id placet, quod in Romano codice legere est, *dempta est*, quum aures magis impleat, *adempta*, quod forte factum per apostrophen.

132. TERRA AUTEM IN NOSTRIS MANIBUS. Ita est in Romano codice, & in Oblongo, & in Mediceo; sed in aliis quibusdam antiquis, legere est, *in manibus nostris.* TOT MILLIA GENTES ARMA FERUNT ITALAE. *Milia*, unico L, antiquissima veterum consuetudine scriptum. In codicibus antiquis plerisque *gentis* legitur, quod genitivi casus multi volunt esse, *Gentis Italae*; sed mihi figuratum magis videtur, *gentes*, legere, atque ita nescio quid elegantius prae se ferre.

135. SAT FATIS VENERIQUE DATUM EST. In Romano quidem codice & in Mediceo *est* habetur: in aliis vero minime: perinde ac etiam in eo loco: *Sat patriae Priamoque datum*, absque *est* legitur: quod longe concinnius videtur.

140. SED PERIISSE SEMEL SATIS EST. In codicibus nonnullis admodum vetustis, legere est: *si periisse.* Et pro *peccare*, *peccasse.* Nam si *sed* legas, ratiocinium illud non nihil impetum concitatae orationis remorari videtur, quae nihilo secius tamen decurrit, dicendo *si.* In quo illud unum est negotium, ut ad objecta respondeatur, neque nunc per interpellationem, dum res geritur, remordetur. Affirmativa enim omnis enuntiatio moram trahit, quae in condicionali, vel conjunctiva properatur.

141. PENITUS MODO NON GENUS OMNE PEROSOS FOEMINEUM. In codicibus aliquot antiquissimis, *modo nec genus*; sed recte Servius *non* adverbium agnoscit. Est & ubi *perosum* legatur; sed corrupte: nam *perosos* legendum: quod duorum infinitivorum *periisse* & *peccare*, suppositum est.

142. QUIBUS HAEC MEDII FIDUCIA VALLI FOSSARUMQUE MORAE LETI DISCRIMINE PARVO DANT ANIMOS. In Romano codice legere est: *Fossarumque mora & leti discrimine parvo Dant animos.* In eodem, in Porcio, & aliis quibusdam manu scriptis, *discrimina parva*, legitur per appositionem, quod valde placet.

144. AN NON VIDERUNT. In antiquis plerisque codicibus, *at non*, legitur, particula ea confutationibus, comparationibus, & redargutionibus apta, ut: *At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor.*

146. Sed vos o lecti ferro quis scindere vallum Apparat. In codicibus aliquot antiquis: *Sed vos electi*, legitur, quod nequaquam placet. Illud non ita repudiaverim, quod in Mediceo & aliis codicibus perveteribus habetur, *ferro qui scindere vallum*. Et in aliquot ex his, *apparet:* non per interrogationem, sed per enuntiatum, quamvis interrogatio non displiceat.

151. Caesis summae custodibus arcis. In Romano codice: *Caesis latae custodibus arcis*, legitur: in quibusdam aliis *late* adverbialiter: horum utrumque foediorem ostendit caedem. Sed epitheton *summae*, proprium est arcis. Et Homericum est, carmina repetere: quod nonnunquam Virgilius imitatur.

152. Nec equi caeca condemur in alvo. In Romano codice, *alveo:* unde in quibusdam aliis antiquis *caeco*. Sed de *alveo* non admodum sollicitus fuerim. Quod vero *caeco*, an *caeca* legendum sit, Attius quidem virili genere *alvum* posuit; sed Virgilium ait Nonius foemininum protulisse.

154. Cum Danais rem faxo et pube Pelasga Esse putent. In codice Mediceo, & aliquot aliis antiquis, *esse ferant*, legitur.

155. Decimum quos distulit Hector in annum. Legere est in antiquo codice, *decumum*, per u, in pene ultima: & in antiquissimo codice actionum in Verrem M. Tullii, semper *decumas* notatum animadverti: &: agri Vejentani decumas votas. Et ita passim apud Livium in veteri codice, & quartionis decumi Augusti Liberti, monumentum alibi citavimus; ne quis hoc per librariorum imprudentiam scriptum putaret: sed quia aetas illa in Augusti gratiam ita scribere consuerit. Cujusmodi exempla locis pluribus recitata sunt.

156. Pars acta diei. In plerisque codicibus antiquis, *diei est*, legitur; quod sua me offendit exilitate, quum absque substantivo verbo concinnius omnino versus enuntietur.

158. Et pugnam sperate parati. Antiqui omnes codices, quotquot inspexi, *sperate parari*, legunt; quod etiam agnoscit Servius, cum dicit, *contra Trojanos*, *non a Trojanis*, scilicet parari pugnam.

160. Cingere flammis. In antiquis, *flamma*; sed magis placet, *flammis*, numero multitudinis; ut negotium id multorum opera procuratum indicet.

162. Centeni quemque sequuntur. In Romano codice, *secuti*, legitur: in reliquis, *sequuntur*, & *secuntur*.

163. Purpurei cristis juvenes. Sunt codices, in quibus, *purpureis cristis*, legatur; sed figuratum magis, *purpurei:* & huic simillis nominativus sequitur, *auroque corusci*, quamvis etiam dici possit, *corusci purpureis cristis*, *auroque*.

179. Et juxta comes Euryalus. In antiquis aliquot exemplaribus, *& Nisum juxta Euryalus*, legitur.

180. Trojana nec induit arma. In antiquis aliquot codicibus, *neque induit*, suaviori numero legitur.

189. Somno vinoque sepulti. In Romano codice & aliquot aliis legere est, *soluti*, non *sepulti:* ut: *Solvunt se somno:* & *Lyaeus*, eo, quod solvat, appellatus. Servius, *sepulti*, quasi *sine pulsu* interpretatur. Sed & inferius quoque codices omnes veteres, *soluti*, legunt in hanc sententiam. Illud vero Ovidianum ex secundo Fastorum: *Utque videt comites somno vinoque sepultos*. Sunt qui, *gravatos*, legant.

192. Aenean acciri omnes, populusque patresque Exposcunt. In antiquo quodam codice, *omnis*, ut quadret cum viciniori populus, quod non ita mihi satis facit; quum dilatatio totius in partes figura longe venustior videatur. Quare, *omnes*, omnino magis placet; sed enim &, *populos*, in veteri codice nominativo singulari legitur. Quam dictionem ita scriptam in legibus xii. Tabularum Victorinus adnotavit, ut alibi ostendimus.

195. Tumulo videor reperire sub illo Posse viam. In codicibus aliquot pervetustis, *aperire*, legitur: quippe *viam*, quae clausa erat hostium obsidione: neque quidem timendum syllabae, quia locus communis est.

197. Perculsus amore. Ut saepe dictum, veteres omnes codices, *percussus*, legunt per ss geminatum.

204. Et fata extrema secutus. Non placet quod in Romano codice, *fama*, legitur; quum secutus extrema fata sit omnino casta lectio.

217. Quae te sola puer multis e matribus ausa Prosequitur. In Romano codice, *multis a matribus*, habetur, in quo vel, procul, aut, disseparata, intelligendum esset. Sunt etiam codices, in quibus legas, *Multis e matribus una;* sed enim est hoc superfluum, quum jam, *sola*, dictum sit. Magis vero me moverit, quod verbum, *persequitur*, in antiquis aliquot codicibus, non, *prosequitur*, notatum est: tangit enim hoc perseverantiam in sequendo gnato.

223. Regemque requirunt. In antiquis aliquot codicibus, *revisunt*, habetur.

226. Ductores Teucrum primi, et delecta juventus. In codicibus pene omnibus antiquis, quotquot habui, versus legitur absque & copulativa particula: *Ductores Teucrum primi*, *delecta juventus*. Sed enim copula hic omnino necessaria videtur, ut duces a militibus distinguat, &

& ordinum Romanorum mores ubique, uti suus est mos, tangat.

227. CONSILIUM SUMMIS REGNI DE REBUS HABEBANT. In codicibus aliquot manu scriptis, *concilium*, legas: nempe quia &, *consilium*, in veteribus exemplaribus reperitur: quod illi nomen ab *esse consessum* deducebant: nam *consilium a consulo* est, & diversum quid significat. Sed enim in altero illo significato *scita plebis*, & *scire plebem*, apud veteres invenio, non *consilium*, aut quid hujusmodi. Ea vero potissimum de caussa convenerant, ut, quid unicuique e republica videretur, in medium consulerent.

228. QUISVE AENEAE JAM NUNTIUS ESSET. In antiquis aliquot exemplaribus, *isset*, legitur: nam hoc etiam quaerere poterant, Nuntiassetne adhuc quispiam Aeneae, quid rerum gereretur. Sed quia dixerat Nisus populum & patres exposcere, mitti viros, qui certa reportarent, magis placet, *esset*, vulgata lectio.

230. CASTRORUM ET CAMPI IN MEDIO. In codicibus antiquis, *in* praepositio non habetur. Sunt vero codices, qui legant, *castrorum & medio campi*.

234. TUNC SIC HYRTACIDES. In antiquis *tum*, quod & alibi saepe pro, *tunc*, positum.

236. VINOQUE SEPULTI. Uti diximus alio itidem loco, in Oblongo, & aliquot aliis codd. *soluti*, legitur.

237. PROCUBUERE. Superius quidem verbum hoc habetur; sed hic veteres omnes codices, quotquot inspicere licuit, excepto Mediceo, *conticuere*, legunt, quod magis indicat, eos somno laxatos, in quo nihil magis quam silentium expetitur.

238. QUAE PROXIMA PONTO. In antiquis aliquot codicibus, *quae proxima ponto est*, una plus dictione legitur.

241. QUAESITUM AENEAN AD MOENIA PALLANTEA. In antiquis *Aeneau & moenia*. Καὶ ὕστερον πρότερον.

244. VIDIMUS OBSCURIS PRIMAM SUB VALLIBUS URBEM. Carisius, *primam*, pro, *in primis*, hic positum ait, atque expositum Terentianum illud in Adelphis, ab Hellenio Acrone, in prima fabula. Ita & illud, *Trojae qui primus ab oris*, pro *inprimis*: ubi Terentius Scaurus in Commentariis in Artem poëticam lib. x. *Non*, *qui ante omnes*, inquit, *sed ante quem nemo est*. Et addit: *Quo genere plures primi accipi possunt*.

246. ATQUE ANIMI MATURUS ALETHES. In Romano codice, *animis*, legitur: quod non ita placet.

249. CUM TALES ANIMOS JUVENUM, TAM CERTA TULISTIS PECTORA. In antiquis fere omnibus exemplaribus, *talis animos juvenum & tam certa tulistis*, legitur: quod magis placet.

252. QUAE VOBIS QUAE DIGNA VIRI PRO TALIBUS AUSIS. In codicibus aliquot antiquis, *pro laudibus istis*, legitur: & id Servius agnoscit. In eo porro veteri codice, qui apud me est, ita etiam legebatur. sed utraque dictio abrasa est, &, *talibus ausis*, adscriptum. Est vero hoc idem alibi, ubi Aeneas Lau.i pietatem admiratur, qui sese morti objecerat pro salute patris: *Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis, Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?*

257. CUI SOLA SALUS GENITORE REDUCTO. Mediceus codex, & aliquot alii, *recepto*, legunt; sed id melius inferius: *Nihil illo triste recepto*.

267. SI VERO CAPERE ITALIAM, SCEPTRISQUE POTIRI. In aliquot veteribus codicibus alio numero legitur, *Si vero Italiam capere sceptrisque potiri*. Sed prior ille numerus, *capere Italiam*, magis placet.

270. CRISTASQUE RUBENTES. In Romano codice, *comantis*, legitur; sed *rubentis* placet: quia purpurei cristis juvenes superius indicati sunt.

274. INSUPER ID CAMPI QUOD REX HABET IPSE LATINUS. Varie legitur hic versus: nam codices nonnulli veteres, *Insuper his campi quod*, & *quos*: alii legunt & *his campis quod rex habet ipse*. Utcumque vero priores legantur dictiones duae, placet, *quod*, legere.

287. IGNARAM HUJUS, QUODCUMQUE PERICLI EST. In Romano codice, & aliquot aliis, *periculi*, absque *est*, legitur; sed hoc loco sententia verbum id requirit, & versum venustiorem facit.

290. AT TU, ORO, SOLARE INOPEM, ET SUCCURRE RELICTAE. In codicibus aliquot manu scriptis, *hanc tu*; sed magis placet *at*.

292. PERCULSA MENTE. In antiquis omnibus codicibus, *percussa*, uti saepe dictum.

295. TUM SIC EFFATUR. In antiquis, & *tum*, & *tunc*, invenio, & *adfatur*: quod, ut mihi videtur, non ita congruit huic loco.

299. CASUS PACTUM QUICUMQUE SEQUETUR. In antiquis plerisque codicibus, *sequentur*, numero plurali habetur. In aliquot, *factum casus quicumque sequetur*, transpositis dictionibus.

303. HAEC AIT ILLACHRYMANS. In veteribus codicibus, *sic ait inlacrumans*.

312. MULTA PATRI PORTANDA DABAT MANDATA. In antiquis exemplaribus, *Multa patri mandata dabat portanda*. Sed quamvis idem numerus sit, quoquoversum, atque eadem pene vocalium & syllabarum vis, nitidior tamen structura ea videtur, quae in vulgaris habetur exemplaribus, *Multa patri portanda dabat mandata*.

314. NOCTISQUE PER UMBRAM. Antiqui omnes codices, *per umbras*, numero multitudinis legunt, quod non ita placet; quod hujusmodi plurale

rale manibus, aut defunctorum animis, magis accommodari soleat.

318. Inter lora rotasque. Inemendate legitur in nonnullis codicibus, *inter tela rotasque.*

323. Haec ego vasta dabo. Plerique veteres codices una cum Porcio legunt, *haec ego vastabo.* Caeterum ea lectio, quae vulgatior est, *vasta dabo*, magis omnino pluribus satisfacit: quamvis in nonnullis, ea abrasa lectione, *vastabo*, sit inde repositum. Servius hoc de corporibus, quae fusa jacebant, intelligi vult; sed nunquid potius de locis dictum existimemus, quae occupata, clusaque erant a custodiis, eaque vastaturum pollicetur, ut, *Euryalum lato dein limite ducat?*

330. Armigerumque premit Rhemi aurigamque sub ipsis. Romanus, Porcius, & plerique alii codices antiqui, legunt, *armigerumque Remi premit.* Nam *Remus* primam corripit. Ovidius: *Interea crescente Remo crescente Quirino.* Scribitur praeterea passim absque adspiratione.

334. Necnon Tamyrumque Lamumque. In Romano codice & in Porcio, *Lamyrum*; in aliquot aliis, *Lamurum*; in Oblongo, *Limyrum.* Denique quot codices, tot nominis varietates. Omnes vero uno consensu incipiunt ab L littera.

344. Fadumque Hebesumque subit. In antiquis plerisque codicibus, *Heresum*, legas. In nonnullis omnino perperam, utraque consonante inserta, *Herbesum:* nempe ut lectori liceret, quam mallet expungere, sive *Hebesum*, sive *Heresum*, agnosceret. Rhetumque Abarimque. In codicibus nonnullis transpositis consonantibus *Aratimque* legere est. In aliquot aliis *Abratimque.* In nonnullis, *Rhoetumque Fabrumque.* Sed de nomine *Rhoetus* & *Rhoetus*, alibi dictum.

350. Hic furto fervidus instat. In Oblongo codice, *huic*, invenias scriptum.

351. Ubi ignem deficere. In codicibus aliquot antiquis, *ibi ignem*, ut sit redditio caussae, cur ad Messapi socios tenderet.

363. Post mortem bello Rutuli pugnaque potiti. In Romano codice, *praedaque potiti*, legitur: in aliis quibusdam manu scriptis, *pugna.*

370. Volscente magistro. In Romano codice, in Mediceo, in Porcio, & in aliquot aliis, *Volcente*, legere est: & ita passim: *Volcens*, absque s inter L & c.

371. Muroque subibant. Vetera aliquot exemplaria, *muros*, habent.

375. Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volscens. In codicibus nonnullis, *haud temere visum*, absque *est.* Sosipater, ubi *temere* pro *negligenter* positum ait, versum ita citat: *Haud temere est visum, conclamat ab agmine Volcens*, nomine *Volcens*, uti superius adnotatum est, absque s in medio scripto.

380. Omnemque abitum custode coronant. In Romano codice, in Oblongo, & in Mediceo, *aditum*, legitur, quamvis meliorem lectionem, *abitum*, Servius esse dicit, ut in Porcio, & plerisque aliis.

387. Qui post Albae de nomine dicti Albani. *Albae*, Regi, successisse Procam, ait Servius; sed Livius eum Aventino successisse dicit.

403. Suspiciens altam Lunam sic voce precatur. In Romano codice, & aliquot aliis, legere est, *altam ad Lunam:* quod nequaquam displicet. In Porcio, *altam Lunam &:* cujusmodi quidem lectio agnoscitur a Prisciano, ubi tam *&*, quam *atque*, poëtice nonnunquam postponi notat, aliter vero non, exemplo hinc ex Virgilio citato: *Suspiciens altam Lunam, & sic voce precatur.* Plerisque tamen eruditis placet magis absque ulla copula carmen legi. Est &, *ore precatur*, in antiquis aliquot codicibus, quod parvi refert.

404. Tu Dea, tu praesens. Servius exponit, *Praesens ilico*; sed cur non potius *praesens*, propicia, favens? ut illud in Buc. *Nec tam praesentis alibi cognoscere Divos.*

410. Connixus corpore. In Romano codice, *conisus.* Ac de geminatione quidem, apud antiquos adeo rara, superius dictum. Quantum vero pertinet ad x vel s in participii forma reponendas, Valerius Probus sentire videtur, eandem esse appellationem in proprio nomine, in appellativo, & participio, *Niso*, Hyrtaci filio; *niso*, participio; & *nisuque immotus eodem.* Quare *connisus*, ex Probi sententia scribendum.

413. Frangitur, ac fixo transit praecordia ligno. In veteribus codicibus vel, *fisso*, legi, a *findo*, quod agnoscit Servius; vel lectionem abrasam, & modo, *fixo*, modo, *fracto*, aliena manu repositum.

415. Et longis singultibus ilia pulsat. In Romano codice, *pulsant*; sed melius unitatis numero.

417. Telum vibrabat. In codicibus plerisque omnino, *vibrabat*, legitur; sed in emendatioribus, *librabat.*

418. Dum trepidant, iit hasta Tago. In codicibus antiquis, *it*, omnino per synaeresin. Sive *it*, praesentis temporis omnino sit, & vi subsequentis adspirationis producatur, quod magnum litteratissimis viris negotium facessit; meliore tamen parte in eorum sententiam concedente, qui concisionem factam ex, *ivit*, autumant, ut in Terentiano prologo, *existimat*, pro, *existimavit:* quam lectionem Donatus agnoscit; licet apud Priscianum,

num, in hoc citato versu, neque *it*, neque *iit*, legatur; sed *volat hasta Tago per tempus utrumque.* Sed & illud observatione dignum, quod Caritius monet, *tempora*, pluraliter tantum dici, quamvis Virgilius singulari usus, ut hoc loco.

420. ATROX VOLSCENS. In antiquis codicibus *Volcens*, uti dictum, absque s. Atque ita scribendum inferius, *Volcentem petit*, *in solo Volcente moratur*.

428. NIHIL ISTE, NEC AUSUS. In Romano, *neque ausus:* quod licet parvi sit momenti, elegantioris tamen ingenii viri numerorum hujusmodi varietate delectari solent.

429. ET SIDERA CONSCIA TESTOR. Veteres omnes codices legunt, *& conscia sidera*, adjectivo praejecto.

432. TRANSADIGIT COSTAS. In Romano codice, *transabiit*, legitur: & in aliquot aliis *transadiit:* quod ab aliquot eruditis receptum video. In Porcio, & plerisque aliis manu scriptis, *transadigit*, omnino scriptum est; sed usus loquendi est, ut adigo ferrum, aut ensem, enuntiemus, non ensis adigit, & jam dictum est, *ensis adactus:* quare vel *abiit*, vel *adiit*, melius videtur. ET CANDIDA PECTORA RUPIT. Romanus codex cum aliquot alis, *pectora candida*, epitheto, quod miserationem movere posset, ultimo loco apposito.

436. LASVE PAPAVERA COLLO. Antiqui plerique codices, *lasso.* Porcius, Vitalianus & aliquot alii, *lapso* habent.

438. AT NISUS RUIT IN MEDIOS. In Oblongo *ac*, in quibusdam aliis, *&*; sed enim locus ipse exigere videtur, *at.*

441. PROTURBANT. In antiquis aliquot, *perturbant;* sed omninò melius, *proturbant.* INSTAT NON SEGNIUS. In antiquis codicibus, *non secius:* quod nonnulli etiam per T scribunt, quod nequaquam docti probant.

448. CAPITOLI IMMOBILE SAXUM. Quamvis in vetustis codicibus, *Capitolii*, geminato II scribatur, eo modo, quo Terentius Scaurus hujusmodi genitivos scribi praecipit: hoc tamen loco, ne synalepha ex tribus vocalibus distinctis fiat, *Capitoli*, unico I scribendum censuerim, facta synaeresi, ut prius erat in Porcio. Quae vero Servius de termino, eadem fere apud Aulum Gellium habentur. Lactantius tamen libro contra Gentes primo, saxum hoc a Romanis cultum dicit, propter illius memoriam, quod pro Jove objectum est Saturno devorandum.

451. VOLSCENTEM EXANIMUM. In Romano codice *Volcentem exanimem.* In aliis, *exanimum:* utrumque receptum a Grammaticis.

455. TEPIDUMQUE RECENTI CAEDE LOCUM. Ita quidem habetur in Romano codice; sed in Oblongo, & quibusdam aliis, *tepidaque recentem Caede locum*, legitur. Quam Hypallagen figuram agnoscit Servius. In Porcio una mutata dictione, eadem tamen elocutionis figura, *tepidaque madentem Caede locum*, habetur.

461. JAM REBUS LUCE RETECTIS. Sunt antiqua exemplaria, in quibus, *receptis*, scriptum sit; quasi res noctu auferri videantur, die vero reddi; sed enim, *retectis* omnino receptius.

468. MURORUM IN PARTE SINISTRA. In Romano codice, *murorum parte*, legitur, absque *in.*

471. SIMUL ORA VIRUM PRAEFIXA VIDEBANT. In Romano codice, in Oblongo, in Mediceo, & quibusdam aliis pervetustis, *movebant*, legere est, cum paraphrasi, *commovebant*, ex Servii commentariis desumpta.

473. PENNATA. In Romano codice, *pinnata:* de qua scribendi ratione alibi satis dictum.

481. HUNC EGO TE, EURYALE, ASPICIO. Cicero in Rhetoricis: *Octavus locus, per quem aliquid dicitur esse factum, quod non oportuerit, hoc modo: Non affui, non vidi, non postremam ejus vocem audivi, non postremum ejus spiritum excepi.* Item: *Inimicorum in manibus mortuus est: hostili terra turpiter jacuit insepultus: a feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit.* Qui loci omnes hic a Virgilio tanguntur. Quantum vero pertinet ad Grammaticen, Sosipater Soloecismum notat transmutatione fieri, quum finitiva pronomina pro qualitatis significatione ponuntur, hoc citato versu: *Hunc ego te, Euryale, aspicio*, pro, talem.

488. TIBI QUAM NOCTES FESTINA DIESQUE URGEBAM. In Romano codice, *tibi quod:* & *urguebam* in aliquot veteribus, Attiano more.

491. HOC MIHI DE TE, NATE, REFERS, QUAE SUM TERRAQUE MARIQUE SECUTA. Exemplaria manu scripta magna ex parte ita legunt: *Gnate refers, hoc sum terraque marique secuta.* Quod dubio procul longe venustiorem sententiam reddit: & est pathos ab inani spe, qua inducta fuerat, ut gnatum terra marique sequeretur, foelicitatis proposita spe; nunc vero funus ejus miserabiliter intueatur: nam illud, *quae sum terraque marique secuta*, subfrigidum nescio quid habet.

502. SUB TECTA REPORTANT. In Mediceo, in Vitaliano, & plerisque aliis antiquis codicibus, *in tecta reponunt*, habetur. In Porcio, *sub tecta reponunt*, praepositiva ab his tantum particula variata.

506. AC VELLERE VALLUM. Male in Romano codice pro, *vellere*, *pellere* est, sumptum ex inferiori versu, ubi recte: *Pellere vallo missilibus certant*, scriptum est.

514. SUBTER DENSA. In codicibus aliquot anti-

antiquis, *fupter*, per P legitur, & hic & alibi.

515. Cum tamen omnes ferre libet. In Mediceo, *juvat*, scriptum est.

524. Rescindit vallum. In codicibus admodum vetustis legere est, *transcendit vallum:* quia sequitur: *Scalas in moenia poscit.* Magis tamen placet, *rescindit*, ut in pluribus manu scriptis codicibus habetur: nam si ad moenia succedendum erat, via prius aperienda fuit, rescisso vallo.

536. Et flammam affixit lateri. In Mediceo, *affecit*; sed melius, *adfixit*, ut in aliis habetur.

544. Helenor. In aliquot antiquis, *Halenor*; sed *Helenor*, in pluribus.

546. Serva Licymnia. In antiquis aliquot codicibus, *Lacymnia*, legitur: in aliis, *Licinnia*; usque adeo saevitum est passim in omnia pene hominum, & locorum nomina.

565. Quaesitum aut matri multis balatibus agnum. In Romano codice, & in Porcio, *matris:* quippe, *balatibus*, legitur; quanquam, *matri*, vulgata lectio non displiceat.

578. Allapsa sagitta. In antiquis, *adlabsa*, per D & per B, more veterum: & *sagicta*, quod eam a sagaci ictu dictam volunt.

579. Et levo infixa est lateri manus. In antiquis aliquot, *adfixa*, quod nequaquam displicet.

599. Et morti praetendere muros. In codicibus aliquot antiquis, *Marti* legitur; sed enim *morti*, pro bello positum ait Servius.

604. Saevoque gelu duramus. In antiquis aliquot codicibus, *duroque gelu*, habetur; sed *saevo* castior omnino lectio.

613. Convectare juvat praedas. In Romano codice, in Mediceo, & pervetustis aliquot aliis, *comportare*, legitur. Sane *comportari* dicuntur, quae proveniunt ex reditibus. Horatius: *Si comportatis rebus bene cogitat uti.* Ita de iis omnibus, quae ex agro in urbem comportantur. *Convectare* tamen magis placet eruditis auribus.

619. Tympana vos buxusque vocant Berecyntia. In antiquis exemplaribus, *vocat*, numero singulari, ut cum viciniori suppolito congruat. Est & *Verecynthia*, per ʋ digammon, in codicibus nonnullis. Ut hujusmodi pleraque alia, Graecae consonantis sono. Male vero scribunt, qui syllabae pene ultimae adspirationem apponunt, quum T sit apud Graecos, Βερεκυντία.

620. Et cedite ferro. Servius intelligi putat de cultris, quibus sacerdotes Deae Cybeles evirabantur. Atque ita *cedite*, parete, interpretandum erit. Sed enim figuratius est dicere, *ferro*, hoc est, bello. Neque indecora est illa ejus sententiae per diversa vocabula repetitio, quam is fere negligit.

630. Audiit. In antiquis per synaeresin, *audit:* de quo saepe alibi dictum.

631. Sonat una lethifer arcus. In Romano codice, & nonnullis aliis legitur, *fatifer.*

632. Effugit horrendum stridens elapsa sagitta. Quamvis Servius *effugit* agnoscat; vetera tamen exemplaria, *& fugit*, legunt: & pro *elapsa*, *adlapsa*, & *allapsa* inveni. In Romano vero codice, & in aliquot aliis ipsa venerandis vetustate, *adducta*, scriptum animadverti. In qua lectione ipsum jaculantis, & telum contendentis gestum aspicere videaris. Ovidius: *Videbat adducto tendentem cornua nervo.* Loco tamen hoc nonnulli volunt, *allapsa*, melius esse.

633. Et cava tempora ferro Trajicit, i, verbis virtutem illude superbis. Est & hic quoque unus ex illis locis, qui tam varie leguntur, quam variae sunt veterum codicum manus: nam in Romano codice, *transfigit verbis*, scriptum habetur, facta nimirum injuria sententiae: si nequeas, *I, verbis virtutem illude superbis*, integrum subjungere: nam si tollas, *I*, verbum, totam ejus sententiae venustatem tollas. In Oblongo codice perveteri, *trajecit*; in aliquot aliis, *transjecit.* Sed enim oblati etiam mihi sunt codices pervetusti, in quibus, *transfigit*, scriptum videas. Quare aut hic aliquid simile versibus illis exlegibus: *Nec te comitem hinc asportare Creusam;* &: *Rostrisque stridentibus:* aut, quod omnino placet, *trajicit*, legendum: ut, *i*, *verbis*, subsequatur.

645. Ab alto aethere se mittit. In antiquis aliquot, *misit*, praeterito tempore.

646. Forma tum vertitur oris Antiquum in Butem. Plerique veteres codices, *formam*, legunt, cujusmodi lectio abrasa est ex Mediceo. Est &, *antiquum*, unico U legere: quod olim per c scribebatur, *anticum*, ut, *posticum.*

651. Et crines albos. In Porcio, & quibusdam aliis manu scriptis codicibus, *crineis flavos*, habetur; sed qui Dardanio Anchisae Armiger ante fuit, albos jam capillos habere debebat. Qui vero *flavos* reposuere, forte *alvos*, corrupta seculi pronuntiatione, quam emendare conatus est Adamantius, scriptum invenerant, ejusque abusionis ignari, *flavos*, scribendum judicarunt: nam *albos*, in codice Delphio, & aliquot aliis antiquis, omnino legi.

653. Sit satis Aenide. In Romano codice legitur, *Aeneade*, secunda syllaba a principio correpta, per abjectionem τοῦ ἰῶτα ex diphthongo. In reliquis tamen exemplaribus, *Aenide*, habetur κατὰ συγκοπήν: vel *Aeneide*, per diphth. ει integra dictione. Unde *Aeneis* patronymicum foemin. diphthongo soluta. Sed enim Priscianus ait, Virgilium auctoritate sua dixisse *Aeneiden*, quod se-cun-

cundum regulas, *Aeneas*, esse debuerat.

667. DANT SONITUM FLICTU GALEAE. In Romano codice, & aliquot aliis, *adflictu*, legitur, ex paraphrasi sumptum: nam Servius agnoscit, *flictu*. In aliquot codicibus antiquis mutato numero legitur: *Dant sonitum galeae flictu*.

672. IDAEO ALCANORE CRETI. Veteres aliquot codices, *nati*, habent, ex paraphrasi lectione inculcata contextui.

677. PRO TURRIBUS ASTANT. In veteribus nonnullis, *instant*, legitur; sed *adstant* melius.

679. LIQUENTIA FLUMINA CIRCUM. In Oblongo quidem codice, *liquetia*, legitur. Unde quidam arbitrati sunt de fluvio nobili, in Foro Julii, dictum. Romanus tamen codex cum plerisque aliis, *liquentia*, legunt. Saepe enim fit, ut posito genere species subjungatur. Hinc addit: *Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum*.

684. CONTINUO QUERCENS. In antiquis aliquot codicibus *Querquens* habetur. ET PULCHER EQUICOLUS. In antiquis partim, *Equiculus*, partim, *Aquiculus*, legitur.

685. ET PRAECEPS ANIMI TMARUS. In antiquis aliquot, *Tmaros*.

686. AUT VERSI TERGA DEDERE. In codicibus nonnullis, *aversi terga dederunt*; sed enim *aut*, necessarium videtur, ut sententia & ordo constent.

687. AUT IPSO PORTAE. Neque id placet, quod *ipsi* in nonnullis veteribus habetur exemplaribus.

689. TROES GLOMERANTUR EODEM. In Romano codice legere est, *in unum*: sed melius, *eodem*, hoc est, ad eandem portam, quam Pandarus & Bitias recluserant. Fuit vero, *in unum*, paraphrasis.

699. AERA PER TENUEM. In plerisque codicibus, *tenetum*; sed & *tenuem*, & *aëri*, & *aurae*, saepe additum invenias.

700. REDDIT SPECUS ATRI VULNERIS UNDAM. Quamvis in plerisque codicibus, *vulneris*, legatur, & Servius *specus vulneris* agnoscat exaggeratione poëtica; sunt tamen alii codices antiqui, in quibus *sanguinis undam* legas.

702. TUM STERNIT APHIDNUM. In codice Romano, *Achidnum*; in Oblongo, *Afidnum*, per F Latinum; in aliis, *Afidum*; in aliis, *Aphipnum*; denique tot varietates, quot pene codices.

709. ET CLYPEUM SUPER INTONAT INGENS. Dubitare videtur Servius, an *clypeum ingens* dicendum sit genere neutro, ut cum Homerica sententia congruat, ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. Quod alibi Virgilius expressit: *Sonitum super arma dedere*. Sed enim Livius libro quarto de bello Macedonico, *Clypea argentea decem* ait: quod tamen de imaginibus intelligi eo loco nonnulli volunt. Asserit ad haec Nonius Marcellus, *Clypeum*, utroque genere pro scuto Virgilium posuisse, ut eo loco: *Ardentes clypeos*. Et hic: *Clypeum super intonat ingens*. *Clypeum* enim *ingens*, indubitato legit Nonius: quo genere & Licinius usus est. Diximus vero, clarissimos olim viros tam in genere, quam in scriptione differentiam posuisse: aliterque *clypeum*; aliter *clipeum*; aliter *clupeum* significare: cujus rei cura sit penes eos, qui nunc etiam & hoc & hujusmodi alia diligentissime perquisivere: quorum doctissimos libros spero brevi in lucem prodituros.

710. QUALIS IN EUBOICO. In Romano, *talis*; sed id ex paraphrasi.

712. CONSTRUCTAM JACIUNT PONTO. Antiqui omnes codices hoc numero legunt, *Constructam ponto jaciunt*; sed magis placet interjectus dactylus.

713. PENITUSQUE VADIS ILLISA RECUMBIT. In antiquis aliquot codicibus legitur, *undis inlisa*; sed, *vadis*, magis placet. Alludit autem Poëta ad portus Lucrini reparationem ab Augusto factam, quum aedificatus a Julio Caesare corruisset.

723. QUI CASUS AGAT RES. In Romano & in Mediceo, *quis*, ut Grammaticorum praeceptionibus fieret satis: nam *quis* cum s dici volunt Grammatici, auctore Sosipatro, cum in quaerendo, ut: *Quis te nate Dea*. In inferendo autem, *qui*, sine s, ut: *Ille, vides, pura juvenis qui nititur hasta*. Et enim praepositivum, *quis*; subjunctivum, *qui*: quod tamen auctores non observarunt. Ut Attius: *Qui nam Tantalidarum internitioni modus sit*. Et Virgilius: *Qui casus agat res*. Haec Carisius.

731. LUX OCULIS EFFULSIT. In Romano codice, *offulsit*, ut superius.

733. CLIPEOQUE MICANTIA FULGURA MITTIT. In Romano, Mediceo, & in Porcio, *fulmina*: & verbum *mittit* numero variat.

741. SIQUA ANIMO VIRTUS. In Romano, *animi*; sed magis placet, *animo*.

747. AT NON HOC TELUM. Miratur Servius, *telum*, pro gladio positum; sed enim & apud Oratores invenitur. In Rhet. ad Heren. lib. primo: *Ajax in silva postquam rescivit quae fecisset per insaniam, gladio incubuit. Ulysses intervenit, occisum conspicatur, corpore telum cruentum educit*. Est in Mediceo, *librat*, pro, *versat*, scriptum.

748. NEQUE ENIM IS TELI NEC VULNERIS AUCTOR. In Romano codice, in Porcio, & aliquot aliis scriptum, *neque enim es*; ut sit, ideo non effugies: quia tu non *es* auctor teli, neque vulneris: tua enim evitari possunt, mea autem minime.

750. GE-

750. Gemina inter tempora. Codices nonnulli veteres legunt, *media inter tempora:* figurata elocutione; mediam frontem, inter media tempora.

754. Atque illi in partibus aequis. Antiqui codices omnes, quotquot vidi, legunt absque *in: Atque illi partibus aequis.*

760. Caedisque insana cupido. In veteribus aliquot exemplaribus, *infanda.*

764. In tergum. Romanus codex, *tergus* habet. Quam lectionem hoc citato versu Flavius Sosipater agnoscit adversus eos, qui pro dorso *tergum*, *tergi* facere; *tergus* vero, *tergoris*, pro pelle contendebant: nam & *terga boum* dictum a Virgilio reperit; quum *tergum* tantum hominis esse contenderent. Exemplis vero Virgilianis impunitas etiam illis datur, qui putant *tergum* hominis, *tergus* vero pecoris nominari: nam & *Tergora deripiunt costis:* & alibi: *Venit in tergum adversi Sulmonis*, legitur.

765. Et confixum Phegea parma. Veteres omnes codices *confixa* legunt *parma*; sed *confixum* figuratius est.

789. Turnus paulatim excedere pugna. In Romano codice, *pugnae*, legitur; sed *pugna* melius judicant eruditi viri.

790. Et partem quae cingitur amni. In Romano codice, & aliquot aliis, *unda*, pro *amni* habetur.

804. Demisit germanae haud mollia jussa ferentem. In codicibus aliquot antiquis legere est: *Misit germanae haud*, absque ulla Synalepha, quod nequaquam placet.

817. Accepit venientem. In antiquis plerisque codicibus, *fugientem*, repositum ab iis, qui fugae dedecus noluerint Turno illatum; sed enim *fuga* & *fugere*, non semper in opprobrium, sed pro celeri cursu saepissime ponitur. Sumpta vero haec figura nimirum ex historia Coclitis, qui, rescisso a tergo ponte sublicio, cum armis se in fluvium dedit, incolumisque ad suos enatavit.

LIBER DECIMUS.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi. Quia sunt, qui parum probant epitethon *omnipotentis* Olympo applicatum, quod Jovis est peculiare, hi, *omnipatentis*, quod omnibus, vel ab omni parte pateat, legendum existimarunt. Neque desunt, qui *omniparentis Olympi* legendum autument: eamque lectionem etiam Jovianus Pontanus, vir litteratissimus, videtur agnovisse. Alii non *Olympi*, sed *Olympia*, quippe *domus*, in antiquis exemplaribus contendunt inveniri. Nos tam nova, quam vetera illa Vaticanae bibliothecae exemplaria perscrutati, atque alia, atque alia undecumque nacti, scriptum passim animadvertimus, *omnipotentis*. Similiter in duodecimo, *Rex omnipotentis Olympi*. Nam *Olympum* Cleantes Deorum omnium maximum judicavit. Ita *Olympi*, non *Olympia*, passim scriptum est. Praeterea Quintilianus versum hunc quinque continuis constare dactylis ait, dubioprocul, sex dicturus, si *Olympià* reperisset. Neque idem taciturus Priscianus, quum in duodecim carminibus versum hunc quinque dactylos habere dixit.

2. Conciliumque vocat Divom pater. Sunt codices antiqui, ubi *consilium* scriptum invenitur. Malunt tamen Grammatici pro congregatione concionis, aut senatus, *concilium* per c scribi.

6. Quianam sententia vobis versa retro. Superius in eo versu: *Heu qu a nam tanti cinxerunt aethera nimbi*, Pontanum diximus in libro de poëticis numeris, *heu qui nam*, contendisse legendum. In vetustissimo tamen Vaticanae bibliothecae codice, & in plerisque aliis, *quianam*, legisse me professus sum, veluti etiam hoc loco habetur. Quem sermonem Ennianum esse asserit Servius. Et Valerius Probus, *quianam*, adverbium, constare ait tribracho. Eoque adverbio usum Virgilium adjungit: *Heu quianam tanti cinxerunt.* Sed enim ne illa Pontanum in omni doctrinarum genere ea aetate facile principem somniasse putem, vetusti, neque quidem pauci numero, Mediceus, Porcius, Vitalianus, & plerique alii codices faciunt, in quibus, *quae nam sententia*, legitur: atque ita facile etiam, *qui nam nimbi*, reperiri credam; sed enim hoc aliorum sit judicium. Illud tamen ego dissimulare non possum, quod super hoc loco Pomp. Festus ex Verrii Flacci dictatis exscripsisse se professus est, *quianam*, pro quare, & cur, positum; & apud antiquos, ut Nevius in carmine Punici belli: *Summe Deorum regnator, quianam genus isti.* Et in satyra: *Quianam Saturnium populum pepulisti.* Ennius libro septimo: *Quianam dictis nostris sententia flexa est.* Atque hic Ennianus sermo, quem citat Servius.

11. Adveniet justum pugnae, ne accersite tempus. Impressi quidem omnes codices cum aliquot ex antiquis legunt, *accersite*; sed enim Romanus, & hic, & alibi, verbum hoc in hanc sententiam, *arcessite*, scribit: & ita in Mediceo, & in Porcio, & aliquot aliis antiquis exempla-

emplaribus notatum observavi: neque id in codicibus tantum Virgilianis, verum etiam apud Terentium eodem modo legi in antiquissimis codicibus manu scriptis, ubi in Andria vulgata habent exemplaria: *Ubi voles accerse:* vetera, quae diximus, legunt, *arcesse:* ita in Adelphis, pro, *Ut uxorem accersas abi*; in his, *arcessas*, habetur. Sane *accerso*, & *arcesso* Terentius Scaurus unum idemque verbum putat: quod D, quam ipse libenter in c mutat, eadem littera subsequente, in hujusmodi compositionibus nonnunquam etiam in R transire soleat. Nonnulli differentiam esse voluerunt, ut *arcesso* ab eo verbo sit, quod est *arceo*; *accerso* vero ab eo, quod est *cio:* utcumque vero scribatur, ad eandem pertinere significationem. Carisius vero eos errare scribit, qui *accerso*, ex eo, quod est *arceo*, ductum putant; sicut *arcesso:* interesse enim ait, quod *arcessere*, est accusare; *accersere* autem, vocare.

15. ET PLACIDUM LAETI COMPONITE FOEDUS. Non eo inficias, *placidum*, per D in veteribus aliquot codicibus reperiri, prout in impressis, vulgatisque omnibus habetur. Romanus tamen codex, atque Mediceus, *placitum*, per T legit: quam lectionem agnoscere videtur Servius, quum exponit, *mihi scilicet.*

18. O PATER, O HOMINUM DIVUMQUE AETERNA POTESTAS. Romanus codex una cum Porcio, & aliis quibusdam, legunt: *rerumque aeterna potestas.* Probus Grammaticus horum unum secundum Physicos, alterum secundum Mathematicos esse dicit. Circa res vero, Physica versatur investigatio.

24. AGGERIBUS MOERORUM. Praeteribo, *adgeribus*, &, *atgeribus*, ut habetur in exemplaribus antiquis. Illud missum non faciam, multos, auctoritatem Servii secutos, *moerorum*, per *oe* diphthongum scriptitasse: nam omnino esse quaedam nomina ait Probus, quae U litteram in *oe* litteras convertant; ut puta *murorum*, *moerorum*, & caetera talia. In Romano tamen codice, in Mediceo, in Porcio, & plerisque aliis manu scriptis, *murorum*, per U notatum. Plura vero super hoc videris apud Servium. ET INUNDANT SANGUINE FOSSAE. Antiqui codices plerique legunt, *fossas*, ut, *Rutuli*, sit subjectum. Quam lectionem agnoscere videtur Servius, dum ait: INUNDANT, *implent, & inundare faciunt:* dicturus nimirum implentur, si *fossae* plurali nominativo legisset.

34. CUR NUNC TUA QUISQUAM VERTERE JUSSA POTEST. Ita quidem scriptum est in antiquo codice Vaticanae bibliothecae; sed in Romano, *jura*, non, *jussa*, legitur. In Oblongo autem & aliquot aliis, *flectere jussa:* quod a plerisque doctis viris jam receptum est.

48. AENEAS SANE IGNOTIS JACTETUR IN UNDIS. Et *sane*, & *undis*, in plerisque omnino codicibus habetur; sed Romanus codex antiquissimus, & qui apud me est, *Aeneas procul ignotis*, legunt: atque etiam pro *undis*, *oris*, in veteribus aliquot exemplaribus inveni. Et est concessio amaritudinis plena: *Aeneas procul ignotis jactetur in oris*, dum tantum liceat mihi Ascanium in urbibus meis, aut Amathunte, aut Papho, aut Cytheris incolumem servare. Magis tamen placet, *undis*, ut alludat obiter ad futuram Aeneae mortem; ut in quarto: *Cadat ante diem, mediaque inhumatus harena.*

50. ET DIRAE VALEAM SUBDUCERE PUGNAE. In antiquissimo codice, *durae*; sed in aliis omnibus, *dirae*.

51. EST AMATHUS, EST CELSA MIHI PAPHOS ATQUE CYTHERA. In exposito Palatino codice legere est: *Amathus, est celsa Paphos, atque alta Cythera:* cui lectioni lectetior ille codex majoribus litteris perscriptus non nihil adstipulatur, quamvis in eo sint litterae aliquot inversae. Adjuvat etiam id, quod inferius Juno eadem argumenta retorquens ait: *Sunt alta Cythera.* Sunt vero codices antiqui, ubi *Amathos* scriptum sit; sed enim Ἀμαθοῦς Graece dicitur: & eodem modo proferunt Latini, ejusdem diphthongi *ου* servato sono.

53. EXIGAT HIC AEVUM. Antiqua pleraque exemplaria, *exiget*, indicandi qualitate legunt; non in deposcendi figura: nam illud: *Magna ditione jubeto Carthago premat Ausoniam*, separatum est membrum per concessionem.

56. ET ARGOLICOS MEDIOS FUGISSE PER IGNES. In Romano codice, in Mediceo, in Porcio, & nonnullis aliis antiquis, *medium* legitur: quod multo magis placet.

58. RECIDIVAQUE PERGAMA QUAERUNT. *Recidiva* quidem in multis habetur exemplaribus, tam recentibus quam vetustis. Tractum sermonem de arboribus, quae aliis sectis repullulant, ait Servius. Qui quidem longe eruditius mihi videtur exposuisse alibi, *post casum restituta*, eo versu, *Et recidiva manu posuissem Pergama victis.* Ut enim a *cado*, *cadivus*, ita a *recido*, *recidivus*, quod si a *caedo*, *seco*, deduceretur, secunda syllaba produci deberet. His tamen ita disputatis, & codex Romanus, & alter pervetus, qui apud me est, *redeviva* legunt. Quod non ita proprie dictum nonnulli putant. Sextus tamen Pompejus, ubi *redivivum* esse, ex *vetusto renovatum* exponit, exemplum ex Cicerone citat lib. primo in Verrem: *Utrum existimatis minus operis esse unam columnam efficere ab integra novam, nullo lapide redivivo.* Ita enim est in antiquo Pompeji codice.

67. ITALIAM PETIIT FATIS AUTHORIBUS. In codicibus nonnullis admodum vetustis legere est, *Italiam fatis petiit auctoribus.* Quod nonnulli

nulli putarunt T litteram posse reddere syllabam communem, quum ejusmodi scansionis ratio caesurae debeatur. Ut apud Ovidium VII. Metamorphoseos: *Dissimilemque animum subiit Aeeta relictus:* quod imperite nonnulli depravarunt, qui *subiit pater Oeta relictus*, legendum censuere: ignari nomen Αἰήτης in eam formam contrahi non posse. Aliquot ex iis codicibus, qui *petiit auctoribus* habent, *petit* unico I scribunt; sed id longiore linea notatum, ut duorum vicem subeat. Ut INFERIs Choriambici dimensione unico I notatum in antiquo lapide legi, quem C. Curtius, C. L. Antiochus pater, & Aricinia Nais mater Basso filio posuerunt: ita enim est:

DEBVIT HOC NATVS NOBIS PRAESTARE DVOBVS,
VT CINERES PATRIOS DEDERET INFERIS.

80. Pacem orare manu, praeficere puppibus arma. In aliquot antiquis codicibus legere est, *& praeficere:* quod hoc loco videtur emphasin habere.

93. Fovique Cupidine bella. In antiquis fere omnibus *fovive* legitur, non inepte.

100. Rerum cui summa potestas. In Romano codice, *prima potestas.*

103. Tum Zephyri posuere. In antiquis aliquot, *Et Zephyri.*

104. Accipite ergo animis. Antiqui aliquot codices *adcipite* scribunt, incolumi praepositione; sed enim antiquissimum est, *accipere*, *cc* geminato scribere. Siquidem Velius Longus ait Lucilium instituisse, *accipio* & *accurrere* geminato cc notare.

107. Quae cuique est fortuna. Non placet *quaecunque*, ut in vetustis aliquot codicibus habetur.

108. Tros Rutulusve fuat. In aliquot antiquis codicibus *Rutulusue* legitur.

113. Fata viam invenient. In Mediceo codice, *inveniant* scriptum est, imperative, ut sit sententiae perlatae pronuntiatio; non tamen expungendum est *invenient*, quum id quoque suam habeat orationis majestatem.

123. Iasius Imbrasides. Romanus codex *Asius* legit: nam *Iasius* quadrisyllabi forma est, ut *Iasion*. Ut apud Ovidium: *Iasiona Ceres:* quod imperite quidam legunt, *Iasona flava Ceres*. In aliquot vero aliis antiquis omnino codicibus, *Lasius* legitur. Sane quidem Homerus *Asium* inter Trojanos proceres recenset; sed apud eum Hyrtaci, non Imbrasi ille filius appellatur.

124. Et senior cum Castore Tybris.] In Romano codice *Thymbris* legitur: quod ne forte ridiculum videatur, sciendum est, dictionem, quae *Tybris* est apud Latinos, Θύμβρις apud Graecos dici, ut apud Hesychium & Stephanum. Theocritus Καλὸν καλᾶς Θύμβριδος ὕδωρ, a quo Syracusanos fluvium hunc nostrum appellasse indicat Servius in tertio Aeneidos; sed ibi, ut plerumque alibi, corruptus. Sed ne de nomine tantum proprio *Thymbris* dici debere putet, pro Romano fluvio *Thybris* quoque scriptum in antiquissimo codice Virgiliano ostendit mihi Angelus Colotius.

126. Et clarus Ethemon Lycia comitatur ab alta. Bona codicum pars, ex iis praesertim, qui vulgati sunt, unum tantum proprium nomen ponere videntur, ut Sarpedonis fratres innominati sint, & his comes Ethemon accedat, *clarusque* sit epitheton. Romanus vero codex una cum veteribus plerisque aliis legunt, *Et Clarus, & Haemon, Lycia comitantur ab alta*. Ut nomina haec fratrum Sarpedonis fuisse noris, *Clarum* quippe, *Haemonemque*. *Clarus* enim pro nomine proprio sive hominis, sive insulae, primam corripit. Atque *&*, sive quod monosyllabum est in principio pedis, sive quod caesura Tritimemeris, sive quod sequitur adspiratio, produci potest. In aliquot etiam exemplaribus antiquis legere est: *Ida comitantur ab alta*, non *Lycia*. Nempe quod epitheton monti potius quam provinciae congruat. Sed enim Servius *alta* pro nobili positum ait. Pluribus enim de caussis Lycia nobilis.

128. Lyrnesius Agmon. Antiqua exemplaria *Acmon*, per c scribunt. Sunt vero omnino adeo cognatae litterae c & G, ut vix pronuntiatione distingui intelligantur. Est & illud in quibusdam codicibus antiquis, quod saepe c pro s ponitur: quia posteriora tempora figuram s litterae, si Graece scriberent, ad similitudinem c litterae Latinae delinearunt. Quare non mirum si etiam *Lyrnecius*, pro *Lyrnesius*, scriptum inveniatur.

129. Nec fratre Menestheo. Servius omnino dactylum vult in quinta sede, & *Menestheo*, interjecta vocali E inter M & N, omnino legendum contendit. Neque desunt vetusti codices, qui eodem scribant modo. Antiquiora tamen exemplaria versum spondaicum faciunt, dum *Mnestheo* legunt. Ultimae enim duae syllabae in unam coëunt, κατὰ συνίζησιν.

136. Aut Oricia terebyntho. Multi *Oricia*, per c scribendum curarunt. Vulgatiora exemplaria per θ, *Orithia*. Verum *Oricus*, per ω μέγα, civitas est Ionio sinu: & *Oricae*, paludis in Epiro, sua in Europa mentionem facit Hecataeus. Et ab utroque nomine *Oricius* deducitur. Quae dicta volui, quia sunt, qui *Orithon*, per θ, & ita *Orithia* scribendum libris jam editis autumant. Sed & *Terebynthum*, per Y in pene ultima male scribunt, quae ἰῶτα est apud Graecos. In quo omnia corrigenda sunt exemplaria Latina. Praeterivi vero

ro de industria, quod in quibusdam veteribus codicibus, *Coritia* legitur, quum *Oricia* in longe pluribus legatur.

138. ET MOLLI SUBNECTIT CIRCULUS AURO. In codicibus nonnullis admodum vetustis, *subnectens* legitur.

142. PACTOLUSQUE IRRIGAT AURO. In Romano codice, non sine dulci aurium pruritu, *Pactolos* legitur. In aliquot aliis, *Pactolus & irrigat*. Sed *Pactolusque*, vel *Pactolosque irrigat*, plurium codicum consensu comprobatur.

144. AGGERE MURORUM. *Moerorum*, hoc loco scriptum est in Romano codice. In aliis *murorum*.

154. TUM LIBERA FATIS. In Romano codice & Oblongo *fati*, singulari numero, genitivo casu legitur: quod minime contemnendum est.

157. ROSTRO PHRYGIOS SUBVECTA LEONES. In Mediceo, in Porcio, & aliis plerisque codicibus antiquioribus, scriptum observavi *subjuncta*, quod longe venustius est. Praeterea autem lectionem eam, quae *subjecta* legit: quod non ita placet.

168. QUIQUE URBEM LIQUERE COSAS. Usurpationem esse dicit Servius, *urbem Cosas*, quum apud Sallustium singulari numero dicatur. Arusianus inter elocutionum exempla hoc observat: *Urbem singulari numero, & nomen plurale conjunctum.*

170. UNA TORVUS ABAS. In Romano, *torvos*: & ita pleraque alia, quae consulto dissimulavimus, ne delicatis quorundam auribus fastidio essemus.

172. SEXCENTOS ILLI. Adeo varia est scribendi ratio, si omnia confectere, ut nullum pene verbum invenias uno modo scriptum, quod alia aut alia aetas aliter non scripserit. *Sexcentos* quidem nemo non per x notat; sunt tamen antiqui codices, in quibus id nomen per s notatum invenias *sescentos*, quum tamen aetates quaedam aliae s in x mutare gauderent: ut in nomine *Xecundus* fieri solitum, superius indicavimus.

183. QUI CERETE DOMO. Non referam loco hoc codicum varietates, quum omnino casta lectio sit *Cerete domo*, ea elocutione, qua dictum alibi: *Qui genus unde domo.* Quaque dixit Horatius: *Unde domo, Quis.* Ita in ultima scena Poenuli Plautini, *domo Carthaginenses sunt.* Et quod Romae apud Zampolinos ostendit mihi Antonius Valla Theanen. antiqua inscriptione notatum, D. PERUSIA, quod signat *Domo Perusia.* Atque in iisdem aedibus:

POLINGENVOS DOMO
BONDINCOMAGUS.

Ex quo locus apud Plinium examinandus de *oppido Bondinco*, in Padi hostio.

184. INTEMPESTAEQUE GRAVISCAE. In Romano codice, *Gabiscae* legitur, Librariorum imperitia: *Graviscas* enim, quod gravem aerem sustineant, dictas ajunt.

186. TRANSIERIM CIGNE. Sive *Cicne*, ob cognationem; sed enim nomen hoc in antiquis exemplaribus aliter scriptum inveni. Siquidem in eo codice, quem Pomponii Laeti delicias fuisse dicunt, & in vetustis aliis plerisque, qui apud me sunt, atque etiam in aliquot aliis Vaticanae bibliothecae, legitur, *Cinere*: in Romano *Cumare*. *Cycne* vero, & *Cygne*, divulgatorum est exemplarium. Non enim hic Ligurum ductor *Cycnus*; sed insignis Cycni gestamine inducitur ob ejus Cycni memoriam, qui luctu Phaëthontis canentem molli pluma duxisse senectam fertur.

187. OLORINAE SURGUNT DE VERTICE PENNAE. In Romano codice: *pinnae*, ut adsolet, in aliquot aliis, *cristae* notatum est; sed *cristae*, paraphrasin fuisse crediderim.

198. ILLE ETIAM PATRIIS AGMEN CIET OCNUS IN ORIS. In antiquo satis exemplari legere est, *quin etiam patriis.* Hemistichium vero reliquum duabus transpositis dictionibus, in uno ex antiquioribus, qui sunt in Vaticana bibliotheca, legitur, *Patriis Ocnus ciet agmen ab oris.* Est & ubi legatur, *Ognus*, per G, uti *Cycnus*, & *Cygnus*.

205. QUOS PATRE BENACO. In Romano codice, *Venaco*, more suo scriptum est per v digammon. Quinetiam Adamantii Martyrii regula est, ut in iis, quae utrum per B mutam, an per v digammon scribenda sint, quaerit, sive producta fuerit prima sede collocata, si quidem masculini vel neutri generis existant, per v signari, ut *venator*, *velum*, *veretrum*, τὸ μόριον, *venabulum*: & similia. Si vero foeminina sint, tantummodo quorum origo a masculino venire non cernitur, per B mutam scribi debere, *besica*, *bellua*, *bestia*; designat tamen quae duarum fuerint syllabarum, ex quibus *Beta*, τὸ σεῦτλον, polisyllaba sequatur. Quare, qui *Venaco* scripsere, Adamantii sententiam secuti sunt. Sed enim quam ponit ille, *Besica*, nemo nunc per B scribit, si Latine: a vento vero eam deduci tradit Caper, & *vensica*, ea de caussa dicta est a nonnullis. Sunt praeterea multa alia, quae nunc aliter scribimus & enuntiamus, quam Adamantius praeceperit: *vernam* enim per v scribimus & enuntiamus, pro servo domi nato, quem ille, uti superius diximus, tum differentiae caussa, tum etymologiae, per B scribi praecipit. *Larva* etiam, τὸ δαιμόνιον, per v scribimus, ille per B mavult, *larba*, non aliter ac *herba*, *tuba*, *turba*. Similiter nos *naevus*, per v, ille per B, *nebus*, ut *sibus*, *rebus*. Contra vero, nunc omnium mos

Latine scribentium est, ut *labor*, *balbusque*, per B mutam scribantur; ille *lavor*, ut *favor*, & *fervor*, scribit: & *balvum*, ut *curvum*, *saevum*, *torvum*, per V digammon. Sed utrum nos, an ille melius, incompertum est mihi: quum videam non solum inscriptiones tam multas a nostri temporis usu variare; verum etiam opinatissimorum hominum sententias super hac scribendi ratione latas. Sed enim optimum factu judicaverim ita se ad usum accommodare; ne, dum doctiores esse volumus, derisui habeamur. Sequamur vero M. Tullii Ciceronis exemplum, qui, quum pleraque aliter quam in usu forent, enuntianda cognosceret, libentissime tamen cessit consuetudini. Neque vero nos tam multa ex marmoribus, ex nomismatis, ex tabulis aeneis, ex diversorum Grammaticorum sententiis, ex veteribusque codicibus congessimus, ut omnia ea suscipienda censeremus; sed, ut quos Grammaticorum vulgus nunc errores appellat, non imperitia, sed temporum usu evenisse commoneremus.

207. Centenaque arbore fluctum verberat. In Romano codice, *fluctus*, plurali numero.

211. In pistrin desinit alvus. In antiquioribus *pristin*, de quo dictum.

214. Spumas salis aere secabant. In aliquot antiquis codicibus, *ruebant*, legitur, versu aliunde repetito.

215. Jamque dies coelo discesserat. In antiquis exemplaribus, quod valde placet, *concesserat*, legitur: quamvis *discesserat* non improbem.

223. Quot prius aeratae steterant ad littora prorae. Versum hunc superius habundare diximus: neque in veteribus codicibus, nisi adscriptum, inveniri; hic vero congruum habet locum. Caeterum in Oblongo codice, non *prorae*, sed *naves*, scriptum est. In aliquot aliis, *puppes*, legitur: quod ideo placet, quia, uti eo loco superiore dicebamus, prorae pelago obvertuntur, stant litore puppes.

228. Tunc sic ignarum adloquitur. In Romano codice, *ignavum*, librarii omnino indiligentia scriptum est.

233. Rumpimus invitae tua vincula. In codicibus aliquot antiquis, omnino *rumpimus* habetur; sed in Mediceo, & plerisque aliis, *rupimus*, praeterito tempore.

242. Primus in arma. Sunt codices antiqui, ubi *pronus in arma* sit scriptum; sed *primus*, castior lectio. Quem dedit ipse invictum Ignipotens. In codicibus aliquot antiquis legere est: *Quem dedit ingens*; sed *ipse*, magis placet, & pondus habet.

251. Supera aspectans convexa. In nonnullis codicibus antiquis, *spectans*, legitur; sed magis placet, *adspectans*.

261. Clypeum tum deinde sinistra extulit ardentem, clamorem ad sidera tollunt Dardanidae. In antiquis plerisque codicibus, *clipeum cum*, & *quom* legitur: hoc est, Quom inde extulit clipeum, Dardanidae clamorem tollunt. Altera tamen lectio per dissoluta membra magis Poëtica est.

263. Dardanidae e muris. In Romano codice, *Dardanidae muris*, absque E particula legitur, adverbialiter. Reliqua exemplaria, *e muris*, habent. Eamque lectionem agnoscit Probus, ubi fieri synaloepham ait, quum diphthongus in simplicem longam cadit, hoc exemplo.

270. Ardet apex capiti. In Romano codice, *capitis*, legitur; sed enim magis placet *capiti*, dativo casu. Cristisque a vertice flamma funditur. Confusus nimium ordo, nisi vetera succurrerent exemplaria, ut antiquissimum illud Romanis litteris perscriptum, in quo legere est: *Cristisque ac vertice flamma funditur*: ita etiam in Mediceo. In aliquot aliis veteribus, *cristis ac vertice*, legitur, absque *que*. Utrumlibet ex his magis placet, quam *a vertice*.

271. Et vastos umbo vomit aureus ignes. In antiquis nonnullis codicibus, *aeneus* legitur; sed *aureus*, rem magnifice magis amplificat. Et inferius, ubi Aeneas congreditur cum Mezentio, idem habetur: *Sed sustinet aureus umbo*. Sciendum vero, in eadem dictione eandem esse lectionis varietatem apud Livium lib. VIII. de bello Macedonico. Et XII. *Clypea aerata ab aedd. Cur. P. Claudio, & P. Sulpitio Galba sunt posita*: quod in emendatioribus exemplaribus, *aurata*, legitur.

277. Littora praeripere. In antiquioribus codicibus legitur: *litora praecipere*: id vero significat, capere ante locum: quod in historiis frequens, & apud Livium lib. II. tertiae Decadis, ubi passim legitur de Annibale effugium meditante: *Dum ipse longius spatium fuga praeriperet*, antiquiores codices habent, *praeciperet*. Et eodem modo libro primae Decadis sexto, ubi legitur: *Nobiles homines in possessionem agri publici grassari: nec, nisi antequam omnia praeripiant, divisus sit, locum ibi plebi fore*. In antiquo codice, *Nisi antequam omnia praecipiant*, scriptum est.

280. In manibus Mars ipse viris. Romanus codex, & alia quaedam vetera exemplaria, *viri*, legunt, vocandi casu; sed neque displicet, *viris*, hoc est iis, qui viri erunt, Mars favebit.

283. Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima. Romanus codex, & plerique alii veteres admodum, legunt: *Dum trepidi egressique labant vestigia*: quod magis figuratum est. Alii

Alii quidam codices manu scripti, *gressusque*, legunt; sed vulgatam ego lectionem non damnarim.

288. MULTI SERVARE RECURSUS LANGUENTIS PELAGI. Sunt codices antiqui, in quibus legatur, *recessus*; sed *cursus*, & *recursus*, in hoc significato in usu est frequentiori.

291. QUA VADA NON SPERAT. Romanus codex cum Oblongo, & aliquot aliis, legunt: *qua vada non spirant:* ut illud in primo Georgicon: *Fervetque fretis spirantibus aequor*. In uno ex iis, qui, *spirant*, legunt, paraphrasis superaddita, *crispantur*; sed magis placeret, *in verticem desidunt*. Quin etiam in aliquot ex iis, qui apud me sunt, legere est: *qua vada non spumant*. Servius, *sperat*, melius esse putat: quod majorem viri ferociam ostendit. Ridiculum, quod in impressis aliquot codicibus, *spectat* legitur.

297. FRANGERE NEC TALI PUPPIM STATIONE RECUSO. Romanus codex, Mediceus, & alii quidam pervetusti, legunt, *puppes*, numero multitudinis: quod ostendit, eum parvi facere navis omnes, quotquot agebat, dummodo semel arripiat tellurem: & hoc quoque magis ac magis hominis ferociam, ardoremque pugnandi indicat.

306. ET FLUITANTIA TRANSTRA. Non placet, quod in antiquis aliquot codicibus legitur, *effluitantia:* nam sententia & illud exposcit.

307. RETRAHITQUE PEDES SIMUL UNDA. In codicibus aliquot antiquis, *pedem*, legitur, figurate.

313. PERQUE AEREA SCUTA. In Romano codice, in Mediceo, & in eo, qui apud me est, *suta*, legitur: quod nequaquam displicet, quum pulchra sit loricae periphrasis, a *suo*, *suis*. Eodem vero vocabulo, sed forma alia, usus est etiam in quarto Georgicon: *Corticibus fuerint tibi suta cavatis*.

315. INDE LYCHAM FERIT EXECTUM JAM MATRE PEREMPTA. In Romano codice, & aliquot aliis, *exsectum*. integris partibus. Missum facio codicem antiquum, in quo, *exemptum*, legitur. Ea enim paraphrasis fuit, quae contextui mox inserta est. In Oblongo perveteri exemplari, & *sectum*, legitur, quod nescio quid leporis habere videtur & particula copulativa geminata, & *sectum jam matre perempta*, & *tibi*, *Phoebe*, *sacrum:* in quo illud etiam animadvertendum, in nonnullis codicibus antiquis, *satum*, non *sacrum* legi: quod non aeque placet.

316. CASUS EVADERE FERRI, CUI LICUIT PARVO. Haud temere in codicibus aliquot antiquis scriptum crediderim, *quod licuit:* ea quippe de caussa sacrum, quod parvo licuit ferrum evadere, quum maternus uterus exsecaretur.

319. NIL ILLOS HERCULIS ARMA. In antiquis codicibus, *nihil:* & pro *nil validae*, *nec validae*, legitur.

322. ECCE PHARON VOCES DUM JACTAT INERTES. Romanus codex, & Oblongus, *Pharo*, absque N scribunt, ut *Plato*, *Solo*, & hujusmodi pleraque, quae apud Latinos absque N littera proferri debent. Cujus rei manifestum usum videas apud Statium Papinium: *Stimulatque Agamemno volentes*. Sane C. Julius Romanus, quem Sosipater scriptorem diligentissimum appellat, dictum a Virgilio notat, *Exultat Amazon:* quamvis nullum nomen Latinum *on* litteris finiatur, & ideo *Rhodum*, & *Delum* accusativo dicamus. Quaedam tamen esse inquit Plinius Secundus, quae ad nos usque proprios gentis suae vultus, formamque custodirent, ut *Pluton*, *Xenophon*, de quo alibi.

334. STETERANT QUAE IN CORPORE GRAJUM. In antiquis aliquot codicibus, *steterunt*, legitur: ut illud: *Obstipui steteruntque comae*.

337. MEONIS. In antiquis codicibus plerisque cum diphthongo, *Maeonis*. CUM PECTORE RUMPIT. In Romano codice, *rupit* est, praeterito tempore. In aliis, *rumpit*.

339. TRAJECTO MISSA LACERTO PROTINUS HASTA FUGIT. Servius TRAJECTO, *retroacto*, exponit. At cur non potius *transfosso*, ut hastae impetu lacertum intelligamus trajectum? quum subsequatur: *Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit*.

345. VIRIBUS HIC FIDENS PRIMAEVO CORPORE LAUSUS ADVENIT. In hoc membro codices tam impressi, quam manu scripti, tam veteres, quam novi, multipliciter variant. In omnibus tamen venerandae antiquitatis codicibus pars illa prior eodem consensu legitur: *hic Curibus fidens*, quod etiam Servius submonuit. Deinde Lausi nomen ad hanc usque aetatem quorumdam omnino veterum codicum adsensu admissum est, quum *Clausus*, a quo *gens Claudia* derivatur, Sabinorum ductor alibi nominetur a Virgilio: *Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus*. Et hic vetera quaedam exemplaria, *Clausus*, habent. Sed interim eorum stuporem praetereamus, qui Numitorem, Curibus populis clausum stipatumque, quod juventuti primaevae sideret, Aeneam telo petiisse interpretantur. Sane vero quod *advenit* in impressis codicibus omnibus legitur, neque non in aliquot ex vetustioribus, in Oblongo illo Pomponianis deliciis, *advolat*, habetur.

352. OCCURRIT HALESUS. In antiquis, *obcurrit Alaesus*, diphthongo AE in media sita syllaba: quae tamen raro in codicibus antiquis habetur; sed ita Graeci scribunt hujusmodi nomen Ἄλαισος, absque etiam adspiratione.

359. STANT OBNIXI OMNIA CONTRA. In antiquis

tiquis omnibus exemplaribus, praesertimque Vaticanis tribus, legere est: *Stant obnixa omnia contra*: reliqui fere omnes abrasi, in quibus, *obnixi*, adulterina lectione repositum: nam *obnixa*, cum Servii quadrat interpretatione dicentis: *Mare mari, nubes nubibus, venti ventis.* Neque vero parum me moverit Arusiani Messi observatio, dum is elocutionis modum, quo *obnoxius contra illa* dicimus, hoc exemplo probat: *Stant obnixi omnia contra:* ubi de ventis dubio procul intelligit: si *omnia* sit praepositionis appositum. Dici vero & *obnoxius huic rei*, ex Georgicon tertio, & Aeneidos duodecimo comprobatur: *Arboris obnixus trunco.*

366. DIMITTERE QUANDO SUASIT EQUOS. In antiquis aliquot, *demittere*, legitur: nam *dimittere*, in diversas partes mittere significat: & *dimissus Senatus*, quia alius alio, domum quisque suam revertens, ingreditur. Juniores tamen Grammatici volunt *demittere*, deorsum mittere significare, neque unquam accipi pro relinquere.

371. PATRIAE QUAE NUNC SUBIT AEMULA LAUDIS. In Romano codice, & plerisque antiquioribus codicibus, *laudi*, dativo casu legitur.

373. QUA GLOBUS ILLE VIRUM DENSISSIMUS URGET. In Romano codice, *quo*, & *urguet*, Attiano more habetur. Ita inferius: *Mortali urguemur ab hoste.*

377. ECCE MARIS MAGNO CLAUDIT NOS OBJICE PONTUS. *Magno*, virili genere, in impressis omnibus codicibus legas: in antiquis vero, *magna*, foeminino genere. Idque recepisse Servius videtur, quum dixit: *Quidam magno objice legunt.* Atque nonnullos ad evitandam ambiguitatem legere malle, *magni*, scilicet maris. Usqueadeo vates, summus loquendi, scribendique artifex, sub ferulam, si Deo placet, revocatur a Grammaticis, qui nolunt amplius *hic* & *haec obex* dici: ut veteribus dicere concessum est. Est & illud adnotandum, *obice*, unico I, in antiquis codicibus scribi.

378. DEEST JAM TERRA FUGAE, PELAGO TROJAMNE PETETIS. *Pelago*, impressa omnia legunt exemplaria; quum tamen in vetustioribus omnibus, *fugae*, *Pelagus*, legatur; quod alii viderint. Praeterea pro, *petetis*, *petemus*, persona prima, in plerisque codicibus habetur. In aliquot ex iis, qui apud me sunt, *petamus*, quod figuratius est.

381. HIC MAGNO VELLIT DUM PONDERE SAXUM. In Romano codice, *vellit magno*; sed quod ibidem *cum*, pro *dum*, positum est, non placet: lege vero *hunc*, accusativo casu.

388. HINC HELENUM PETIT. In antiquis plerisque codicibus, *Stelenum*, habetur: unde Librarii S & T in adspirationem convertere. In Romano vero codice, *Stenelum*, legitur; sed absque adspiratione. Id vero nomen apud Graecos per θ notatur Σθένελος.

398. MISTUS DOLOR ET PUDOR ARMAT IN HOSTES. In Romano codice pro, *pudor*, legitur *furor*; sed enim *pudor* magis placet: quia viderunt juvenem Pallanta strenue facientem, a quo tam acriter reprehensi fuerant.

403. FRATREMQUE TYREN. In Romano codice, *Tyrin:* quia scilicet ητα nunc aliter pronuntiatur apud Latinos, aliter apud Graecos: Τύρην enim est a nominativo Τύρης.

405. AC VELUT OPTATA VENTIS AESTATE COHORTIS. *Optata* quidem in vulgatis codicibus habetur; sed enim antiqui omnes, quotquot habui, *optato*, legunt, adverbialiter, quod admittere videtur Servius, dum interpretatur, *ex voto.* Sed ejus quoque exemplaria passim corrupta sunt. Hoc vero ita legendum, OPTATO, id est, *ex voto: per aestatem enim venti frequenter optantur, & quasi contingere videntur ex voto:* quod si, *optata*, legas, nihil ad Servii paraphrasin; sed contrarium sensum habebit: ut aestas optetur ventis surgentibus. Quare *optato* omnino mihi legendum videtur.

410. NON ALITER SOCIUM VIRTUS COIT OMNIS IN UNUM. In Oblongo numerus ita mutatus: *non aliter virtus socium coit.*

411. HALESUS. In aliquot antiquis, *Alaesus*, per AE diphthongon, ut superius dictum, & absque ulla adspiratione.

414. DEXTRAM FULGENTI DIRIPIT ENSE. Non in antiquo tantum codice Romano, verum etiam in quibusdam aliis pervetustis, hoc loco legitur, *deripit*, per E: significat enim hoc separationem; sed aliud quid in *diripere.*

416. OSSAQUE DISPERGIT. *Dispergit*, instanti tempore, legitur in vulgatis exemplaribus. In antiquioribus vero omnibus, quos prae manibus habuimus, *dispersit*, praeterito.

417. FATA CANENS SYLVIS GENITOR CAELARAT ALAESUM. In codicibus nonnullis, *fata cavens*, legitur: quod non ita Servio satisfacit.

Ibid. HALESUM. In aliquot antiquis *Alaesus* per *ae* diphthongon, ut superius dictum, & absque ulla adspiratione.

421. DA NUNC, TYBRI, PATER. In Romano codice, familiari errore, *Tybre*, scriptum est.

424. DUM TEXIT IMAONA. In aliquot antiquis, *Imaeona*, per AE diphthongon, legitur; sed in pluribus, *Imaona*. Sed neque placet *Abanthum*, ut in Romano codice legitur, quum *Abas*, *Abantis*, declinetur; quare *Abantem* rectius.

428. OPPOSITUM INTERIMIT PUGNAE. In Romano codice, utraque orationis parte integra, *interemit*, scribitur, pene ultima correpta: non enim praeteritum est.

439. MONET SUCCURRERE LAUSO. *Succurrere*, passim in vulgatis est codicibus. In pluribus vero

ro

ro manu scriptis, praesertimque Vaticanis, *succedere*, scriptum animadverti. Neque tamen nusquam *succurrere* legitur.

441. TEMPUS DESISTERE PUGNAE. In Romano codice, *pugna* est, auferendi casu.

444. ET SOCII CESSERUNT AEQUORE JUSSI. In Mediceo, & antiquis aliquot exemplaribus, *jusso*, legitur: quod figurate dictum agnoscit Servius.

445. TUM JUSSA SUPERBA. In Oblongo codice perveteri, *dicta*; sed *jussa* magis placet.

446. MIRATUS STUPET. Quidam codices antiqui, *miratur*, habent: quod non ita placet.

455. MEDITANTEM PRAELIA TAURUM. Duo exemplaria antiquiora Vaticanae bibliothecae legunt: *Meditantem in praelia*.

462. CERNAT SEMINECI SIBI ME RAPERE ARMA CRUENTA, VICTOREMQUE FERANT MORIENTIA LUMINA TURNI. In Oblongo codice, *cernant*, numero multitudinis legitur: cujus suppositum erit, *lumina morientia*, in quo etiam, *mortalia* scriptum est; sed ut alterum illud non improbarim, ita hoc minime receperim, quum *morientia* magis faciat ad sententiam.

465. LACHRYMASQUE EFFUDIT INANES. In aliquot antiquis codicibus: *Lacrumasque effundit inanis*: sed *effudit*, praeteritum, magis placet, posito, *audiit*.

470. TOT NATI CECIDERE DEUM. In antiquis, *gnati*, ex Valerii Frontonis distinctione.

471. ETIAM SUA TURNUM FATA VOCANT. In codicibus aliquot, *manent*, legitur; sed *vocant* magis placet, quia magis facit ad consolationem, si poena non differatur: & *vocant*, instare significat.

475. FULGENTEM DIRIPIT ENSEM. In Romano codice, *deripit*, more suo, uti superius.

476. HUMERIS SURGUNT QUA TEGMINA SUMMA. In nonnullis Vaticanae bibliothecae codicibus, & in iis, qui apud me sunt, *humeri*, habetur, genitivo casu: quod magis placet: & pro *summa*, *prima*, legitur in Romano codice.

482. TOT FERRI TERGA TOT AERIS, CUM PELLIS TOTIES OBEAT CIRCUNDATA TAURI. In antiquis nonnullis codicibus reperitur, *cum*, sive *quom*: non *tot*, hoc pacto: *Dixerat; at clipeum quom ferri terga tot aeris, Quom pellis toties obeat circundata tauri*. Sed omnino melius, ut in vulgaris.

484. VIBRANTI CUSPIS MEDIUM TRANSVERBERAT. In aliquot, *vibranti medium cuspis*, mutato numero.

486. ILLE RAPIT CALIDUM FRUSTRA DE VULNERE TELUM. In Romano legitur: *de pectore*.

487. SANGUISQUE ANIMUSQUE SEQUUNTUR. In Romano codice, & aliquot aliis, *sanguis animusque*, absque particula copulativa priori loco; sed enim ea repetita in similibus plena venustatis est, nisi versum etiam clanguescere anima deficiente velimus.

488. CORRUIT IN VULNUS. In Oblongo codice pervetusto, *concidit* legitur; sed *corruit* majorem habet vim.

490. QUEM TURNUS SUPER ASSISTENS. In Romano codice versus integer, his additis dictionibus: *sic ore profatus*. Alii nugas alias addidere.

496. EXANIMUM. Antiqui codices libentius *exanimem* scribunt per E, ut observatum saepe; sed utrumque receptum a Grammaticis.

499. QUAE BONUS EURYTION MULTO CAELAVERAT AURO. *Eurytion*, passim in codicibus impressis habetur; sed in antiquis, *Eurytides*, uno omnium consensu positum est. Epitheton vero illud, *bonus*, in manu scriptis exemplaribus variat: nam Oblongus codex, Mediceus, & aliquot ex iis, qui apud me sunt, *Clonus*, habent. Romanus una plus littera *Clonius*. Alius codex pervetustus *Comus*. Sed quum *Eurytides* sit patronymici forma, *Clonus*, quod in codicibus emendatioribus habetur, pro nomine proprio mihi magis placet. Legendum igitur, *Quae Clonus Eurytides*.

507. O DOLOR, ATQUE DECUS MAGNUM REDITURE PARENTI. In Romano codice, *parentis*, quippe dolor, & decus; sed omnino magis placet, *parenti*, acquisitivo casu.

512. TEMPUS VERSIS SUCCURRERE TEUCRIS. In Romano codice hoc etiam loco, *succedere*, legitur, uti superius, *succedere Lauso*.

516. MENSAE QUAS ADVENA PRIMUS TUNC ADIIT. In Romano codice, *primum*. In aliis quibusdam, *primas*. Idem tamen facit *primus*, sed figurate.

521. INDE MAGO PROCUL INFENSAM QUUM TENDERET HASTAM. Varia versus hujus lectio est apud codices antiquos. Impressi vero vulgatique omnes conveniunt in epitheto, *infensam*; sed in Romano, *infestam*, est. Praeterea, *cum tenderet*, vulgo legitur; sed in Romano, *contorserat*. Oblongus vero, atque aliquot alii eadem forma, unica dictione, *contenderat*. Tu vero videris, sive *cum tenderet*, sive per interpositionem, *Procul infensam contenderat*, legi placeat, utrum *Mago* sit dativi casus, ut Servius putat.

536. CAPULO TENUS ABDIDIT ENSEM. Romanus codex, Mediceus, & aliquot alii admodum vetusti, legunt, *applicat ensem*.

537. NEC PROCUL AEMONIDES. In codicibus aliquot antiquis huic nomini aspiratum est.

538. INFULA CUI SACRA REDIMIBAT TEMPORA VITTA. Romanus ille codex secretior, *sacro*, legit, pro sacerdoti. Praeterea sunt qui *redimeibant* per *ei* in pene ultima scribant, quod ego nus-

nusquam in his codicibus antiquis observavi; sed recte fieri, ex frequenti scriptione hujusmodi, quae in antiquorum monumentis passim inspicitur, & ex Lucillii instituto superius ostendimus.

542. Tibi Rex Gradive tropheum. In compluribus ex his veteribus codicibus, *tropaeum*, absque adspiratione legitur: & ita scribendum esse censent plerique viri doctissimi, ejusque inscriptionis usus in veterum monumentis non uno apparet loco.

555. Truncumque repente Provolvens. Oblongus codex, atque etiam alter publico expositus usui, neque non Mediceus, *tepentem*, habent. Romanus quoque huc tendit, quamvis litteris transpositis, *petentem*, ibi fit.

557. Nunc te optima. Potius, *non*. In aliquibus vero codicibus, deest *te*.

561. Protinus Antaeum et Lycam. In Oblongo codice, *Lyncam*, est, una plus littera. Romanus, *Lucam* habet, quod ridiculum forte cuipiam videbitur; sed enim in aliquot aliis quoque codicibus, eodem modo *Lycam* scriptum inveni. Neque quod y in u mutatum sit, ut in plerisque aliis factitatum; sed quia *Lucam*, eadem pene forma, qua *Lucagus*, apud Virgilium Latinam esse dictionem crediderim, prima producta, quae corripitur in *Lyca*, ut ibi: *Inde Lycam ferit.* Et ita apud Ovidium semper. Sic etiam reliqua ejusdem analogiae, *Lycaon*, *Lycurgus*. Nos vero frequenti nuncupatione Elephantos comperimus *Lucas boves* appellatos a Lucania, ubi primum eos viderint Romani: quare *Luca* Romanum est vocabulum. Quod vero sequebatur, satis corrupte: *Prima agmina Turnum*, ex antiquioribus exemplaribus recte jam scribi coeptum est, *Turni*.

563. Magnanimo Volscente satum. In antiquis codicibus vel s, vel c tantum invenias scriptum, *Volsente*, vel *Volcente*: quod superius adnotatum est.

569. Aeneas desaevit in aequore victor. Sunt codices antiqui, in quibus non *in aequore*, sed *in agmine* legatur; sed enim magis placet *in aequore*: quia multo plus dicit.

570. Quin ecce Nyphei. In antiquis aliquot *Nipaei*, absque adspiratione, & per i Latinum; sed *Nyphaei* frequentius.

571. Quadrijuges in equos. In codicibus aliquot antiquis, *quadrijugos* legas.

574. Rapiuntque in littore currus. Romanus codex, cum altero exposito Vaticanae bibliothecae, legunt *ad litora currum*. Unum enim currum agebat Nyphaeus. In quibusdam aliis codicibus manu scriptis, non contemnendae vetustatis, legere est, *rapiuntque ad litora cursus*; sed magis placet *currus*, aut *currum*: quia facta est mentio effusi ducis.

580. Cui Liger. Quamvis non parum venustatis & elegantiae videatur habere lectio absque eo carminis imperfecti principio, *Cui Liger*; ea tamen duo verba passim in antiquis codicibus reperimus: quare illa praeterire religio est.

581. Nec currus cernis Achillis. In aliquot codicibus antiquis *currum*; sed hic magis placet *currus*, numero plurali ad amplificationem positum.

585. Jaculum nam torquet in hostem. Exemplaria pleraque ex iis, quae fuere nobis prae manibus, *in hostes*, numero multitudinis legunt: una enim Lucagus, & Liger impetum faciunt in Aeneam, cujus uno tantum ictu alter moribundus volvitur, alter delapsus veniam implorat.

595. Arripuit bijugos, frater tendebat inermes. In codicibus aliquot pervetustis, *inertis* legitur. Id tametsi non ita placebat: quia tamen tam multis in exemplaribus inveniebamus, duximus adnotandum.

602. Talia per campos edebat funera victor Dardanius torrentis aquae. Probatiores illi codices Vaticanae bibliothecae, & aliquot alii *ductor Dardanius* legunt: quod mirifice placet: ut inferius habebimus: *Saevae jamque altius irae Dardanio surgunt ductori.* Sunt etiam codices, in quibus non *Dardanius*, sed *Dardanus & torrentis aquae*, legatur. Illud simplicius, hoc figuratius est.

603. Vel turbinis atri More furens. In Romano codice, *fremens* legitur; sed hoc loco *furens* melius est, ut: *Furit immissis Volcanus habenis*: de clade enim hic loquitur, non de strepitu.

611. Cui Juno submissa. In Romano codice *& Juno summissa* legitur.

615. Quin et pugnae subducere Turnum. In codicibus nonnullis, *Turnum subducere pugnae*, legitur, transpositis dictionibus.

628. Cui Juno illacrimans. In Romano, *Cui Juno lacrumans*. Quid si, quod voce gravaris. In antiquis aliquot exemplaribus legere est: *Quid si quae voce gravaris.*

629. Turno rata vita maneret. *Rata* fere passim legitur, id Servius admittit; sed in Romano codice *data vita* habetur: quippe qui suo fato, non ferro violenter moreretur. Placet vero magis omnino *rata*.

631. Quin o potius. Nonnulli *quin ut potius* scripsere. Exemplaria vero tria Palatina, & aliquot ex iis, quae apud me sunt, *quod ut o potius* legunt: quamvis in eorum uno desit *o*: hinc aliqui, ut versui succurrerent, *quin* illud, pro *quod* posuere.

635. Iliacamque aciem, et Laurentia castra petivit. Non placet quod in codici-

bus

bus aliquot antiquis *tecta*, pro, *castra* legitur: quamvis de urbe possit intelligi. In aliquot vero aliis codicibus legere est mutato numero: *Iliacamque aciem petit*, *& Laurentia castra*.

644. IRRITATQUE VIRUM TELIS. Impressi codices omnes *irritat*, R geminato scribunt, sonet ut de nare canina litera; *irito* tamen ab *ira* est.

655. OSINIUS. In codicibus aliquot antiquis, *Osirius* legitur, insolitum nomen.

659. VIX PRORAM ATTIGERAT, RUPIT SATURNIA FUNEM. In veteribus codicibus pene omnibus, *rumpit*, instanti tempore legitur: res enim narratur in ipso actu.

660. AVULSAMQUE RAPIT REVOLUTA PER AEQUORA NAVEM. In antiquis omnino, *avolsam*; sed etiam in nonnullis *advulsam*, per *ad*, quod ad se traxisse significat. Scribe vero *navim*, per I, ex antiquis codicibus.

663. TUNC LEVIS HAUD ULTRA. In antiquis codicibus, *tum levis*.

667. MANUS AD SIDERA TENDIT. In antiquis plerisque codicibus *tollit* habetur.

668. TANTON ME CRIMINE DIGNUM. Erudite quidem Servius *tanton'* scribendum procuravit; sed enim ejusmodi scriptionis usum parcissime inveni in veteribus exemplaribus. In aliquot, ubi habebatur, lectionem eam nonnulli cultro etiam impetere ausi sunt. Priscianus tamen, ubi de *ne* particula agit, eam frequentissime ait interrogativam esse, ut illud: *Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia servas?* & in decimo: *Tanton' me crimine dignum*.

670. QUAE ME FUGA, QUEMVE REDUCET. Romanus codex, & alii nonnulli *reducit* legunt, praesenti tempore. De regressu enim suo in patriam loquitur. Est etiam in quibusdem codicibus manu scriptis, *Quae me fuga*, *Quaeve reducet?* Hoc est? Quo nunc fugio? Quo vero pacto revertar? Sed enim Servius agnoscit *quem*, hoc est, qualem: & haec castior est lectio apud plures.

673. INFANDA IN MORTE RELIQUI. Vetustiora pleraque exemplaria, *infanda morte* legunt, absque *in* praepositione: quam elocutionis figuram saepissime apud Virgilium inveneris.

675. ACCIPIO. Vetustissimum est, *adcipio* scribere; sed uti superius dictum, primum omnium Lucillius c in hoc verbo geminavit, teste Velio Longo. AUT QUAE JAM SATIS IMA. DEHISCAT TERRA MIHI. In Romano codice *dehiscet*, figuratius & elegantius.

676. TERRA MIHI VOS O POTIUS. In Mediceo legere est, *Terra mihi o vos o potius:* adverbio exclamationis repetito.

681. AN SESE MUCRONE OB TANTUM DEDECUS AMENS INDUAT. Multa Servius super hac elocutione, qui *mucrone*, ablativo casu legit; sed enim Romanus codex, *mucroni*, in acquirendi ponit casu: quasi dicat, *det se in mucronem*. Magis tamen placet Hypallage, quum in aliis plerisque, *mucrone* legatur. In Prisciani tamen codicibus, *mucronem*, accusativo casu legitur, ejusmodi constructionis aliis etiam exemplis positis: ait enim: *Coronatur illam rem*, *& illa re: quo modo etiam Induit*. Horatius: *Magna coronari contemnat Olympia*. Virgilius: *Induit albos cum vitta crines*. Et: *An sese mucronem ob tantum dedecus amens Induat*. Apud Caesarem tamen cum ablativo casu dictum invenies, ut in bello Veneto: *Acutissimis stipitibus induebantur*.

682. ET CRUDUM PER COSTAS EXIGAT ENSEM. In Romano codice *durum* legas, quod forte non displiceat: in aliquot aliis, *Crudum per costas dirigat*. Sed *exigat* omnino receptius.

686. JUVENEMQUE ANIMO MISERATA REPRESSIT. Variant exemplaria, dum quaedam *animo*, quaedam *animi* legunt. In quibusdam ultima syllaba vitiata subditiciaque; sed enim Arusianus Messus in exemplis Virgilianarum elocutionum *animi* genitivo casu agnoscit, una cum Servio, quae lectio est codicis Medicei.

696. IPSA IMMOTA MANENS. *Manens*, participii vox in Romano codice est, & in Mediceo, & in quibusdam aliis: in Oblongo, *manet*, verbum.

702. NEC NON EVANTEM PHRYGIU M. *Paridisque Minanta Aequalem*, *comitemque una quem nocte Theana In lucem genitori Amyco dedit: & face praegnans Cisseis Regina Parin creat: urbe paterna Occubat: ignarum Laurens habet ora Minanta*. In his versibus illud observavi: in Romano codice, *Mimanta*, per M secunda syllaba scribi, non per N, ut in vulgatis plerisque codicibus habetur: inde *Theano*, per vocalem quartam, non per primam: Graece enim Θεανώ. Si quis vero quaesierit quid sibi velit structura illa duriuscula, *urbe paterna occubat. Ignarum Laurens habet ora Mimanta*, sciat is, *ignarum* ab Aulo Gellio legi passivo significato, quem ipsum hunc Virgilianum locum & Plauti & Sallustii auctoritate subfulsit, dum nonnulla recenset nomina, quae in dextrum laevumque latus vestigia torquent. Quoniam vero in vetustis aliquot codicibus, & *occubat*, & *ignarum*, utramque dictionem subditiciam priore abrasa lectione perspicias, nonnulli, qui & ingenio & eruditione valent, codicum characteribus observatis, suspicati sunt, *ignarum*, adulterinam esse dictionem, & ex duabus unam effectam: ac si legeretur: *Urbe paterna Occubat hic. Carum Laurens habet ora Mimanta:* & sententiam candidiorem futuram & elocutionem elegantem. Hic quippe Paris, de quo dictum, occubuisse, Servius etiam agnoscit, *carum* vero *Mimanta* ipsi Paridi, cui

cui & aequalis & comes fuerat; sed enim non ego haec ita asseruerim, ut contra A. Gellii auctoritatem stare velim; qui praesertim apud Ovidium eandem hujus nominis formam observaverim lib. Metamorph. VII. *Jamque aderat Theseus proles ignara parenti:* quod minus advertentes interpretes, *ignota* ibi legendum putavere. Sed enim quo minus omnia possimus assequi, id etiam facit, quod multa toto opere relicta sunt imperfecta, vel ipso Virgilii de se testimonio: quare non ego quidquam succensuerim cuipiam, qui nonnulla conniventibus oculis praeterierit: ut ea quoque tam multa, quae in subsequenti comparatione perquiruntur: *Ac velut ille canum:* ubi unum ex duodecim locis obscuris esse Grammatici volunt.

716. Et vasto clamore lacessunt. In Oblongo codice, *magno*; sed plus est, *vasto*.

726. Comasque arrexit. In aliquot antiquis, *Comas adrexit*, absque particula copulativa. Sed ea apposita magis implet.

727. Visceribus super accumbens lavit improba teter Ora cruor. Exemplaria quaedam pervetusta legunt *super incumbens* In Romano *lavat*, in reliquis *lavit:* quod secutus est Balbus: *Lavitur patrios ubi victor ad amnes. Lavo* enim *lavas*, & *lavo*, *lavis*, Probus & alii litterati agnoscunt.

736. Posito pede nixus. *Nixus*, per x, omnia tam vulgata, quam manu scripta notant exemplaria. Probus, ut alibi dictum, id participium ejusdem formae dicit esse cum *Nisus* proprio nomine.

737. Pars belli haud temnenda viris jacet altus Orodes. Conclamant socii. In Mediceo codice *viri* legitur, cum paraphrasi, quae vocandi casum innuat.

751. Praecesserat Agis. In codicibus aliquot antiquis *Ages* legitur. In aliquot etiam *Hargis:* sed *Agis* receptum.

753. Dejicit Atronium Salius. Pro, *Atronium*, *at Cronium* in quibusdam codicibus inveni; sed *Atronium* in castigatioribus. Saliumque Nealces, Insignis jaculo et longe fallente sagitta. In Romano codice pro, *insignis*, *insidiis* legitur. Mox quae fuerint insidiae subjungit: *Jaculo, & longe fallente sagitta*; sed *insignis jaculo*, omnino recepta lectio. Est & *sagitta*, per *tt*, quam diximus a *sagaci ictu* dictam.

757. Fuga nota, nec illis. In antiquis *neque*, quod repetitum venustius videtur.

773. Telum quod missile libro. In Oblongo *vibro*; sed enim haec dictio saepe confusa aliis etiam locis reperitur.

778. Egregium Antorem. Sunt qui nomini adspirationem addant. In Romano tamen codice, & quibusdam aliis antiquis absque adspiratione notatur. Nonnulli etiam *Anctorem* scribunt c littera superflua. Quamvis ita etiam sit in Capri codicibus de Elegantiis, ubi *procul*, & longe & prope significare dicit. Inepte vero quidam & hic & ibi *auctorem* scripsere, inversa N littera. Citat porro Probus locum; *Herculis Antorem comitem*, ubi nomen *Antores* ita declinari dicit, ut *Diores*.

783. Illa per orbem Aere cavum triplici, per linea terga, tribusque Transiit intextum tauris opus. Missum facio *aere cavo*, in Romano codice; non enim ita placet, ut *cavum*. Illud non praeterierim, ubi *per linea terga* in aliis codicibus habetur, in Romano, *ter linea terga* legi, quod maxime placet. Sunt etiam codices, in quibus non *linea*, sed *lignea* legitur, uti superius de Sulmonis scuto transfixo a Niso, dictum est, *Fisso transit praecordia ligno*. Scuta enim viminum textu, vel bracteolis ligneis primum contexuntur: mox tergoribus superinductis, laminis etiam aereis vel auro vel argento muniuntur.

788. Eripit a femore. In Mediceo & antiquis aliis exemplaribus *a femine* legitur. Et *femen*, nominativum agnoscit Servius ex Capro: & ita legendum esse Grammatici veteres asseverant. C. Julius Romanus Tibullum citat, qui *femini* dixerit eo versu: *Implicuitque femur femini*, non *femori*, quasi sit *hoc femur*, *hujus feminis*. *Femen* enim nominativo, ut *femen*, nondum legimus (ait is) a veteribus adsertum. Sane vero & Sosipater hoc Virgiliano versu *femine* agnoscit. Cujus haec sunt verba: *Hoc femur, hujus femoris, sed frequentius hujus feminis, huic femini, dictum: & femina quam femora. Ideo Tibullus hoc ipsum erudite custodit, cum dicit:* Implicuitque femur femini, *& Virgilius:* Eripit a femine.

792. Siqua fidem tanto est operi latura vetustas. In antiquis aliquot exemplaribus, *tanto operi*, absque *est*, nulla facta collisione legitur: nam o etiam alibi apud Virgilium non in Graecis tantum dictionibus, sed etiam in Latinis libera evasit ab elisione, ut eo loco: *Maeonia generose domo, ubi pinguia culta*. Quodque alibi citavimus: *Antiqua e cedro Italusque paterque Sabinus*. Neque tamen displicet, *tanto est operi*, quod etiam plerique vetusti codices habent.

796. Proripuit juvenis. In Romano codice, *prorupit* legitur: quod ideo quadrare videtur, quia sequitur: *Seseque immiscuit armis*.

797. Jamque assurgentis dextrae plagamque ferentis Aeneae subiit mucronem. In antiquissimo codice Romano, *adsurgentis dextram*, accusativo casu legitur. Ut sit ordo: Subiit dextram Aeneae jam adsurgentis, & mucronem ferentis plagam. Dicet vero Mezentius inferius: *Ut pro me hostili paterer succedere dextrae, Quem genui.*

809. Nu-

809. NUBEM BELLI, DUM DETINET OMNIS, SUSTINET. In vulgatis quidem omnibus exemplaribus, & aliquot antiquis *detinet* legitur, hoc est, moratur; sed enim illa mihi lectio castissima videtur, quam in antiquissimo codice Romano reperi, *Nubem belli, dum detonet, omnem sustinet*: pulcherrima Metaphora, & conflictui maxime commoda: quia praesertim dixerat *nubem belli*, & alibi dixit, *Fulminat Aeneas armis*. Praeterea Servius lectionem hanc videtur agnovisse, dum exponit: *dum detonet*, donec deserveat. Superius vero illud, *dum pluit*, in eodem Romano codice *un* geminato *pluvit* scriptum est. Inde *pluvia*; sed hoc idem in aliis quoque auctoribus, antiquisque codicibus observes.

817. TRANSILIT ET PARMAM MUCRO. In Romano, & in Oblongo, *transit* habetur. Est tamen & *transilit* in antiquis aliquot codicibus.

818. LEVIA ARMA MINACIS. Quidam codices legunt *minantis*. Romanus duabus mutatis dictionibus, *media arma minaci* legit; sed omnino mos ejus librarii fuit, s nonnunquam superfluam ponere, nonnunquam ob negligentiam praeterire.

823. INGEMUIT MISERANS GRAVITER. Quidam antiqui codices legunt: *Ingemuit graviter miserans dextramque tetendit*.

834. VULNERA SICCABAT LYMPHIS, CORPUSQUE LEVABAT ARBORIS ACCLIVIS TRUNCO. Exemplaria complura, Romanum, Oblongum, & quaedam alia, legunt *lavabat*: quippe quia praejectum est, *Vulnera siccabat lymphis*: sed enim non desunt codices veteres, in quibus *levabat* legatur: & eam lectionem agnoscit Servius. Qua vero ratione *levaret membra*, tam vulneribus, quam certamine fatigata, subjungit, *Arboris acclivis trunco*; id quod in antiquis *adclinis* scribitur, quod Servius exponens, *inclinatione recreabat*, ait.

835. PROCUL AEREA RAMIS DEPENDET GALEA. In Romano codice *ramo*. Unus enim satis erat ad sustinendam galeam.

837. STANT LECTI CIRCUM JUVENES. In aliquot antiquis codicibus *Stant circum lecti proceres* legitur; sed haec majestas negotio bellico non videtur congruere: quare melius *juvenes*.

838. PROPEXAM IN PECTORE BARBAM. Malunt nonnulli, *perpexam*; sed *propexam* in antiquioribus habetur.

839. MULTOSQUE REMITTIT. In Romano codice legitur, *multumque remittit*. Sed magis placet *multos*, quod nescio quid vehementius habet, quum & instantiam, & iterationem nuntiorum ostendat.

844. CANICIEM IMMUNDO DEFORMAT PULVERE. Exemplaria omnia vetustiora, quae versamus, *multo deformat pulvere* legunt, quod miseriam auget. Sed *immundus* proprium est epitheton pulveris. Desumpta vero est ex Homero sententia, ubi de Achille, occiso Patroclo, haec miseriarum signa describuntur, Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν Χεύατο κὰκ κεφαλῆς. Quod ita etiam Catullus expressit: *Caniciem terra, atque infuso pulvere foedans*.

847. UT PRO ME HOSTILI PATERER SUCCEDERE DEXTRAE QUEM GENUI. In antiquis Prisciani codicibus hoc citato versu, *succumbere*, pro *succedere* habetur, quum tamen reliqui omnes Virgiliani codices, quos inspexi, *succedere* legant.

849. HEU NUNC MISERO MIHI DEMUM EXILIUM INFELIX. In vetustis plerisque codicibus *exitium* est, quod non aeque placet: ait enim se facile tolerare exilium potuisse, dum in tali nato conquiesceret, quo erepto, exilium demum infoelix esse. Quia vero sequitur, *Nunc alte vulnus adactum*, recte etiam legi potest *exitium infelix*, quum omnino filium sequi decreverit, neque eo perempto velit supervivere. Inde in Aeneam dicit: *Haec via sola fuit, qua perdere posses*. Infoelix autem, quod videat se dedisse caussam caedis: Infoelix, quod frustra se morti subtraxerit, quum eam nunc ultro appetere cogatur.

854. ANIMAM SONTEM IPSE DEDISSEM. Aliquot exemplaria *dedisse* legunt, ut conveniat cum verbo *debueram*.

857. ET QUANQUAM VIS ALTO VULNERE TARDAT. In vetustis codicibus quibusdam legitur *quamquam sese alto vol. tardet*; sed enim Servius *vis* agnoscit.

860. ALLOQUITUR MOERENTEM ET TALIBUS INFIT. In codicibus aliquot antiquis, *alloquitur moerentem, ac talia fatur*.

870. SIC CURSUM IN MEDIOS RAPIDUS DEDIT. In antiquissimo codice Romano legere est, *Sic cursu in medios rapidus redit*. AESTUAT INGENS IMO IN CORDE PUDOR. Multa quidem exemplaria vetera, *uno in corde* legunt; sed *imo* magis placet. In Mediceo autem codice, non *pudor*, sed *dolor* habetur; sed neque tacebo, quamvis ineptum mihi videatur, in codicibus aliquot manu scriptis legi non *pudor*, sed *puer*: quo itidem modo, iisdemque dictionibus peccatum est in eo Propertii versu: *Si puer es, alio traice tela*; quum legendum sit: *Si pudor est, alio traice tela puer*.

872. ET FURIIS AGITATUS AMOR ET CONSCIA VIRTUS. Carmen hoc non habetur in antiquissimo codice Romanae notae; sed locum habet in duodecimo libro, ubi Poeta de Turno loquitur, ut loco suo dicetur. Neque tamen incongruum est idem carmen in diversos usus disponere, veluti alterum illud: *Vitaque cum gemitu fugit indi-*

gnata sub umbras & Camillae & Turno adcommodavit.

874. Aeneas agnovit eum. In antiquis codicibus est *adgnovit enim*, per interpositionem dictum.

878 Quid me erepto saevissime nato Terres. In antiquis aliquot codicibus legere est *terreat:* quod quamvis ex sententiae congruitate sit elegantissime dictum, quo pacto tamen versui consultum sit, videndum. Id quidem, siquis admittere voluerit, aut Synerefim figuram esse dicat oportet, aut Amphimacrum loco dactyli positum: quod Virgilium etiam alibi fecisse a Terentian moniti comperimus: neque id Valerius Probus inficiari potest. Sed enim ut quid sentiam, dicam, Grammaticorum adhuc nemo loci hujus meminit tam insignis, non tacituri profecto, siquid illis tale suboluisset: quare *terres* legerim, ut longe plura habent exemplaria.

881. Desine, jam venio moriturus. In antiquis, quod magis placet, *nam venio* legitur.

898. Contra Tyrrenus ut auras. In aliquot codicibus *et* legitur: quod non ita placet.

LIBER UNDECIMUS.

Quanquam et sociis dare tempus humandis. Sunt, qui *et* particulam summoveant, &, *quanquam sociis*, legendum velint. Verum sententiae numerique concinnitas, & veterum omnium codicum consensus castiorem esse lectionem indicant, *Quanquam & sociis:* & ita prius erat in Mediceo, nunc & inde abrasum.

20. Annuerint Superi. Romanus codex familiari quodam errore librarii, *adnuerent*, legit, I litera in E mutata; sed *adnuerint*, vera lectio.

23. Qui solus honos Acheronte sub imo est. Pleraque vetera exemplaria, *sub imo*, absque verbo *est* legunt. Nempe, quia verbum id quibusdam tantum punctis in Codicibus manuscriptis notari solitum, fefellerit. Melius enim, *sub imo est*.

30. Corpus ubi exanimi positum Pallantis Acetes. In veteribus quibusdam codicibus legere est, *Corpus ubi exanimum*, uti etiam superius, *Exanimumque auro corpus vendebat Achilles*. Sed longe melius est, *Exanimi Pallantis:* quia *positum corpus*, satis habet, absque alterius adjectivi inculcatione.

34. Circum omnes famulumque manus. In antiquis codicibus, *omnis*, legitur, ut sit *omnis manus*, *turbaque omnis*.

35. Et moestae Iliades crinem de more solutae. In vulgatis codicibus, *moestae*, nunc passim legitur; sed in antiquis omnibus, quotquot habui, *moestum*, legi. Est enim & in habitu moesticiae significatum, ut non videatur incongruum dicere, *Solutae moestum crinem*.

50. Fors et vota facit. Sunt aliquot codices, in quibus, *Forsit vota facit*, legatur, quam lectionem Servius non improbat, dum, *forsit*, unum esse posse dicit. Sane Horatius Sermone primo ea usus est dictione: *Quia non ut forsit honorem Jure mihi non invideat quisquam:* sed enim Priscianus hic, *fors*, agnoscit, neque uno tantum loco carmen citat; atque nominativum esse, atque pro adverbio positum a Virgilio. Illud non subticebo, scriptum esse alicubi etiam, *fors &:* verum hoc inusitatum est.

51. Et juvenem exanimum. Utrumque legitur, &, *exanimum*, &, *exanimem:* uti paulo ante dictum, Grammaticis adquiescentibus.

54. Expectatique triumphi. In Romano codice, *exoptati*, legitur, quod non aeque placet, quamvis non defuturi sunt, qui locum ex Terentio tueantur, quod ille dixerit: *Teneo ne te, Antiphila, maxime animo exoptata meo.* Sed enim ibi quoque, *expectata*, legitur in antiquis codicibus, & maxime omnium emendatis.

56. Nec sospite dirum optabis nato funus pater. In Mediceo, *durum* habetur.

57. Hei mihi quantum Praesidium Ausonia. In antiquis aliquot codicibus, *heu*, habetur. Grammatici malunt, *hei*.

60. Et toto lectos ex agmine mittit. Romanus codex, *ex ordine*, legit; sed plus est, *ex agmine*.

66. Obtentu frondis inumbrant. Oblongus codex pervetus, *obumbrant*, legit. In aliis *inumbrant*, vulgata lectio.

67. Sublimem in stramine ponunt. Antiqua omnia exemplaria, quotquot habuimus, *sublimem stramine*, legunt, absque praepositione, quae tamen pluribus placet interjecta, ut quae nescio quid numerosius efficiat.

72. Auroque ostroque rigentes. Ita legitur omnino in veteribus aliquot exemplaribus; sed enim vulgata lectio magis placet, *ostroque auroque*, ut Epitheton, *rigentes*, vicinius sit dictioni, quae caussa sit rigiditatis.

82. Caeso sparsuros sanguine flammas. Romanus codex, *flammam*, unitatis numero legit. Et aliquot alii codices, *sparsurus*, singulari numero recto casu legunt, ut suppositum sit verbi, *mitteret*; sed longe melius est, *sparsuros*.

84. Inimicaque nomina figi. In Romano co-

codice, *fingi*, legitur: quippe ut res aliquanto amplior efficta, majorem Euandro consolationem afferret: quum in gestarum rerum narratione multa veris vulgo superaddi soleant, & ex commodo fingi. Sed alienum est mendacium a viro, fortissimoque & sapientissimo, qualem Virgilius Aeneam passim ostentat. Quare longe magis placet eorum sententia, qui affixos tropaeis titulos occisorum ajunt.

94. COMITUM PROCESSERAT ORDO. Romanus codex, & Oblongus, & omnes denique antiquiores, *praecesserat*, legunt, ut in antiquarum aliquot impressionum codicibus habebatur. Qui funus enim ducunt, praecedere solent, subsequi vero, qui lugent; sed procedere in similibus admodum usitatum est. Terrentius: *Funus interim procedit, sequimur*.

97. SALVE AETERNUM, MIHI MAXIME PALLA. Romanus codex vocativum hunc nominativo similem facit, *Pallas*; sed nomina in AS desinentia, quae genitivo crescente per NT pronuntiantur, neque synaeresin patiuntur, vocativum facere solent, extrema genitivi abjecta, *Thoantis, o Thoan; Laodamantis, o Laodaman*. Poëtae tamen hujusmodi vocativum absque N litera proferre libentius solent, ut *o Laodama, o Polydama*; sic *o Palla*.

101. VENIAMQUE ROGANTES. Romanus codex *precantes* legit, ut etiam inferius est: *Quos bonus Aeneas non aspernanda precantes Prosequitur venia*.

104. ET AETHERE CASSIS. Mediceus codex, & aliquot alii, *aëre*, legunt: de inferiori enim & spirabili hac aura loquitur.

110. PACEM NE EXANIMIS. Romanus codex, Mediceus, & antiquiores plerique alii legunt, *pacem me exanimis*, quod mirifice placet: habet enim emphasin pronomen illud, plusque in recessu praestat, quam fronte polliceatur.

111. EQUIDEM ET VIVIS CONCEDERE VELLEM. In antiquis aliquot codicibus, *mallem*, legitur, quod magis explet Oratorum vota, magisque sibi eos conciliat: *vellem* tamen receptum.

112 NEC VENI, NISI FATA LOCUM SEDEMQUE DEDISSENT. Fieri per modos soloecismum Comminianus ait, hoc loco citato: *Nec veni*, pro nec venissem, indicativus pro conjunctivo. Indignatur vero Fab. Quintilianus hujusmodi elocutionum species, nunc Soloecismi, nunc Barbarismi nuncupatione appellitari, ubi ait: *Exempla Barbarismi quidam fere in jactationem eruditionis sumere ex Poëtis solent, & Auctores, quos praelegunt, criminantur*.

115. AEQUIUS HUIC TURNO FUERAT SE OPPONERE MORTI. Antiqua omnia exemplaria, quotquot versare contigit, *Turnum*, accusativo casu legunt, ut ordo sit: *aequius fuerat, Turnum opponere se huic morti*: nam & Servius, *huic morti* legit, δεικτικῶς, quasi jacentes ostendat.

117. HIS DECUIT MECUM CONCURRERE. In Romano codice, & aliquot aliis, ad evitandam cacophoniam, quae in pede quarto fieret, *cum con*, scriptum est transpositis dictionibus, *His mecum decuit concurrere telis*.

120. OLLI OBSTUPUERE SILENTES. In veteribus codicibus pene omnibus scriptum observavi, *illi obstipuere*.

126. JUSTICIAENE PRIUS MIRER, BELLINE LABOREM. Sane Servius: *Miror* Genitivo junctum, *Graeca*, ait, *figura*, θαυμάζω ἐκείνου, καὶ ἄρχω ἐκείνου, ut apud Horatium *Agrestum regnavit populorum*, legitur. In Romano codice, & aliquot aliis perveteribus, posita haec sunt in casu septimo, *justitiane prius mirer belline labore*, in quo illud etiam observes, *justitia*, per T in pene ultima scribi, ut ex antiquis inscriptionibus, & nomismatis approbavimus; sed est, & ubi *belline laborem*: est, ubi *justitiam*, & *laborem*, accusativo casu legas. Neque mirum, lectionem hanc ita nunc variare, quum variae super ea fuerint olim etiam Grammaticorum sententiae: nam Priscianus, ubi ait, conjunctionem dubitativam, vel interrogativam similes casus exigere, locum hunc Virgilii citat, in quo scriptum secus asserit, neque praeceptioni hujusmodi Poëtam paruisse, qui scripserit ablativo casu, *justitiane prius mirer*: mox genitivum adjecerit, *belline laborum*: quippe propter ancipitem dictionum constructionem, quod utrumque bene dicatur, *miror justitia*, & *justitiae*; inveniri tamen in codicibus etiam, *justitiae*, genitivo casu: idque aptius esse, non inficiatur, quod & alibi confirmat Graecae constructionis exemplo posito, θαυμάζω τοῦ πόνου.

135. FERRO SONAT ALTA BIPENNI FRAXINUS. In aliquot antiquis codicibus, *acta*, legitur, quod minime placet: quia statim sequitur, *Evertunt actas ad sidera pinus*. Siquid vero immutandum fuerit ex lectione vulgata, placeret, *icta*, quod in antiquissimo codice observavi.

140. EUANDRIQUE DOMOS ET MOENIA COMPLET. Impressores plerique librarii, *complet*, ut sonorius esset, posuere. Antiqua tamen omnia exemplaria, *replet*, legunt, ut etiam in vulgatis prius codicibus habebatur.

146. QUAE POSTQUAM MATRES SUCCEDERE TECTO VIDERUNT. In codicibus aliquot antiquis, *succedere muris* legitur. In Mediceo, & plerisque aliis, *tectis*, numero multitudinis.

150. PROCUBUIT SUPER ATQUE HAERET LACHRIMANSQUE, GEMENSQUE. *Procubuit*, praeterito tempore, non sine quorundam codicum veterum testimonio, scribi video. Romanus tamen, *procumbit*, praesenti tempore legit, quod prius in vulgatis etiam habebatur. Placet vero,

procumbit, quia subsequitur, *atque haeret*, eodem tempore, remque ipsam actu esse, magis movet.

151. Et via vix tandem voci laxata. In Romano codice, *vocis*, quod non ita placet.

164. Nec vos arguerim Teucri. In codicibus aliquot antiquis, *arguerem*, Graecanica figura legitur: nec tamen displicet, *arguerim*.

165. Sors illa senectae Debita erat nostrae. Antiqua omnia exemplaria, *ista*, legunt, ut olim etiam imprimi solitum.

168. Cecidisse juvabit. In Romano codice, *juvaret*, eadem figura, qua *arguerem*, superius dictum notabamus: quippe pro, *juvare poterit*.

171. Tyrrhenique duces Tyrrhenumque exercitus omnis. Quum ita legerent vulgati omnes codices, *que*, particula duplicata, putabam hunc quoque versum ex iis esse, qui communes scansionis regulas transgrediuntur, Poëtis interdum lascivire volentibus. Postea vero quam veteres omnes codices, quos prae manibus habui, consentire in unam eamdemque lectionem animadverti, jam nonnullorum superstitione repudiata, legendum asseruerim, *Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis*, absque ea particula: quamvis ea desiderari videtur.

172. Magna trophea ferunt. In antiquis, *tropaea:* & in Romano, & aliquot aliis *ferant:* quod luculentius videtur.

174. Esset par aetas, et idem sit robur ab annis. Legendum: *& idem si robur*, ex antiquorum omnium codicum lectione. Quibus addam, *robor*, utraque syllaba per *o* scribi solitum in antiquis aliquot codicibus. Neque desunt veterum Grammaticorum observationes, *robor*, in eorum ordinem redigentium, quae *or* finiunt, ut *marmor*, *aequor:* & ita semper apud Sosipatrem Carisium observavi, in codice literis Longobardicis scripto. De hoc vero Quintilianus ait: *ebur*, & *robur*, *ita dicta*, *ac scripta*, *in summis Auctoribus in o literam secundae syllabae transferunt quidam*, *quia sit roboris & eboris*. Addit & alios fuisse, in quibus Antonius Gnifo memoratur, qui non solum *robur*, *ebur*, *marmur*, verum etiam ex his *robura*, *ebura*, *marmura*, & scriberent, & enuntiarent: quum tamen ipse literarum citet affinitatem, ob quam ita *robur roboris* dicamus, veluti etiam *limes limitis*.

178. Turnum natoque patrique, Quam debere vides. Alias ex Victorino *gnate* legendum ostendimus, o litera praeposita: quod vocabulum Fortunatianus tam poëticum existimat, ut minime Oratori adcommodatum putet. Huic vero scriptioni Carisium subscripsisse, loco hoc praecipue teste, manifestum: ait enim ille, ubi de figuris: *Prothesis est*, *quum primae parti dictionis*, *aut litera adjicitur*, *aut syllaba: litera*, *ut*, Turnum gnatoque patrique: *syllaba*, *ut* tetulit, *toties apud Catullum*, cujus hoc loco versum, *Concitum tetuli gradum*, Carisius ex Poëmate de Vere, quod desideramus, citat: ut illis etiam sit responsum, qui *Ferre gradum* Latine dici negant.

202. Stellis ardentibus aptum. Sunt codices aliquot antiqui, in quibus adspiratum est huic vocabulo *haptum:* nempe quia παρὰ τὸ ἅπτω, dictum crediderint, atque *haptum* ita incensum, aut inflammatum significaret: vel si ἀπὸ τοῦ ἅπτομαι, quod conjungere, compaginare, & coaptare significat, nihilominus adspirationem admittere. Sed enim eam Latini non usquequaque recepere, ut omnibus iis adspirent, quibus Graeci solent.

207. Ingentem caedis acervum. In Romano codice legere est, *ingentem stragis acervum*. In aliis *caedis*.

214. Et longe pars maxima luctus. In Romano codice *longi* habetur, quippe *luctus:* quam lectionem improbat Servius, quem bona inde librariorum pars secuta est.

220. Ingravat et saevus Drances. Ex codicibus antiquis *ingravat haec*, omnino legendum: & si placeat *saevos*, ex Romano.

221. Solum posci in certamina Turnum. Quamvis *posci in certamina*, vetera aliquot habeant exemplaria; minime tamen displicet, quod in antiquissimis aliquot legitur, *in certamine*. Aeneam quippe jam paratum in campo opperiri, ut Turnus in duellum icto foedere descendat. Nam quod alibi *solumque duci*, quippe Aeneae, vocari Turnum legitur, nequaquam placet.

225. Hos inter motus medio flagrante tumultu. Vetera omnia, quae versamus, exemplaria, *medio in flagrante*, legunt, uti prius imprimi coeptum fuerat.

226. Ecce super moesti magni Diomedis ab urbe Legati responsa ferunt. Et *magni*, & *magna*, Servius attestatur, idque impressores in diversum egit. *Magni* vero *Diomedis*, legitur in Oblongo codice: sed in Romano & aliquot aliis vetustate ipsa venerabilibus codicibus *magna* habetur, & meo quidem judicio magnificentius videtur Legatos venisse ab urbe magna: quod ipsius etiam Diomedis amplitudinem ostendit, & ejus opes. Magnus vero esse posset Diomedes rebus gestis, & praeclaro nomine, exiguis tamen opibus. Sed si dominus magnae urbis sit, dubioprocul etiam potentem esse confitendum.

230. Aut pacem Trojano ab rege petendum. Librarii, porro omnes chalcographi, Servii Grammatici authoritatem secuti, *petendum*, figura gerundii scribendum curavere, ut: *Poenas in morte timendum*, apud Lucretium: & *Castra introitum*, apud Sallustium. Caeterum codex Roma-

manus antiquissimus, & alter pervetus in Vaticana Bibliotheca repositus, & plerique alii minime contemnendi, legunt, *pacem Trojano a rege petendam*, figura participii. Sed utrum ex his magis placeat, non laboro.

232. FATALEM AENEAM MANIFESTO NUMINE FERRI, ADMONET IRA DEUM. Servius *fatalem*, loco hoc, omnibus perniciosum significare dicit. Sed cur non obsecro potius exponamus, Fatis certo advectum? Argumentoque esse, nos, dum Aeneae resistimus, gravem Deorum iram concitasse, tot mortalium strages immissas: pugnatique a nobis infeliciter manifestum: quia contra Deorum imperia, arma sumpserimus. Mihi enim religio est, Aeneam tam inhonesto epitheto notatum asseverare.

235. ALTA INTRA LIMINA COGIT. *Intra limina* passim legitur, idque & Servio, & aliis negotium facessit. Caeterum in antiquissimo codice Romano *intra moenia* legitur: ut adlusio sit ad veterum mores, qui vicatim habitabant. Non tamen displicet *limina*: neque ea quae super hoc Servius comminiscitur.

237. SEDET IN MEDIIS REX MAXIMUS AEVO, ET PRIMUS SCEPTRIS HAUD LAETA FRONTE LATINUS. In antiquis omnibus exemplaribus legere est, *& maximus aevo*, *Et primus sceptris*: & ita recte in antiquioribus erat editionibus priorum impressorum.

243. VIDIMUS, O CIVES, DIOMEDEN ARGIVAQUE CASTRA. Qui videbant *Diomeden* ultimam producere, *Diomedem* Latino declinatu scribendum procurarunt: ut collisioni locus esset. Sed enim observavi ego in antiquis codicibus plerisque *Diomede* legi, Graeco declinatu, Διομήδεα Διομήδη, Ἀττικῶς. Quam lectionem Servius etiam agnoscit.

247. GARGANI CONDEBAT IAPYGIS AGRIS. In antiquis aliquot codicibus, *arvis* legitur. Quod vero Servius *Iapygiam* ab *Iapydia* distinguit, quid alii tradant auctores, ostendimus eo versu, *Et Iapydis arva Timavi*. Huc addemus *Iapygiam*, ex Strabone, vocatam esse ab *Iapyge*, Daedali filio, quem de Cretensi muliere susceperat.

248. POSTQUAM INTROGRESSI, ET CORAM DATA COPIA FANDI. In Romano codice legere est, *postquam congressi*; sed *introgressi*, quod agnoscitur a peritis, magis placet.

255. FERRO VIOLAVIMUS AGROS. In Romano codice *populavimus* legitur; sed cur *violavimus* sit legendum, non levem Servius rationem affert. *Populavimus* vero forte sumptum ex paraphrasi.

257. QUOS SIMOIS PREMIT ILLE VIROS. Romanus codex, atque etiam Oblongus, & Mediceus, & aliquot alii *premat* legunt, elocutionis modo non invenusto, & ita prius in vulgatis exemplaribus habebatur.

261. MILITIA EX ILLA DIVERSUM AD LITTUS ADACTI. Antiqua omnia, quae versamus, exemplaria, *abacti* legunt, ut antiquiores etiam habent impressiones. Ordo enim est: Abacti ex illa militia ad diversum litus.

265. LIBYCOVE HABITANTES LITTORE LOCROS. Vetera omnia, quae legimus, exemplaria, *Libycone* legunt, per interrogativam particulam, non per disjunctivam.

268. DEVICTA ASIA SUBSEDIT ADULTER. Ita prorsus est in impressis codicibus, & aliquot veteribus. Longe vero aliter in antiquissimo codice Vaticano, ubi est *devictam Asiam possedit adulter*: sed enim *possedit*, ex paraphrasi contextui est insertum. *Subsidere* enim, ex insidiis occupare significat, vel dolo possidere, ut: *Subsidere regnum Chalcidos Euboicae*, apud Lucanum. Praeterea Arusianus Messus inter elocutionum exempla *subsedit* agnoscit; & accusativo casui recte jungi dicit, ut *subsedit illam rem*, locumque hunc Virgilianum citat, *Devictam Asiam subsedit adulter*. Quod vero alio significato, *Devicta Asia subsedit*, Servius magis approbare videtur, hoc est, reliquus fuit in insidiis, non negat idem Arusianus utrumque eleganter dici, & utraque figura usum esse Virgilium, *Galeaque ima subsedit Acestes*, hoc est, relictus est. Ita posteaquam Agamemnon bellum difficillimum confecerat, *subsedit adulter*, qui eum interficeret.

269. PATRIIS UT REDDITUS ORIS. In dictione *oris* antiqua variant exemplaria. In Oblongo enim *oris*: in Romano, in Mediceo, & aliquot aliis *aris*. Nonnulli codices ipsi quoque admodum veteres *Argis* habent: de se enim loquitur Diomedes.

272. ET SOCII AMISSI PETIERUNT AETHERA PENNIS. In aliquot antiquis codicibus *admissi pennis* legi. Utroque vero modo Servius non negat inveniri. Sed *amissi* omnino est in probatioribus. *Pinnis* vero in Romano, de more suo. In Mediceo *allis* est, quod alii viderint.

275. EX ILLO MIHI JAM SPERANDA FUERUNT. In nonnullis codicibus antiquis *superanda* legitur: quod non ita placet. *Speranda* vero, castior omnino lectio est: & elocutio ipsa figuratior: ut illud, *Sperare dolorem*.

279. POST ERUTA BELLUM PERGAMA. In Romano codice, & aliquot aliis *diruta*; sed *eruta* non displicet.

281. MUNERA QUAE PATRIIS AD ME PORTASTIS AB ORIS. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis, quod delicatius sonat, *portatis*, praesenti tempore scriptum est.

285. SI DUO PRAETEREA TALES. C. Julius Ro-

Romanus, in libello de Analogia, rectam ponit declinationem, *hos duo*. Attius in Epinausimache: *Martes armis duo congressos crederes*. Terentius in Adelphis: *Tu illos duo pro re tollebas tua*. Ubi Hellenius Acron, *pro*, *duos*, ait: amat enim Hellenius, *ambos*, *duos*, dici per s.

289. Victoria Grajum haesit, et in decimum vestigia rettulit annum. In Oblongo codice *victoria tantum* legere est, pro *Grajum*: quam lectionem nusquam alibi reperi. Praeterea vetusti quidam codices *in decumum*. Cujusmodi rationem scripturae non in Plautinis tantum codicibus inveni, verum etiam, ut alibi adnotavimus, in Ciceronianis, *decumum*, *maritumum*. In monumentis autem veterum plerumque, ut illud:

D . M
QVARTIONIS. DECVMI. AVG. LIB.
EVPHEMIANI. A. MANV. FIDELIS
CONLIBERTVS. FRATRI
B . M

294. Et responsa simul quae sint rex optime regum audisti? In Romano codice, in Mediceo, & quibusdam aliis antiquis, non *regum*, sed *regis* legitur, unitatis numero, ut sit ordo: O Rex optime, audisti quae sint responsa Regis Diomedis, & quae sit ejus sententia? Adulatio enim illa, *optume regum*, quae inferius in Drance quadrat, nunc importuna videretur.

298. Clauso fit gurgite murmur. In codicibus aliquot antiquis legere est transposito verbo, *fit clauso*. In aliquot aliis, *it clauso gurgite murmur*. Ut etiam verbo respondeat comparatio, *currit tremor*: ita enim *it murmur*; sed & *fit murmur*, ut *fit gemitus*, non est praeter usum.

300. Et trepida ora quierunt. Non placet, quod in codicibus aliquot antiquis *rabida* legitur, quod in sexto recte est.

304. Cogere concilium cum muros obsidet hostis. In Romano codice *adsidet* legitur. In Mediceo *assidet*, ut proximius imminere periculum ostendat; plerumque enim sine periculo obsidemur. Et in veteri exemplari, quo Donati Commentaria continentur, *adsidet* habetur. Est etiam in aliquot codicibus *consilium*. Sed Grammatici hic *concilium* malunt.

307. Nec victi possunt absistere ferro. In Oblongo codice *decedere ferro* legitur: quam lectionem si admittas, dicendum erit, aut *victi ferro*, aut *decedere ferro*: quippe sibi temperare, ne arma resumerent, quibus se victos negarent. Sed enim *absistere* haudquaquam displicet.

308. Spem siquam accitis. In Romano codice *adscitis*: quod parvi refert.

310. Caetera qua rerum jaceant perculsa ruina. In quodam antiquo codice *quae jaceant* legitur. Sed magis placet *qua ruina*: ut digito velut intento ruinam indicans, magis moveat. Sunt etiam vetusti codices, qui *percussa* legant; sed *perculsa* omnino melius: quia ut nonnulli volunt, consternationem etiam animorum continet.

331. Centum oratores prima de gente Latinos ire placet. In plerisque codicibus antiquis, *prima de gente Latini* legitur; sed, *oratores Latinos*, castior lectio.

333. Munera portantes eborisque aurique talenta. In antiquis codicibus, legere est *aurique eborisque*: nempe ut respondeat eorum ordini, quae statim subjiciuntur *talenta*, & *sellam*: ut sit, *auri talenta*, & *eboris sellam*. Tametsi Servius *aurum*, *ebur*, & *sellam* distincta internoscit munera. Mihi vero Virgilius ad ea dona respicere videtur, quae Romani Regibus mittere consuerunt: sellam eburneam, pateras aureas, tunicas, chlamydes, pallas pictas, & alia vestimenta purpurea: ut ad Syphacem, togam, & tunicam purpuream, sellam eburneam, & pateram ex quinque auri pondo factam, olim missa; Ptolemaeo Regi, togam, tunicam purpuream, cum sella eburnea; Cleopatrae Reginae pallam pictam cum amiculo purpureo portata, quae darentur. Quare lectionem ita punctis distitam esse placet, ut *Munera portantes aurique eborisque*, uno legantur membro: inde quid ex auro, quidque ex ebore constaret, subjiciatur, *talenta*, *& sellam*. Quamvis etiam nihil offendat, si legatur *eborisque aurique talenta*, *& sellam*. Cujusmodi χιαστμὸν & Hermogenes apud Demosthenem, & alii apud Homerum & Theocritum, inter elocutionis ornatus observarunt, id ita figurantes: Eboris Auri. Talenta Sellam.

339. Non futilis auctor. Antiqui aliquot codices *actor*, quod non placet.

341. Incertum de patre ferebat. In Romano codice *ferebant*, numero multitudinis legitur, ut id ad famam referatur; sed Donatus *ferebat*, singulare agnoscit.

351. Fugae fidens. Quamvis Servius *fugae* figurate pro *fuga* dictum asserat, in Romano tamen codice *fuga* est; at *fugae* in antiquissimis est Donati Commentariis. Fido enim dativum casum minime respuit, teste Prisciano, hoc eodem citato versu: quod verbum tamen ablativo etiam jungi probat.

352. Quae plurima mitti Dardanidis ducique jubes. Romanus codex, Mediceus & alter pervetus in Vaticana Bibliotheca, & aliquot alii, *dici* legunt. Idque Servius admisisse mihi videtur, dum ait: *Mitti aurum*, *ebur*, *& sellam*; *dici*, *de navibus*, *vel agro*, *quod scilicet consilium fit*

sit initum, & quod optio ad Aeneam pertineat. Idem est in veteri Donati Commentario.

356. ET PACEM HANC AETERNO FOEDERE JUNGAS. Romanus codex, & aliquot alii legunt *firmes*. Juncta enim semel fuerat, sed non firma fuit: huic igitur errori consulit occurrendum, quanquam id etiam huic sententiae satisfacit, quod dictum est, *Aeterno foedere*.

373. STERNAMUR CAMPIS. Ti. Donatus futuro indicativi *sternemur* legit, adjecta paraphrasi, per omnes campos jacebimus fusi: locumque hunc eodem tempore repetit in duodecimo: & ita scriptum est in codice Mediceo.

378. LARGA QUIDEM SEMPER, DRANCE, TIBI. In codicibus aliquot antiquis *larga quidem Drance semper tibi:* quod parvi refert.

381. DUM DISTINET HOSTEM AGGER MURORUM. Servius quidem *distinet* agnoscit; sed in veteribus codicibus aliquot *dum detinet hostis aggere murorum*: ubi subaudiendum esset *se*, vel quid hujusmodi, ut, *Accingunt operi*, superius. Apud Priscianum quoque in antiquis codicibus variat ipsa lectio, aliis *detinet*, aliis *distinet* legentibus. Sed reliquum eodem exemplo legitur *hostes agger murorum*, quod in vulgatis exemplaribus *hostem*, singulari habetur numero.

382. NEC INUNDANT SANGUINE FOSSAE. Apud Priscianum *fossas* accusativo casu legitur. *Inundo enim*, ait ille, *modo absolutam*, *modo activam habere significationem invenitur. Virgilius*, Dum detinet hostes agger murorum, Nec inundant sanguine fossas. *Est enim:* Hostes replent fossas, vel inundare faciunt fossas.

383. TONA ELOQUIO SOLITUM TIBI. In plerisque codicibus antiquis *solito* legitur; sed *solitum* receptum, elocutione admodum eleganti.

388. CIRCUMSTANT UNDIQUE MUROS. In codicibus aliquot *circumdant*; sed *circumstant* magis receptum.

403. NUNC ET MYRMIDONUM PROCERES PHRYGIA ARMA TREMISCUNT. Ut alibi saepius observatum, in Romano codice, in Mediceo, & veteribus pene omnibus *tremescunt* legitur, media syllaba per E vocalem secundam notata. Eadem enim Analogia *tremor*, *pavor*, *calor*, *tremebam*, *pavebam*, *calebam*, *tremesco*, *pavesco*, *calesco*, *bam* in *sco* mutata.

407. ET FORMIDINE CRIMEN ACERBAT. In Oblongo codice, in Mediceo, & quibusdam aliis admodum vetustis *acervat* legitur, per V digammon: forte ut Soriten argumenti speciem, qua plurimum utuntur Oratores, innuat. Sed enim *acerbat* per B mutam cum Statio Virgilii metaphraste convenit: *Facinusque relatu Asperat Iliacum.* Et apud Claudianum: *Crimenque feri rectoris acerbat.* Praeterea Ti. Donati paraphrasis *acerbat* legendum ostendit: tametsi aetatis vitio, V consonante B literae sono proferentis, *acervat* in ejus antiquo codice scriptum est. Ait vero: *Quale illud scelerati commentum*, *videlicet timorem fingere*, *accusationes duras exercere. Durum enim cum acerbo congruere videtur: ut mollia etiam mitia nuncupamus.*

410. NUNC AD TE ET TUA, MAGNE PATER, CONSULTA REVERTOR. In Romano codice & aliquot aliis antiquis *magna* legitur, quippe *consulta:* quia de summa belli & pacis agebatur. Sed omnino *magne pater* Ti. Donatus legit. Ut vero quantum amiserimus detestabili ejus facinore, qui tam docta commentaria mutilavit, aspicere unusquisque possit, quae super hoc loco ille scripserit, apponere non gravabor. NUNC AD TE ET TUA MAGNE PATER CONSULTA REVERTOR. *Ex oratione turbulenta*, *quam pro ratione personae protulit*, *ad mitem adque humilem repente conversus est*, *vel quia cum Rege constituerat loqui*, *vel cum eo*, *quem socerum esse cupiebat. Plus tamen ostendit se socero deferre*, *quam Regi*, *dicendo*, magne pater; *alioqui diceret*, magne rex. *In ipsa tamen tranquillitate sermonis est quaedam consiliorum Latini*, *& dispositionum occulta vituperatio. Nunc ad te*, *ait*, *magne pater*, *redeo*, *& ad consulta tua.* Pater *videtur dixisse*, *quasi honorificentiae loco*, *utpote qui loquebatur ut gener*, *ut ostenderet*, *quod diximus*, *plus socero deferre*, *quam Regi. Sed alia loquentis intentio est: summa enim dispositionum displicebat Turno. Denique post appellationem patris secuta est propositio*, *qua ostendit se de illius consiliis tractaturum*, *ut ostenderet improvidum patrem. Ergo appellatio Magni Patris irrisionem induxit obliquam*, *quasi diceret: Qualis pater es*, *qui non recte consulis filiae tuae? Qualis Pater*, *cui suasum est facile*, *ut missa affinitate civis*, *nudo*, *peregrino*, *naufrago*, *filiam tuam dare festines?* Haec Ti. Donatus: neque pauciora desunt in locis aliis toto opere, ubi de ingeniosissimi Poëtae artificio sit latius declamandum. Quod vero haec habuerimus, benignitate Camilli Portii factum est, qui integra hujus Auctoris commentaria in duos ultimos Aeneidos libros mihi videnda officiosissime concessit: plura daturus, nisi per Bibliotaphos quosdam suppressa essent reliqua.

413. NEC HABET FORTUNA REGRESSUM. Pluribus in antiquis exemplaribus *neque*.

414. DEXTRAS TENDAMUS INERMES. In Romano codice, in Mediceo, & aliis veteribus, *inertis* legitur. Quamvis vero *inertis*, in Donati etiam commentario legatur, ejus tamen sententia *inermes* legendum ostendit, vel *inertis* idem significare, dum ait: *Orandum videlicet pacem*, *& inertes dexteras esse tradendas*, *ironicos positum*, *quasi re vera oranda esset pax*, *& adjicienda ignavis vir-*

virtus, *& quae in hostis jugulum armatae esse debuerant*, *inertes ad eorum genua dexterae verterentur.*

418. Et humum semel ore momordit. In Romano codice *simul* habetur, ac si dicat: simul atque procubuit, humum identidem momordit. Est apud Servium interpretatio, cito, *confestim, id est, qui tota mortis celeritate consumptus est.* Videtur tamen *semel* quid eruditius prae se ferre, neque id diversum quicquam ab hac sententia significat. *Hic vero Poëta laudat fortunam viri fortis*, ait Donatus, *& non dicit nomen: omnes tamen Mezentium sentiunt, qui cum sua felicitate procubuit.* Non praeteribo in antiquis aliquot codicibus *memordit*, augmento syllabico per e, Graecorum more, posito: de qua geminatione plura Gellius.

422. Sunt illis sua funera. In Romano codice legere est *suntque illis*. Et id quidem longe venustius.

425. Variusque labor mutabilis aevi. In Romano codice, & aliquot aliis *varii* legitur, ut sit *varii aevi*. In aliquot, *bellique labor*; sed omnino melius, *variusque labor*.

434 Quod si me solum Teucri in certamina poscunt. In antiquis aliquot exemplaribus *quod si me Teucri solum* habetur, structura aliquanto elegantiore.

441. Turnus ego haud ulli veterum virtute secundus Devoveo. In antiquis codicibus *devovi* est, praeterito tempore, quod agnoscit Donatus.

449. Instructos acie. In Oblongo *instructosque*; sed omnino *que* vacat.

451. Extemplo turbati animi. In antiquissimo codice Romano legere est, *turbati animo*; sed *turbati animi* nescio quid majus habet.

455. Dissensu magnus vario. In antiquis omnibus, structura haec est: *Clamor dissensu vario magnus se tollit in auras.*

458. Dant sonitum rauci per stagna loquacia cycni. Legere quidem est in codicibus antiquis, *loquacia:* & non inelegantem figuram, bonisque poëtis familiarem, ea lectione Servius agnoscit. Antiqui tamen aliquot codices, *loquentia:* aliquot alii, *stagna sonantia*, legunt; sed id forte sumptum ex aliqua paraphrasi.

461. Illi armis in regna ruunt. In antiquis aliquot exemplaribus *ruant* habetur: sed Fatendi modo, ut rem praesentem intento quasi digito indicet, magis movet.

470. Ac tristi turbatus pectore differt. Antiqua omnia exemplaria, quotquot legi, *Tristi turbatus tempore*, habent; sed *pectore* magis probatur.

475. Tunc muros varia cinxere corona. Veteres codices *tum* legunt.

480. Causa mali tanti atque oculos dejecta decoros. Hoc quoque loco *atque* illud, dictionum omnium importunissimum, Virgiliani carminis candorem deturpavit: quum non invenuste prius in antiquis codicibus legeretur, *Causa mali tanti oculos dejecta decoros*, absque synalepha, ut: *Hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo.* Et illud: *Externo commissa duci Aeneia puppis:* ac hujusmodi pleraque. Invenio tamen scriptum in Romano & aliis quibusdam codicibus antiquis, *causa malis tantis;* non quod hac emendatione versum sustentare arbitrarentur, sed quia apud Donatum ita legi videatur: *Quia multa acciderant mala. Cum ea, inquit, & Lavinia pergebat, quae fuerat malis omnibus caussa. Si enim nuptiarum ejus controversia non fuisset, tot nunquam extitissent adversa.* Sed quamvis ita Donatus interpretetur, non facit tamen hoc, ut lectio ea, *mali tanti*, stare non possit.

482. Et maestas alto fundunt de limine voces. Antiqua aliquot exemplaria *de pectore* legunt. Sed cur *de limine* legendum sit, non ineptam affert Servius rationem.

483. Armipotens belli praeses. Dictionum ordo in antiquis est codicibus: *Armipotens, praeses belli Tritonia virgo.*

487. Rutulum thoraca indutus. Codices antiqui sunt, in quibus *inductus* habetur. *Inducere* autem & Plinio, & Suetonio Tranquillo, *induere* est.

493. Campoque potitus aperto. In antiquis aliquot *potitur* est, verbi voce; quam lectionem, si diligenter advertas, Servius etiam agnoscit, dum docet: *unde* potitur *pene ultima brevi, & unde hoc ea producta, descendant.*

503. Occurrere turmae. Romanus codex *turmis* habet, numero multitudinis. Servius *turmae*, singulari numero videtur agnovisse. Apud Donatum vero *turmis* est plurale.

507. Oculos horrenda in virgine fixit. Legendum omnino *fixus*, ex antiquis exemplaribus.

514. Per deserta jugo superans adventat ad urbem. Romanus codex, & antiqui aliquot alii *jugo properans* legunt. Quamquam & *superans* in Mediceo, & in aliquot aliis antiquis habetur. Est & *adventat in urbem*, hoc est, adversus urbem, vel in urbem immisso exercitu. Sed *ad urbem* magis placet: idque agnoscit Donatus: perinde ac etiam *superans:* ait enim ipse: *Per montis deserta ardua superans, hoc est, ad ipsum cacumen ascendens, transcenso montis jugo ad urbem venire disponit.*

519. Tyburtique manus ducis et tu concipe curam. In antiquis aliquot codicibus *Tyburni* scriptum observavi (quod alio loco superius adnotatum est) & dictionem *ducis* varie punctis

ctis diffiram: quum nonnulli legant: *Tyburnique manus ducis*; aliqui, *Ducis & tu concipe curam.* Ac *Tyburni* quidem apud Donatum etiam habetur. Quantum vero pertinet ad distinctionem, ante vel post dictionem *ducis* adlinendam, ait ille: *Ducis sic in medio est, ut sine pronuntiationis culpa, vel superioribus, vel inferioribus possit aptari. Quippe si dicatur*, Tyburnique manus ducis, *recte dicitur*; *si*, Ducis & tu concipe curam, *non erratur: laudavit omnes, ne* inertes ardenti *junxisse videretur.*

522. VALLIS ACCOMMODA FRAUDI. In aliquot antiquis exemplaribus, *valles accommoda* legitur: & *valles* nominativum a *valle* agnoscere videtur Probus: quamvis in vulgatis ejus codicibus nescio quid desiderarim: quum ibi de iis loquatur, quae terminant in *pes* longam, ut *puppes*, *rupes*, *vulpes*: quare videris, an ita sit legendum, *pes producta*, *Latina*, *vel Graeca tertiae sunt declinationis, sis faciunt genitivo*, PUPPES PUPPIS, UT VALLES VALLIS, ita RUPES RUPIS, VULPES VULPIS, ASPES ASPIS. Vel alia prorsus dictio substituenda.

524. TENUIS QUA SEMITA DUCIT. In antiquo codice Romano, & aliquot aliis, *quo semita ducit*, legitur, quam lectionem agnoscit Servius.

527. TUTIQUE RECEPTUS. In veteribus plerisque codicibus *recessus* habetur; sed *receptus* huic loco magis convenit; ut scilicet ostendat, non tantum ad erumpendum, & invadendum hostem locum esse commodum, *seu dextra levaque velis occurrere pugnae*; si forte eveniat, ut majore hostium urgente vi repellantur, aut loco dejici tententur.

533. UNAM EX VIRGINIBUS SOCIIS SACRAQUE CATERVA. Romanus codex praeter quam impressa omnia exemplaria, & aliquot alia manu scripta, legit, *Unam ex virginibus sacrit sociaque caterva*; sed altera lectio magis placet eruditioribus ingeniis.

534. TRISTIS LATONIA VOCES ORE DABAT. Romanus codex *tristi ore* legit, cui aliquot etiam alii manu scripti non sunt dissimiles. Servius tamen *tristis voces* mavult. *Tristis* & Donatus, qui dubitari ait, utrum *tristis Latonia*, an *voces tristis* dicendum sit; ait vero morem Poëtae retinendum, quem ubique servaverit, bisque intelligendum *tristis*, ut, qualis anima fuit, talia habuisse videatur & verba: dicendum itaque, *Tristis Latonia voces tristis emittebat.*

543. NOMINE SCAMILLAE MUTILATA PARTE CAMILLAM. Unde *Scamillae* nomen, quod nonnulli commenti sunt, desumptum sit, in nullo adhuc veterum codicum deprehendi. In aliquot autem omnino antiquis *quas millae* scriptum inveni; in aliquot aliis absurdiora quaedam. Sed enim antiquiora illa exemplaria, quae praecipue sequimur, *Casmillae* legunt. Quodque nonnulli codices *mutilata* habent, vetustiores pene omnes, *mutata* scriptum ostendunt. Non tamen displicet *mutilata*: quia Donatus ait: *Matris huic addidit nomen*; *aliqua tamen subtracta particula, ut Camilla potius, quam Casmilla diceretur. Habiturus in exilio comitem item filiam, & in appellatione infantis, dulcissimae nomen uxoris.*

547. AMASENUS ABUNDANS. In antiquis codicibus *habundans*, cum aspiratione scribitur, Veteribus eam nonnullis verbis applicare suetis, quo ea incitatius enuntiarentur.

574. JACULO PALMAS ONERAVIT ACUTO. Romanus codex, Oblongus, Mediceus, pluresque alii pervetusti, *palmas armavit*, legunt, quod non sine proprietate dictum est, & in Donati codice reperitur. Sed enim Servius *oneravit* agnoscere videtur, dum ait: *Onus est, quicquid teneris manibus imponitur.*

587. QUANDOQUIDEM FATIS URGEMUR ACERBIS. In antiquis aliquot codicibus legere est, *fatis urgemur iniquis*; sed utcumque placuerit, *acerbis*, aut *iniquis*, non laboro. Sane *urgemur*, persona prima mihi videtur etiam Servius agnovisse, cum scripsit: *Ostendit etiam desideria ex Fati necessitate descendere.* Caeterum quod Servius ad desiderium refert, cur non potius ad amorem, & sympathiam quandam referamus, ut scilicet *urgemur fatis acerbis* dixerit, uti quae pari, cum ea, calamitate affici sibi videretur, quaeque Camillae aut acerba, aut iniqua imminebant, ea Diana impendere sibi existimabat.

592. TROS, ITALUSVE. In Romano codice legere est, *Tros Italusque*. Et eodem modo etiam superius; sed *ve* disjunctiva melius. Illud quoque animadvertendum, quod vulgata quaedam exemplaria *Hanc quicunque* legunt. Antiqua *hac* habent, scilicet *sagitta*. In aliquot aliis *ac* particula conjunctiva, ut sit mandati summa; Haec arma cape, sagittam deprome: *Ac quicumque sacrum violarit volnere corpus, det sanguine poenas.*

605. HASTASQUE REDUCTIS PROTENDUNT LONGE DEXTRIS. Antiqua pleraque exemplaria *praetendunt* legunt: qui quidem gestus est infestandi hastam in cataphracto milite, cuspide ad feriendum praetensa; sed enim quia de jaculatione loquitur, melius est *protendunt*: quia in jaculatione manus reducitur, protensa hastae longe majori parte: ne si capias a medio cuspidem versus, manus difracto aere ictum faciat elanguescere, impulsumque moretur. Eadem elocutione dictum ab Ovidio: *Protentaque forti Tela tenent dextra lato vibrantia ferro.* Donatus vero hic duo agnoscit; & quod hastas gestarent, dexteris retrorsum adductis, & quod spicula vibrarent. *Pergebant*, inquit, *paratis hastis & dextris, ut hostes petere vi-*

derentur: Ibant vibrantes spicula, ita crebro motu, ut ea jam crederentur esse missuri.

612. Continuo adversis Tyrrhenus et acer Aconteus, Connixi incurrunt hastis. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis *adversi* legitur: neque obstat quod *connixi hastis* subsequatur. Quod isti absurdum putaverunt. Hoc vero videtur agnovisse Donatus, dum ait: *Continuo adversi cum singulis ex diversis partibus eruperant hastis:* quamvis idem dicat, si *adversis hastis* legamus.

614. Praefractaque quadrupedantum Pectora pectoribus rumpunt. In Romano codice, in Mediceo, & quibusdam aliis pervetustis *perfracta* legitur. Ex quo impetus equorum vehementissimus ostenditur. Quod vero ita *pectora pectoribus ruperint*, adversos eos incurrisse demonstrat. Est & *quadripedantum*, secunda syllaba per i tertiam vocalem, de qua plura alibi.

620. Princeps turmas invasit Asylas. Antiqua omnia quae versamus exemplaria *inducit* legunt, quod a verbo *invasit*, forma diversissimum est. Donatus quoque *inducit* agnoscit. Ait enim: *Primus Asylas induxit turmas in medios: quis enim metueret fugientes?* Est & *inducere in hostem* saepius apud Historicos.

625. Nunc ruit ad terras. In codicibus aliquot antiquis, *ruit ad terram*, singulari numero legitur.

632. Legitque virum vir. Non. Marcellus, *legit* hoc loco pro *accessit* positum ait: ut in II. Georgicon: *Primi lege litoris oram.* Donatus pro *delegit* mavult: ait enim: *Unusquisque vir virum sibi, cum quo certaret, facta prius exploratione, deligebat. Quales petamus electos, nisi eos, qui possunt facile superari? Nullus enim deligit a quo possit occidi.*

638. Quo sonipes ictu furit arduus. In antiquis aliquot codicibus *ferit* legitur; sed imperfecta esset oratio, quare *furit* longe melius. Est & illud advertendum, quod ubi vulgata exemplaria legunt, *altaque jactat crura*, vetera quaedam *acta* habent.

645. Duplicatque viri transfixa dolorem. Romanus codex, Mediceus, & aliquot alii perveteres legunt *duplicatque virum transfixa dolore*, hoc est, duplici virum dolore cumulat. Qua forma dixit Ovidius: *Duplicataque vulnere caeco est.* Sunt, qui non inepte reposuere, *duplicatque virum transfixa dolorem*, ut sit, transfixa virum duplicat dolorem, pulchro & figurato elocutionis modo. Quam tamen secundo loco retulimus lectionem, in pluribus invenies exemplaribus.

646. Dant funera ferro. In Mediceo, *vulnera*, cum decora, quae sequitur, repetitione, *Pulchramque petunt per vulnera mortem.* Quod si *funera* legas dari, repetitio erit sententiae, quae non ita decora videatur. Est vero illud etiam: quod in aliis, *at medias inter caedes:* in eodem Mediceo, *at medias inter acies* legitur; sed omnino plus est dicere, *inter caedes.*

650. Hastilia densat. In aliquot antiquis codicibus, *denset*, secundae conjugationis habetur. Sed utrumque agnoscunt Grammatici.

651. Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem. In antiquo codice manuscripto legere est, *Nunc validam rapit in dextram non fessa bipennem;* sed quum indefessa agnoscat Servius, vulgata illi lectio potior.

652. Aureus ex humero sonat arcus. In Romano codice legere est, *ex humeris sonat.* Ut duobus ss continenter pronuntiatis, quodam veluti sibilo major sonitus excitetur, qualem Homerus ficto ex voce verbo mira expressit felicitate: ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο. Sed advertendum apud Donatum scriptum esse, *Aureus ex humeris erat arcus & arma Dianae.* Omnino enim paulo infra, *Aureus ex humeris sonat arcus & aurea vati Cassida:* ubi de ornatu Clorei Sacerdotis loquitur, habebimus.

657. Quas ipsa decus sibi dia Camilla. In Romano codice *dura* legitur, ut illud, *Durum a stirpe genus;* sed enim Servius admittit epitheton *dia:* quod in Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus *diva* scriptum invenias. Quo super loco Donatus ait: *Tantum Camilla ad Dianae animum pertinebat, ut apud socias suas pro Dea haberetur.*

658. Pacisque bonas bellique ministras. *Bonas* quidem in codicibus aliquot antiquis habetur, sed enim cum Mediceo plures atque iidem probatiores *bonae* legunt, idque Servius agnoscit. Donatiana tamen Paraphrasis ad eam lectionem, quae *bonas* habet, accusativo casu, respicere videtur. Sic enim est: *Denique cum iret ad bellum, has sibi esse comites voluit, quod essent ornamento in pace, & ministrae in certaminibus belli. Potest & sic intelligi, ut Bello & Paci ornamento esse viderentur: & sic in utroque obsequerentur, ut utrumque ornarent: & hoc esse arbitror melius. Ipsa enim est pura societas & vera religio, ut nullum tempus dissimiles faciat, quos foedera suscepta conjunxerint. Pulchrum est enim servare societatem, & ejus commodum custodire. Nullam istarum dicit belli gessisse certamen: sed asseruit ministerio fuisse bellanti. Nec exponeretur Camilla de sociis, si impares essent in caussa certaminum: aut ipsa quae laudabatur esset inferior, si exercitationes illae praestarent: tamen ipsarum praesentia non vacua fuit, quum, ut dictum est, ministerio juvabant, operaque bellantem.*

659. Quales Threiciae quum flumina Ther-

THERMODOONTIS. Romanus quidem codex, & plerique alii veteres uno exemplo legunt, *Thermodoontis*, versu Adonio: nam quae super hoc nomine Grammatici de accentu loquuntur, in caussa fuere, ut *Thermodoontis* pentasyllabum, absque synaeresi legi posse arbitrarentur. Sed enim secunda syllaba (quod forte minus animadverterunt) ω μέγα est, Θερμώδων quae corripi non potest, nisi more Dorum id in ο μικρὸν verterimus: communius vero est *Thermodontis*, κατὰ κρᾶσιν dimetro spondaico proferre: quod quidem apud Ovidium aperte factum invenias: *Et tu foemineae Thermodon cognite turbae*. Pontanus tamen *Thermodoontis* videtur accepisse, non uno loco, pari syllabarum numero, cum *Hippocoontis*, ut in libro de Poeticis numeris. In libro vero de adspiratione: *Latinos* ait *ultimum o resolvere, quia vox ea bene aliter locari non posset in versu Heroico*. Putavit ille quidem secundam nominis hujus syllabam esse brevem.

661. SEU CUM SE MARTIA CURRU PENTHESILEA REFERT. Sunt qui nomen *Panthesilea*, per A, prima syllaba scribant: quum tamen codices tam Virgiliani, quam etiam aliorum auctorum, una cum Graecis, eam E vocalem secundam statuant, quare illud librariis adscribendum. Quod vero Virgilius, *Penthesileam Martiam* appellarit, non ea tantum caussa est, ut bellatricem significet, quod alibi fecit, sed quod, ut ex Trogo Justinus tradit de Amazonibus: *Ne successibus deesset auctoritas, genitas se a Marte praedicabant*.

666. EUMENIUM CLYTIO PRIMUM PATRE. Proprium hoc nomen *Eumenium*, alio atque alio modo, in aliis atque aliis codicibus scribitur; sed ut, quae absurda videntur, missa faciam, Romanus codex, Oblongusque, Mediceus, & aliqui alii manu scripti, eodem exemplo *Eunaeum* legunt, & in Donati codice eodem est modo.

669. MORIENSQUE SUO SE IN VULNERE VERSAT. Codices plerique veteres *suo se vulnere* legunt, absque *in* praepositiva particula, quae quidem hoc loco non sine injuria sententiae detrudi potest. Operae precium autem esse judicavi, quae super hanc sententiam Ti. Donatus commentatus est, adponere. ATQUE CRUENTAM MORDET HUMUM, MORIENSQUE SUO SE VOLNERE VERSAT. *Cadentes enim repentino ictu mordent, quod fortassis occurrerit. Iste igitur mordens terram, & crebris hoc morsibus faciens, vertebat se, & in suo se cruore volvebat. Hoc dicendo ostendit eum tam graviter percussum, ut illic caderet, ubi confossus est. Qui vero assidue volvebatur in volnus, & terram mandebat, quam rigaverat cruor, apparebat eum aliquem adhuc sensum doloris habuisse.*

670. TUM LYRIN, PAEGASUM. In antiquis *Lyrin*, Latinis literis scriptum est. In Romano, in Oblongo, & aliquot aliis, *Pagasum*, per A prima syllaba, quod ab eruditis receptum video. Invenies & alio modo scriptum, sed in re parvi momenti satis est receptiora indicasse.

675. DEMOPHOONTA CHROMINQUE. Romanus & Oblongus codex *Chromum* legunt, & aliquot ex accuratioribus.

677. PROCUL ORPHITUS ARMIS IGNOTIS. In Romano codice *Ornytus*, per Y in pene ultima, παρὰ τὸ ὄρνυμι, quod *impetum facere* significat: nam si ab *ave* sit, T litera adspiraretur. In Donati quoque commentariis *Ornutus* habetur, Y litera in U more veterum mutata.

682. IPSE CATERVIS VERTITUR IN MEDIIS, ET TOTO VERTICE SUPRA EST. In codicibus aliquot antiquis, *ipse catervas vertitur in medias* legitur; sed quum sententia de eo sit, qui contineatur in loco, non autem in quempiam feratur, magis placet ablativo casu, quod in pluribus habetur exemplaribus.

689. MANIBUS HOC REFERES, TELO CECIDISSE CAMILLAE. In Mediceo codice lasciva admodum adnominatione legitur: *Manibus hoc referes, manibus cecidisse Camillae*. Sed *telo* reliqui omnes agnoscunt.

691. SED BUTEM ADVERSUM CUSPIDE FIGIT. Ut praeteream *fixit*, praeterito tempore, quod in plerisque codicibus habetur, eo me convertam, quod majoris alicujus momenti esse videatur. Antiquus admodum codex *adversa* legit, sed de cuspide dictum, hoc parum mihi satisfacit. Romanus codex, & Oblongus, Pomponianae deliciae, una cum Mediceo *aversum* legunt. Quod ideo mihi adridet, quia jocari videtur Poëta in diversa feriendi ratione describenda: unum enim Camilla jam *aversum*, & fugam arripientem in collo fauciaverat: Orsilochum vero contra elusit, simulata fuga. Quem quidem de fuga locum Virgilius ex Horatiorum pugna desumpsit.

696. TUM VALIDAM PERQUE ARMA VIRO PERQUE OSSA SECURIM ALTIOR INSURGENS. Romanus codex, & aliquot alii, *exsurgens*, habent, quod agnoscitur a Donato; sed *insurgens* in pluribus est exemplaribus. In Mediceo illud etiam diversum, quod *valida securi*, casu septimo legitur: *Tum valida perque arma viro perque ossa securi*: utpote instrumento, quo ipsa *Altior insurgens, oranti & multa precanti Congeminat vulnus*.

702. EVADERE PUGNA. Vulgata quidem exemplaria, *pugna*, casu septimo legunt; sed Oblongus codex *pugnam* habet, accusativo casu. Utrumque elocutionis modum admittunt Grammatici. Sed Romanus, Mediceus, & aliquot alii perveteres, *pugnae*, scriptum ostendunt, Graecanica elocutione, ἀποφυγεῖν τοῦ πολέμου. Sed quia nu-

nusquam ego alibi figuram hujusmodi apud Auctores reperi, quod meminisse possim, in medio hoc relinquam.

707. Pugnaeque accinge pedestri. In antiquis plerisque codicibus ablativo casu positum est, *pugnaque adcinge pedestri*. Alibi tamen, *adciungunt Omnes operi*, dictum acquisitivo casu.

708. Ventosa ferat cui gloria laudem. Romanus codex *fraudem* habet; quum tamen plerique alii veteres *laudem* legant. Servius à Romano codice stat, qui *fraudem*, veram esse lectionem putat: curque ita sit legendum, quasdam affert rationes. Contra Ti. Donatus *laudem* agnoscit, hac paraphrasi: *Experiundo cognosces quis debeat jure, meritoque laudari*. Utra potior sit sententia, quum non veteres tantum codices, verum & opinatissimi Grammatici diversa tradant, aliorum arbitrio judicandum reliqui. Est etiam in Mediceo *feret*, finitivo modo, ut quid certius afferat; sed *ferat*, in pluribus habetur.

709. Acrique incensa dolore. In Romano codice, in Oblongo, in Mediceo, & plerisque aliis antiquis, *accensa* & *adcensa* legitur.

710. Paribusque assistit in armis. Oblongus quidem codex *assistit* habet; sed cum Mediceo Porcius, Vitalianus, atque Delphius, & pleraque exemplaria manu scripta, *Paribusque resistit in armis*, legunt.

712. Advolat ipse. Hic *abvolat* omnino, vel *avolat*, ut in Mediceo, legendum. Tam etsi *advolat* in antiquis aliquot codicibus reperiatur.

714. Quadrupedemque. In antiquis aliquot codicibus *quadripedemque*, ut observatum saepius per i secunda syllaba. Ferrato calce fatigat. *Ferrato*, virili genere, in impressis codicibus aliquot inveni, parcius in manu scriptis: qui plurimum habent *ferrata calce*, genere foeminino, uti est in Mediceo; & ita scripsisse Virgilium Nonius Marcellus attestatur. Quamvis Plautus, & Varro *Calcem* masculino genere dicere maluerint. Praeterea quaeri dicit Probus, qua de caussa Virgilius nomen hoc foeminino genere pronuntiaverit: factumque ideo ait: *quoniam quaecumque nomina Romana duntaxat inanimalia, nominativo casu, numeri singularis, x littera terminantur, & monosyllaba esse reperiuntur, nec foeminini generis esse pronuntiantur*. Ad haec Fl. Sosipater, *Calx*, ait, *sive qua calcamus, sive qua aedificamus, foeminini generis est, ut & Virgilius ait*: Ferrata calce fatigat.

715. Vane Ligur. Antiquissimus codex majoris notae Mediceus, & pleraque vetera exemplaria, *Ligus* legunt, per s & per us. *Ligus Liguris, ut lepus leporis*, & *vetus veteris*, declinari ait Fl. Sosipater. Frustraque animis elate superbis. In codicibus aliquot antiquis, *armis elate superbis*, legitur: quod quidem hic nihil aliud significaret, quam alto equi dorso, cui Ligus ipse plurimum fidebat; sed omnino melius *animis*, ut ad procaciora ea verba respondeat, quibus Camillam in certamen provocaverat.

720. Inimico a sanguine sumit. Romanus codex, Mediceus, & alii plerique veteres legunt *inimico ex sanguine*: quae praepositio magis huic loco videtur convenire.

721. Quam facile accipiter saxo sacer ales. Ea consuetudine, quae fuit ex *accipio*, verbo, praepositionem integram notare, prius quam Lucillius cc geminare instituisset: aliquot inde aetatibus repetita, *adcipiter*, per d, & *atcipiter* per t alterius aetatis abusu scriptum alicubi reperitur. Alitem enim eam ita nuncupatam ajunt, quod ad aliarum avium capturam genita sit. Manifeste vero Virgilium *accipitrem* virili genere protulisse locus hic ostendit: quum tamen Lucretius foeminino dicere maluerit: *Accipitres somno in leni sic praelia pugnasque Edere sunt persectantes visae, atque volantes*. Quem locum, ne quis, ut pleraque alia corrupta sunt, *visi*, reponendo, vitiare ausit, sciant *accipitrem* foeminino genere scriptum a Lucretio, Nonii Marcelli testimonio.

724. Tunc cruor et vulsae labuntur ab aethere plumae. In Romano codice absque copulativa particula, sed adaucta, per adplicitam praepositionem, verbi significatione, *evolsae* legitur, sententia non sine injuria mutilata: quare magis placet quod in aliis, *& volsae*, legitur: Quod vero in vulgatis, *tunc* est, *tum* in veteribus plerisque reperitur.

727. Tyrrhenum genitor Tarcontem. Romanus codex, Mediceus, & plerique alii veteres, *Tarconem* legunt absque t: & *Tarco*, absque n finali litera rectum ponunt: quamvis apud Graecos Τάρχων Τάρχωντος dicitur, idque per χ densam literam.

728. Et stimulis haud mollibus incitat iras. In Romano codice, & in Oblongo, *inicit* habetur, quod non displicet, tametsi *incitat* non improbarim, quod ex lusu poëtico duo verba ejusdem originationis eodem versu posita, non nihil habeant venustatis: *Suscitat, & stimulis haud mollibus incitat iras*.

735. Quidve haec geritis tela irrita dextris. In Romano codice, in Oblongo, & plerisque aliis antiquis legere est, *quidve haec gerimus tela*: quod majorem quandam vim ad eos excitandos habet, facitque objurgationem aequioribus auribus exaudiri, quum se quoque admisceat convicio, neminemque esse objurgationi & opprobrio non obnoxium indicet.

738. Expectare dapes. Impressorum plurimi, *expectare*, modo perpetuo scribendum curavere,

vere, ut sit, non *segnes expectare*: eaque lectio in aliquot omnino codicibus antiquis invenitur. In omnibus vero Vaticanae Bibliothecae, in Mediceo, in Porcio, in Vitaliano, & plerisque aliis *expectate* legitur, imperandi modo: quod Servius agnoscere videtur, dum exponit: *pro expectetis*: nisi quis infinitivum more Graecorum pro imperativo positum dicere velit. Non elidi vero s literam ex eo verbo, dictum alibi.

742. ET VENULO ADVERSUM SE TURBIDUS INFERT. In Romano codice, & in Mediceo, *offert*, atque in aliquot aliis: quod omnino Donatus agnoscit, dum ait: *Obtulit se Venulo adversum: debuit enim aliquid prior audere, qui omnium hortator extiterat.*

755. ARDUUS INSURGENS ILLA HAUD MINUS URGET ADUNCO LUCTANTEM ROSTRO. In codicibus aliquot antiquis, *arduos* legitur, quam terminationem Carisius, in his praesertim nominibus, quae in US purum exeunt, nequaquam admittere voluit, de quo plura alibi. Quod vero *aduuco*, in Romano codice legitur, in Oblongo *obunco* est, uti etiam superius, in Mediceo, & aliquot aliis *abunco* per b, utrumque in plerisque abrasa litera nihil certi proponit.

758. DUCIS EVENTUM EXEMPLUMQUE SECUTI. In antiquis codicibus, *exemplum eventumque*: par enim est, rem prius aggredi, quam quid inde eveniat spectare possis.

762. QUA SE CUMQUE FURENS MEDIO TULIT AGMINE VIRGO. In antiquis aliquot codicibus, *Quo se cumque ferens*, legitur, quod nonnullis & honestius, & decorum magis videtur; sed enim *furens* Ti. Donatus agnoscit, dum sic ait: *Dixit autem caussam, qua perfectum est, ut illa explorantis Arruntis non sentiret insidias: ferebatur, inquit, studio belli & furore certaminum.*

766. HOS ADITUS JAMQUE HOS ADITUS OMNEMQUE PERERRAT UNDIQUE CIRCUITUM. In antiquo codice, *hos aditus jamque hos abitus* legitur: quod ejus diligentiam ostendit, ut non prius adire velit, quam praeviderit, qua sit etiam abeundum. *Abitus* porro Donatus agnoscit; sed de Camilla dictum intelligit: *Quacumque abibat, vel quacumque habuit transitum, & quoscumque illa circuitus obibat*, observabat iste operiens caussam, quo posset circumvenire fortiorem.

768. FORTE SACER CIBELE CLOREUS OLIMQUE SACERDOS. In codicibus aliquot antiquis *satus Cybele*, legitur, ne *sacer* & *sacerdos*, quam ajunt, nugationem facerent. Sed quamvis *sacer*, pluribus scriptum sit in exemplaribus: quum tamen Donatus legat *Cybelo*, ut in Mediceo habetur codice: hoc est loco, in quo Cybele colebatur: de quo superius dictum eo versu: *Hinc mater cultrix Cybele*: mihi minime displiceret *satus Cybelo*.

771. AUROQUE INSERTA TEGEBAT. Exemplaria fere omnia vetustiora legunt, *auro conserta*: nam particula QUE importune omnino videbatur adposita.

773. LYCIO CORTYNIA CORNU. Et *Cortynia* per c, & *Gortynia* per G, indifferenter scribi posse ostendimus alibi.

774. AUREA VATI CASSIDA. Servius accusativum ait pro nominativo positum. Valerius Probus contra, *Virgilius* inquit, *haec cassida declinavit.* Exemplaque referuntur a Carisio cum hoc ipso, *aurea vati cassida*, ex Propertio: *Aurea cui postquam nudavit cassida frontem.*

783. TELUM EX INSIDIIS CUM TANDEM TEMPORE CAPTO CONJICIT. Veteres quidem aliquot codices *conicit* legunt, idque uti mos unico I; sed longe plures, *concitat*: & ita etiam in eo legitur, cui subjecta sunt Donati quae vidimus commentaria: nam & oraturus est prius, & opem Apollinis multis precibus imploraturus; deinde missurus hastam: quare multo post ait: *Ergo ut missa manu sonitum dedit hasta per auras.*

791. MIHI CAETERA LAUDEM FACTA FERENT. In antiquis plerisque codicibus non sine judicio scriptum observavi *ferant*, per loquendi modum indefinitum.

793. PATRIAM REMEABO INGLORIUS URBEM. In codicibus omnibus antiquis, quotquot legi, *patrias remeabo inglorius urbis*, numero multitudinis scriptum inveni; quod tamen in medio relinquimus.

801. NIHIL IPSA NEC AURAE, NEC SONITUS MEMOR. *Auras*, antiquam esse lectionem Servius asseverat, genitivum a Graeco sermone mutuo sumptum, ut *pater familias* dicitur: & apud Sallustium: *Castella custodias thesaurorum*, pro, custodiae. Vetera tamen haec exemplaria quae prae manibus habemus, *aurae* legunt Latina specie; sed unum etiam non praeteribo, esse codices aliquot, in quibus, *nihil illa neque aurae*, scriptum sit.

807. LAETICIA MIXTOQUE METU. In Romano codice *moestoque metu* legitur, ut laeticiae sit antitheton; sed enim *mixto* longe castior est lectio.

811. MAGNOQUE JUVENCO. In antiquis exemplaribus *magnove*, quod si diligentius animadvertas, longe melius est.

814. SE TURBIDUS ABSTULIT ARRUNS. In antiquis plerisque codicibus, & hic & alibi, *Arrons*, per o scriptum est, passimque RR geminato; sed Probus notat *Aruns*, *Aruntis* per U.

818. LABITUR EXANGUIS. Plerique codices antiqui *exsanguis* scribunt, dictione nihil quicquam corrupta: uti etiam *exsolvit* & *exspirans*, & similia. Donatus legere videtur: *Labitur & san-*

sanguis, *labuntur frigida leto*, addita paraphrasi, *recedente per lapsum sanguine, oculi quoque morientis labuntur in mortem.*

822. Quicum partiri curas. Tametsi placet *quicum*; dicendum tamen, vetera pleraque exemplaria *quacum* legere.

626. Trojanosque arceat urbe. In antiquis plerisque codicibus *urbi*, per i legitur; sed melius per ablativum: *Finibus arceret*. Est etiam in Mediceo absque copulativa, *Trojanos arceat urbe.*

830. Arma relinquens. In Romano codice & aliquot aliis, *reliquit*, verbi indicativi, non participii voce, ut tria sint membra: *Posuit caput, arma reliquit, vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras:* quae ita Donatus etiam distinguit.

834. Incurrunt densi. Romanus codex & aliquot alii pervetusti, *concurrunt*, legunt; sed Donatus *incurrunt* agnoscit: ait enim, in unum locum currunt, atque ex congesta multitudine facti sunt densi: Teucri scilicet, Tyrrheni, & Arcades.

835. Evandrique Arcadis alae. Romanus codex, Mediceus, & alii plerique legunt *Arcades alae*, nominativo casu utrumque.

839. Tristi multatam morte Camillam. In codicibus aliquot veteribus omnino *mulctatam* per ct scriptum est: in pluribus absque c, *multatam:* & in vetusto T. Livii codice passim, *Multam*, *multare*, & *multatitium*, & similia absque c litera scripta sunt.

844. Nostras humero gessisse sagittas. In codicibus aliquot *gestasse*, legitur, quod frequentiam & habitum ostendit. Sed in pluribus *gessisse pharetras:* ea enim ab humero suspendi solent.

845. Tua te, regina, relinquet. In Romano codice *reliquit*, praeterito tempore: quia jam Diana praecaverat, quid agendum esset. In aliquot aliis *relinquit* est, praesenti tempore, ut ostendat eam adesse. Quidam futurum malunt, ob synchroniam, *erit*, *patieris*.

846. Neque hoc sine nomine. In antiquis aliquot *nec* scribitur; sed multo dulcius est *neque hoc*, proferre. Est & *numine*, in Mediceo.

856. Digna Camillae praemia. In Romano codice *Camilla* legitur, ablativo casu; sed genitivo melius.

871. Et equis aversi ad moenia tendunt. In Oblongo codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis legere est, *adversa ad moenia tendunt*; sed vulgata lectio longe castior, quippe *equis aversi.*

875. Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum. In Romano codice legere est, *Quadripedoque putrem cursu quatit ungula campum.* Quam lectionem Donatus agnoscit: ait enim: *Urgente majore insequentium vi, ipsi equos urgebant, ut quadrupedo cursu, id est, satis properato, in patriam tenderent.*

877. Et e speculis percussae pectora matres. In antiquis aliquot codicibus *e muris* legitur, ut sit adnominatio quaedam: Pulverem ad muros volvi & e muris matres tollere clamorem ad sidera. Sed enim quia generalius est, *e speculis* dicere, ea lectio magis huic loco quadrat. Crediderim vero lectionem alteram, *e muris*, de paraphrasi aliqua desumptam.

881. Nec miseram effugiunt mortem. In Oblongo codice *noctem* habes; sed omnino magis placet *mortem* legere, quod plus habet violentiae, & agnoscitur a Donato.

882. Atque inter tuta domorum confixi exspirant animas. In Romano codice legere est, *intra*, in reliquis fere passim, *inter*. Quodque saepius apud Livium, *intra muros*, vulgata legunt exemplaria, in veteri codice scriptum, *inter muros*, observavi. Contra vero apud Martialem libro primo ad Cosmum, ubi vulgati codices legunt nunc: *Quem saepe vides inter penetralia nostrae Pallados, & templi limina Cosme novi:* veteres nonnulli codices manu scripti legunt, *intra penetralia*. Sed utcumque de hoc Grammatici decernant, illud potius animadversione dignum putarim, quod in plerisque codicibus antiquis non *tuta*, sed *tecta domorum* legi. Ea tamen lectio, quae est *tuta domorum*, longe figuratior.

892. Monstrat amor verus patriae ut videre Camillam. In Romano codice, *amor versus* legitur, ut intelligamus eas non prius tale aliquid aggressas, nisi ut videre Camillam. Tunc enim ait amorem versum ad patriam defendendam, quum bellum adversus etiam mulieres geri viderent, quod pro mulieribus susceptum prius arbitrabantur. Si vero cuipiam magis placeat, *verus amor*, ea quoque sententia & pulchra est, & de humanae vitae moribus sumpta.

895. Primaeque mori pro moenibus audent. In Romano codice *ardent* legitur, ut sit inter eas contentio laudis, amorisque, perinde ac si praemium illi propositum esset, quae prima moreretur. Servius ad dolorem ex Camillae obitu conceptum refert, ut illud, *Me primam absumite ferro.* Neque vero displicet *primae audent*, ea sententia, ut tunc primum audere visae sint, quum sexum quoque suum in bello fortiter occubuisse conspicerent.

899. Ingruere infestos hostes. Antiqua omnia exemplaria, quae prae manibus habui, *infensos* legunt, quod Turni dolorem mirum in modum exaggerat, quum intelligat eos hostes, quos odio maxime prosequatur, ita victoria exultantes ferri.

901. Il-

901. ILLE FURENS, JAM SAEVA JOVIS SIC NUMINA POSCUNT. Interpositio haec variis modis in variis habetur exemplaribus. Hinc nonnulli *jam saeva* legere maluerunt. In Romano, in Mediceo, & quibusdam aliis codicibus pervetustis, *& saeva* legitur, quod etiam Servio receptum est, dum ait, Turnum duplici ratione insidias reliquisse, dolore quippe nimio: id enim sibi vult furens: & numinum voluntate. Quod si *nam* legas, aut *jam*, alterum esset redditio causae, alterum acciperetur expositive. Sed enim hoc utcumque legatur, parvi refert. Illud minime parvi faciendum est, quod in Romano codice: *sic numina pellunt*: non autem *poscunt*, legere est; sed omnino vulgata lectio receptior est.

905. SILVAQUE EVADIT OPACA. In aliquot antiquis codicibus *invadit* legitur.

908. AT SIMUL AENEAS. In Oblongo codice *ac simul*: in Romano, *tum pater Aeneas*: inemendate quidem, & sententia mutilata. TINGAT EQUOS. In antiquis ex instituto Attii *tinguat*, u post o notata, scriptum est.

LIBER DUODECIMUS.

CEDAT LAVINIA CONJUX. Quam diversitatem codicum in septimo habuimus eo versu, *Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris*, quum nonnulli veriti primam in *Lavinia* syllabam esse longam, versum hoc dictionum ordine scripsissent: *Exulibus ducenda datur Lavinia Teucris*: eadem nunc itidem offertur. Nam qui superius legerant, *ducenda Lavinia*, eodem hic modo legendum arbitrati, *cedatque Lavinia*, scribere instituerunt. Bona tamen eruditorum pars absque particula copulativa libentius legit: syllabam vero eam communem a poëtis poni, exemplis alibi ostendimus.

19. QUANTUM IPSE FEROCI VIRTUTE EXUPERAS, TANTO ME IMPENSIUS AEQUUM EST CONSULERE. *Quantum* & *tanto*, vulgata est lectio, & aliquot veterum etiam codicum testimonio comprobata, sententiaeque optime quadrat, neque non elocutioni. In aliquot tamen exemplaribus legere est, *quoniam ipse feroci virtute exuperas*: ut Latinus, absque alia dictorum divisione, probabilis causae suae statim ansam arripiat per concessionem eorum, quae validissima Turnus sibi proposuerat: quippe qui totius accusationis & causae cardinem ibi verti verebatur, ut certaminis detrectator ab omnibus haberetur. Itaque nullam dixerat in se moram esse, paratum se jam congredi: nolle, quod Drances objectaverat, Latinos caedibus exponi, solum se jam pro salute omnium quasi devotum, totam certaminis molem impetumque omnem sustentaturum. Ait itaque Latinus: Quoniam ignari non sumus, te ferocitate & virtute praestare adeo, ut ex confesso alios exsuperes, tanto me tamen impensius aequum est consulere. Sed, uti praefatus sum, prior lectio concinnior videtur. Operae precium vero est, orationis artificium perpendere, quae sententiam suam his praecipue locis corroboret. Ab utili & recto, quum casus impendere Turno demonstrat, quos parendo possit evitare, posseque eum alias sibi uxores quaerere. A prudentia, quum bonorum, malorumque ratione proposita, quid sequendum sit, aperit. Ab justitia & religione, quum promissa Aeneae de filia servari oporteat, & eam contra Turno sociare, fatis prohibeatur, idque homines, Diique canant. Addit & argumentum a laudabili, quum Rutulorum & Italiae vereatur obloquia: concluditque per commiserationem, quum disjunctio a necessariis & familiarissimis deploratur.

23. NECNON ANIMUS AURUMQUE LATINO. In antiquis porro codicibus, *Latino est*, legitur. Nonnulli vero hoc numero legunt, *nec non aurumque animusque Latino est*, quod in veteribus plerisque codicibus habetur.

31. PROMISSAM ERIPUI GENERO, ATQUE ARMA IMPIA SUMPSI. Imperite simul ac importune fecerunt, qui huic versui post dictionem *genero*, vel *que*, vel *atque* intrusere: nam modo hoc, modo illud passim habetur in codicibus vulgatis, & in aliquot etiam antiquis. Quum tamen in Romano codice vetustissimo, & in Mediceo, & in Portio, & in aliquot aliis absque ulla conjunctiva particula sic non invenuste legatur: *Promissam eripui genero, arma impia sumpsi.* Atque ita etiam legebatur in Oblongo codice, sed imperitus, nescio quis, infirmitati carminis timens, *que* illud intrusit; inde alii *atque* reposuere. Sed quanto venustius & elegantius tria illa membra disjunctim enuntiantur, *Vincla omnia rupi: Promissam eripui genero: Arma impia sumpsi*, quo in loco syllabae timere fatuitatis est, & imperitiae.

33. QUANTOS PRIMUS PATIARE LABORES. Romanus codex, & plerique alii veteres, uno exemplo legunt, *patiere*, ut futuri mali metu magis absterreat. Magis tamen placet *patiare*, ut in Oblongo & in Portio legitur: quia quae praesentia sunt, negari non possunt. Hinc Donatus ait: *quae passus sum, nosti: quaeve ipse adhuc patiaris, intelligis.*

37. QUO REFEROR TOTIES. In Romano co-

dice legere est, *Quo refero toties:* hoc est, quanam obsecro de caussa haec eadem toties in consultationem pono, ut illud: *Monstra Deum refero.* Sed enim quia sequitur, *Quae mentem insania mutat:* de instabilitate sententiae sermo est, quae ab Rege adeo aliena esse debet, ut proverbio receptum sit, in iis, quae verissima esse contendimus, fidem regiam attestati. Ait itaque: *Quo referor toties:* quasi versum exprimat Horatianum: *Mea cur pugnat sententia secum? Quae petii sperno, repeto quod nuper omisi.* Est & illud adnotatione dignum, quod *motat*, non *mutat* in codicibus aliquot manu scriptis legitur, quod majorem argueret instabilitatem; sed *mutat*, magis facit ad decorum, & in pluribus habetur, ex antiquis exemplaribus.

38. Si Turno extincto socios sum accire paratus. Non negarim in antiquis aliquot codicibus *adcire* scriptum esse; sed longe plures sunt, qui cum Romano codice *adscire* legunt, ab *adscisco.* Horatius: *Adsciscet nova.* Et apud M. Tullium saepe, *Civis adscitus:* apud Livium: *In civitate adsciti.*

47. Ut primum fari potuit, sic incipit ore. Antiqua omnia exemplaria, quotquot evolvi, tam in Vaticana Bibliotheca, quam etiam aliunde conquisita, uno exemplo legunt, *sic institit ore*, ab *insisto*, quod Turni violentiae, quae flecti non poterat, optime quadrat. Erat & in antiquo Mediceae Bibliothecae codice, *institit;* sed ultimae duae syllabae ab imperito aliquo abrasae fuerunt, vestigio tamen mediae adhuc integro permanente.

61. Qui te cumque manent isto certamine casus. In Romano codice pleraque nomina quartae declinationis, quibus in casibus, *us* ultimam syllabam producunt, *uu* geminato scribi solent, ut hoc loco, *casuus:* & alibi *curruus:* ex Attii quidem, ut alias diximus, instituto, id quod adhuc in aliquot antiquis inscriptionibus observavimus, ut: ex ortuus vorsum. Sed enim hoc, ut sciretur, non ut ad imitandum proponeretur, a me dictum est.

68. Si quis ebur vel mista rubent ubi lilia. In antiquis fere omnibus exemplaribus legere est *Si quis ebur aut mixta.* Qui *vel* reposuere, praejectae syllabae timuerunt, quum ignorarent eum quoque locum esse communem.

78. Teucrum arma quiescant, Et Rutulum, nostro dirimatur sanguine bellum. In Romano codice, in Oblongo, Vaticano, in plerisque aliis antiquis, legere est: *Teucrum arma quiescant, & Rutuli;* oratione non invenuste variata. In Mediceo ultima syllaba est aliena manu corrupta, quum omnino *Rutuli* prius fuisse appareat. Quod vero in exemplaribus vulgatis *dirimatur*, tertia persona passivi legitur, in omnibus his antiquis *dirimamus*, prima plurali, activa voce, scriptum observavi.

85. Circumstant properi aurigae. Veteres aliquot codices *propere* legunt; sed inemendate. Aliquot alii, *pueri aurigae*, ut in Oblongo, Vaticano. Servius cum plerisque veteribus exemplaribus *properi* mavult. Interpretatur enim, *festini*, *velocesque*. Manibusque lacessunt pectora pulsa cavis. Non negarim *pulsa* in veteribus aliquot exemplaribus inveniri; sed enim longe magis placet, quod in iis probatioribus, quae sequimur, *plausa* legitur: a doctis omnibus lectio plausibiliter recepta, ut in Georg. *Et plausae sonitum cervicis amare.*

94. Actoris Arunci. In Romano codice, in Portio, & aliquot aliis antiquis, *Aurunci* legitur, ut alibi: *Auruncos ita ferre senes;* tametsi pleraque vetera exemplaria *Arrunci*, r geminato scribunt, sed male: nam & Liviani codices antiqui, una cum his Virgilianis notae melioris, *Auruncos* scribunt.

99. Semiviri Phrygis. In codicibus aliquot antiquis *Phrygii* legitur; sed omnino *Phrygis* gentile nomen melius, quam possessivum.

100. Myrraque madentes. In Romano codice, & aliquot aliis, *murra* per u, ut etiam in antiquis Donati codicibus, idque absque aspiratione, cujus rarus apud veteres usus fuit. De litera vero y, dictum saepius.

102. Scintillae absistunt, oculis micat acribus ignis. In Romano codice *existunt* legitur, quod ex Paraphrasi desumptum crediderim, quum exemplaria reliqua *absistunt* legant. Est & antiquus admodum codex, in quo numerus ita mutatus: *Absistunt scintillae oculis, micat acribus ignis.* Sane vero Donatus *absistunt* agnoscit, & *exire non cessant*, interpretatur.

103. Mugitus veluti cum prima in praelia taurus Terrificos ciet. Romanus codex atque aliquot alii pervetusti, *cum primum in praelia*, legunt eodem omnino significato: nam & *prima in praelia*, initio pugnae significat.

104. Atque irasci in cornua tentat. In Romano codice & antiquioribus aliis, *aut irasci* legitur. Sed in Georgicis quoque *atque* habetur eo loco: *Atque irasci in cornua discit.*

105. Ventosque lacessit ictibus, et sparsa ad pugnam proludit harena. Antiqui omnes codices *aut sparsa* legunt. Hinc fit ut non gravate alterum *aut* superius admittam: nam in Georgicis tota natura tauri describitur. Huic vero comparationi vel hic, vel ille gestus, satis superque est. Adverte vero, *proludere*, Donato esse, imaginem quandam veritatis ostentare, ludendo.

112. Et

112. Et pacis dicere leges. In Oblongo codice Vaticano *discere* legitur; sed Servius agnoscit, *dicere:* quas leges paulo post Aeneas in foedere dicturus est. *Dicere*, Donatus etiam agnoscit; sed in eo diversus abit a Servio, quod ait: *Jubet ad regem Latinum tota maturitate perferri, ut ipse, qui summam teneret potestatem, pacis leges diceret.*

130. Defigunt tellure hastas. Oblongus codex Vaticanae Bibliothecae atque Mediceae vetustus alter, *tellure* quidem, casu septimo legunt; sed Romanus, & antiqui plerique alii, *telluri*, acquirendi casu. Arusianus tamen in exemplum, quod *defigo illa re*, ablativo casu dicatur eleganter, locum hinc citat: quippe dictum a Virgilio: *Defigunt tellure hastas.*

132. Turres et tecta domorum. In antiquis aliquot exemplaribus *ac tecta* habetur, in aliquot, *&:* parum quidem hoc, sed eruditis ingeniis non ingratum.

133. Alii portis sublimibus astant. In Romano codice & aliquot aliis *instant* habetur; sed longe plures, *adstant*, vel *astant*, habent.

135. Tum neque nomen erat nec honos aut gloria monti. In Oblongo Vaticanae Bibliothecae: *nec honos nec gloria.* In Romano: *neque gloria.* In vulgatis: *neque honos neque gloria.* In antiquo Mediceo & quibusdam aliis: *nec honos aut gloria.* Quae lectio modo recipi coepta est. Plurimum vero *tunc*, per c finalem scriptum invenias.

136. Prospiciens tumulo campum spectabat. In codicibus aliquot antiquis legere est, *aspectabat.* In aliquot aliis ejusdem figurae, *aspectabat:* quod praecipue notatum est in Donati commentariis, hoc pacto: Aspectabat, *ad omnia pertinet, ut sit, aspectabat campum, aspectabat acies utriusque partis, aspectabat & Latini urbem.*

142. Nympha decus fluviorum animo gratissima nostro. In Romano codice & aliquot aliis manuscriptis, *carissima*, habetur. Pleraque tamen vetera exemplaria *gratissima* legunt: idque mavult Servius, & ita ex Homero legendum autumat, & in Donati commentariis, *gratissima* legitur.

146. Disce tuum ne me incuses. In aliquot antiquis exemplaribus *nec me incuses* legitur, ut occurrat objectioni, quae esse poterat: Cur non praecavisti, quae Jovis es & soror & conjux? Noli, ait, me incusare, quae nihil praetermisi, quod pro Turni & Latinorum tutela fieri potuerit, enumerando quae fecerit. Donatus tamen *ne me* agnoscit quod in bona veterum codicum parte etiam legas.

147. Qua visa est fortuna pati. Arusianus Messus in libro de Virgilianis elocutionibus hoc loco agnoscit *quoad*, exponitque *quoad*, pro, *donec.* Sane Servio, *qua* placere videtur, si modo codex incorruptus est. Arusiani vero lectio per synaeresim erit, figuram in Virgiliano carmine frequentissimam. Probus Valerius tamen *quod* hic monosyllabum mavult, nempe κατὰ κρᾶσιν ex *quoad.* Cadit vero sub idem examen Terentianus locus: *Munus nostrum ornate verbis, quoad poteris:* nam eo quoque loco, *Quod poteris*, a Terentio scriptum volunt, ut alibi in Adelphis: *Istam, quod potes, consolere.* Sed in antiquis codicibus loco hoc: *Quam potes*, scriptum inveni; tamen Hellenius Acron *quod* agnoscit, authore Carisio, pro, in quantum poteris.

154. Vix ea: cum lachrymas oculis Juturna profudit. In codicibus aliquot antiquis *tum lacrimas* legitur: quod procedere videtur ad Ti. Donati sententiam, qui distinguendum ait, *vix ea*, hoc est, statim quod ea dicta sunt: & sic sequantur caetera de lacrymis.

158. Aut tu bella cie. In antiquis aliquot legere est, *At tu bella cie:* te enim decet hoc pro salute fratris facere, minusque obnoxium erit reprehensioni.

159. Auctor ego audendi. Invaluit aetate nostra mos, ut *author*, per *th* scribatur, quod nonnullis persuasum fuit, nomen id παρὰ τὸ αὐθεντεῖν deduci: quorum opinioni veterum Grammaticorum sententia refragari videtur: nam apud Valerium Probum ita legas: Auctor *a verbo augeo, foeminino significato* Auctrix *facit. Si non venit a verbo eo, sed significat principem, etiam foeminino genere* Auctor *facit, sicut Virgilius ex persona Junonis:* Auctor ego audendi. *Princeps, non quae augeat.* Atque alibi in Arte de hoc ipso ita disputat: *Quaeritur, quare Virgilius de Junone*, Auctor ego audendi *& non* auctrix *pronuntiaverit: hac de caussa, quoniam quaecumque nomina a verbis anomalis venire intelliguntur, haec aut deficiunt, aut certe anomale pronuntiantur. Hinc, quom & hoc nomen a verbo anomalo oriri reperiatur, id est, ab audeo: facit enim specie perfecta ausus sum: & ideo hoc nomen foeminini generis anomalum facere pronuntiatur.* Utrumque vero per *ct* scribit, non taciturus, siquam in scriptione differentiam agnovisset. Carisius quoque, qui ineptissimum putat Latino nomini Graecum etymum dare, nulla de mediis consonantibus mentione facta, Victor, *inquit*, institor, & tutor, *ac similia, pro communibus accipienda.* Auctor *siquidem propterea dicitur, quod augere generavit:* Auctricem *dicemus, quod pariter augere possit; cum vero ad auctoritatem referatur, pro communi accipiendum.* Neque desunt, qui, quum utriusque nominis etymon Latinum agnoscant, ita tamen distinguant, ut *auctor* ab *au-*

geo, per *&* notetur: ab *audeo* vero, *autor*, absque c; quasi *d* litera in *t* sibi cognatam tantum transeat. Vetera vero omnia exemplaria, quae vidimus, *auctor*, utroque significato per *&* notatum ostendunt. Nihil vero hic moror notas quasdam antiquarum inscriptionum Valerio Probo adscriptas, tam eorum, qui transcripserunt, quam impressorum negligentia corruptas, atque etiam eorum, qui manum in alienam messem injicere ausi sunt, multaque arbitratu suo interpretari, impudentia vitiatas; quum anteacta saecula *auctor*, & *auctoritas*, per *&* scripsisse tot veterum, quae passim extant, monumenta declarent. Cujusmodi aliqua retulisse non videatur importunum. Ea vero in primis occurrunt, quae omnibus maxime sunt in promptu. Tabula aenea in Basilica Lateranensi, in qua verba haec ita notata leguntur: UTIQUE CUM EX VOLUNTATE AUCTORITATEVE, JUSSU, MANDATUVE EJUS, & quae sequuntur. Alibi vero in eo monumento, quod proximis diebus advectum est ex Ponte Aurelio:

EX AVCTORITATE IMP. CAES. DIVI NERVAE FILII NERVAE TRAIANI AVG. GERMANICI.

Quum vero & haec, & hujusmodi pleraque pervestigarem, vir bene literatus, Mariangelus Accursius Aquilanus, opportune mihi in hortis Columnensium ad DD. Apostolos hanc inscriptionem in vetusto lapide notatam ostendit:

EX AVCTORITATE TVRCI APRONIANI
V. C. PRAEFECTI
VRBIS.
RATIO DOCVIT, VTILITATE SVADENTE.
CONSVETUDINE MICANDI SUMMOTA.

Et quae sequuntur, nunc minime ad commemorandum necessaria. Ubi vero Julius II. Pont. Max. Praetorii, quod ad Divi Blasii instituerat, fundamenta magnifico apparatu jecit, Ant. Laelius, civis meus, antiquam indicavit inscriptionem, in ipsa Tyberis ripa pulchris characteribus ita notatam:

EX AVCTORITATE IMP. CAES. VESPASIANI AVG. P. M. TRIB. POT. IIII. IMP. X. P. P. COS. IIII. V. CENSOR. CAIVS CALPETANVS RANTIVS QVIRINALIS VALERIVS CESTVS CVRATORR. RIPAR. ALVEI TYBERIS TERMINAVER.

Et, quae inde notae punctis interceptae sunt. Quo vero majorem Laelio gratiam debeo, non gravatus est vir ingenii & eruditionis elegantissimae, podagra etiam eum miserabiliter affligente, ad recenter erutum lapidem visendum me deducere. In quo quidem illud me maxime sollicitum habuit, quod verba, quae dictionem TERMINAVER. sequebantur, ita detrita, manca, curtaque erant, ut quidnam sibi vellent, nihil quidquam certo elicere possem. Notarum tamen ductibus observatis, ita scriptum fuisse existimavi, licet alii aliter excerpserint:

R. R. PROX. CIPP. PED. XXIIII.

Cujusmodi inscriptionem alteram alibi egomet ab artificum injuria vindicavi. Monumentum quippe in fossa, quam Julius II. circum molem Hadriani ducere inceptaverat, quum ego molem ipsam inhabitarem, effossum est in haec verba modunique:

IMP. CAESAR DIVI F. AVGVSTVS PONTIFEX MAXIMVS TRIBVNIC. POTEST. XVII. EX S. C. TERMINAVIT. R. R. PROX. CIPP. PED. XIII S

Quia vero multos fore puto, qui vel anxie quaesituri sint, quid in hujusmodi monumentis sibi velint primae notae illae punctis disfitae, R. R. PROX. CIPP. PED. non ab re me facturum existimo, si hac quoque in parte studiosorum, qua fieri potest, curiositatem juvero. Sunt, qui *Romanae ripae proximum cippum pedes*, interpretentur. Sed in iis, quae sub nomine Valerii Probi publicatae sunt, notarum interpretationibus, expositum vidi, *ruderibus recolligendis*. T. Phaedrus, quum Horatii Poëticen interpretaretur eo loco, *Seu cursum mutavit iniquum frugibus amnis, Doctus iter melius:* ubi ad id adlusit Horatius, quod Augustus Tyberim (ut apud Suetonium est) completum olim ruderibus, & aedificiorum prolapsionibus coarctatum laxaverit, ac repurgaverit. In cipporum inscriptionibus, ultra quos cautum esset, nequid inde aggeraretur: is, *ruderibus rejectis*, duo illa R R interpretabatur, & nunc demum ita Valerius emendari coeptus. Sed ut ad nomen, quo de quaestio erat, revertamur, ex iis, quas recitavimus, Grammaticorum veterum ac diligentissimorum sententiis, ac eruditi saeculi, & tot aetatum usu, *auctor*, Latinam locutionem Valerio Probo, Flavio Sosipatro Carisio, & aliis agnitam, per *&* scribendam, docti uniuscujusque judicio adstipulante, censuerim.

164. BIGIS IT TURNUS IN ALBIS. Vulgata quaedam exemplaria *bijugis* legunt; sed *bigis* omnino legendum ex antiquis codicibus & Servii interpretatione. Eandem lectionem Donatus agnoscit: curque bigis veheretur Turnus, rationem adjicit. *Qui ad certamen exibat, expeditior processis, duos habens equos, & duo hastilia.* Quod vero exemplaria quaedam vetera *in altis* legunt, minime pla-

placet, quia longe plura sunt quae *albis* legunt: id quod dictum est ad factionis colorem subindicandum.

170. SAETIGERAE FOETUM SUIS. Vulgata quidem exemplaria pleraque *setigerae*, foeminini generis legunt. In antiquis, quotquot legi, *setigeri*, virili genere scriptum est. Sunt vero ex eruditis qui *saetigerae* magis probent. Sed enim Ti. Donatus aperte masculinum agnoscit genus, ait enim: *Foetum porci dixit, non foetum porcae, patrem volens magis nominare quam matrem.*

172. ILLI AD SURGENTIS CONVERSI LUMINA SOLIS. Exemplaria pleraque vulgata *surgentis solis* omnino legunt, casu possessivo. Antiqua vero omnia, quaecumque habere potui, ita habent, *Illi ad surgentem conversi lumina solem:* in quo structura concinnior, & elocutio figuratior.

176. ET HAEC MIHI TERRA PRECANTI. In Romano codice, in Mediceo & plerisque aliis manu scriptis, *vocanti* scriptum. Nempe quod satis erat proximiore versu dixisse *precatur*. Sed enim Donatus omnino *precanti* legit, ut vulgata habent exemplaria.

178. ET TU SATURNIA CONJUNX. Romanus quidem codex, & quidam alter Vaticanae Bibliothecae manu scriptus, *conjux*, cum antiquiorum impressionum exemplaribus legunt. In Oblongo, Pomponii Laeti deliciis, in Mediceo, & plerisque aliis, *Saturnia Juno* legitur, quod plausibiliter magis acceptum est ab eruditis: quamvis posito Jove, *Conjux* non indecore additum videretur. Sed Donatus quoque *Juno* lectionem agnoscit.

185. CEDET IULUS AGRIS. Vetera quaedam exemplaria *cedat* habent: quaedam etiam *cedet*, ob synchroniam scilicet, quod sequitur *referent*, & *lacessent*. In Donati tamen Paraphrasi omnia haec dicta videntur per imperandi modum. In Mediceae Bibliothecae antiquo codice, ultima syllaba tota abrasa est, & superne, *det* adscriptum: unde *cedat* priorem lectionem fuisse conjicias.

187. SIN NOSTRUM ADNUERIT NOBIS VICTORIA MARTEM. Antiqua exemplaria pleraque *Si nostrum* legunt. Sed enim orationis ordo, ut *sin* legatur, exposcit: eaque lectio in Mediceo & probatioribus aliquot codicibus.

188. ET POTIUS DII NUMINE FIRMENT. In vetustissimo quodam exemplari legere est, *& propius Di numina firment*. In Romano quoque *numina* scriptum est; sed *numine* vulgata lectio magis recepta.

191. AETERNA IN FOEDERA MITTANT. In Oblongo codice *mittent* est, affirmativo modo, de futuro, boni ominis caussa: & pariter sequitur: *Sacra deosque dabo.*

199. VIMQUE DEUM INFERNAM DIRI SACRARIA DITIS. In antiquis porro omnibus exemplaribus scriptum observavi *duri:* & apud Servium tale aliquid observes, dum exponit, *duritiem inexorabilem*, pro *Vimque deum infernam. Ditem* vero *flecti indocilem* ait Claudianus, quod congruit duro.

201. TANGO ARAS MEDIOSQUE IGNES. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis legere est, *Tango aras, medios ignis*, absque particula copulativa. Hoc loco Donatus ait: *Medios dicit, quia nihil aliud habuit in praesenti, nisi aras & ignes, quae contingi manu potuerint. Numina autem invocabat, ut testimonio essent firmantibus foedera.* Haec ille. Qui vero volunt Virgilium passim philosophari, ideo medios dictum ajunt, quod ignis inter humanam divinamque naturam medius sit: quia materiae applicatus, ad sublimiora sponte fertur, sedemque sibi superiori loco debitam affectat, nullumque ita sit commodius internuntium, quod res nostras ad Deorum aures & oculos perferre possit.

205. COELUM IN TARTARA SOLVAT. In Romano codice scriptum est *coelumque*; sed singula haec distincta Ti. Donatus ponit. Praeterea in veteri codice quodam, *in Tartara vertat*, habetur: quod forte sumptum ex paraphrasi: nam *solvat* longe plura legunt exemplaria.

208. CUM SEMEL IN SILVIS IMO DE STIRPE RECISUM. Quia Grammatici soliciti sunt de nominis genere, quaeruntque nonnulli, *imone stirpe*, an *ima* dicendum sit; & responsum Servii est, foeminino genere dici de hominibus, virili vero de arboribus, quamvis Horatius *stirpesque raptas* dixerit; ea mihi visum est apponere, quae super hoc Donatus ait. *Si jungamus*, inquit is, *faciemus Stirpem genere masculino, contra ipsius Virgilii sententiam, qui omnibus locis Stirpem foeminino protulit genere*, ut: *Stirpis Achilleae fastus:* &: *Heu Stirpem invisam.* Et non multo supra: *Hinc Pater Aeneas Romanae stirpis origo.* Hunc scrupulum qui declinare voluerit, sic pronuntiare debet, & sic intelligere, ut, quod dictum est *imo*, separetur; ut sit ab imo abscissum, hoc est, ab inferiore arboris parte.

216. AT VERO RUTULIS IMPAR EA PUGNA VIDERI JAMDUDUM ET VA. Antiquiores aliquot codices *Rutulisque impar* legunt: nam *que* praejectum alteri copulativae *&*, venustam reddit orationem.

219. ADJUVAT INCESSU TACITO. Vetera quidem exemplaria multa cum vulgatis *incessu* legunt: in Oblongo tamen Vaticano *ingressu* scriptum est. *Incedere* enim quum plerumque sit majestatis, & venerabile nescio quid prae se ferat, locum hic habere non videtur, ubi omnia perquiruntur, quae timorem in Turno manifestum indicent. Praeterea Servius quoque *ingressu* agnoscere videtur, si diligenter

genter inspicias. Haudquaquam vero obscure Donatus *ingressu* legendum ostendit, dum ait: *Apparebant in Turno signa omnia, quae imparis diffidentiam comprobarent. Primo ingressus ejus, hoc est, ambulatio tacita: & progressus, hoc est, ad ulteriora segnior accessus. Ecce his signis colligebatur animi ejus corporisque defectio: Lassos quippe tacitus habuit gressus, dum vix pedem movebat, & vix reponebat alterum, ut progrederetur ulterius. Fuit alterum diffidentiae signum, quod aram venerabatur oculis dejectis ad terram. Et (ut reliqua persequamur) tertium signum tabentium genarum fuit: nam repentina macie fuerat deformatus. Quartum palloris, qui in juvene esse non debuit, si deesset & metus.*

220. Ad aram suppliciter venerans. Sunt qui *ad aram* legunt, ut sit progressus ad aram. Sed enim exemplaria vetera *& aram* habent, ut sit, *& aram suppliciter venerans*. Unum enim, uti dictum ex Donato, de quatuor signis, quae timorem indicabant, fuit ea veneratio demisso lumine praestita.

221. Pubentesque genas. Antiquus codex Mediceae Bibliothecae in *pubentes* primam litteram abrasam & alio atramento in P notatam ostendit; sed quae subsequitur vocalis *a*, est & ea quidem incolumis conservata, sed u vocali quinta superne adscripta: ut quod prius *tabentes* legebatur, in *pubentes* sit immutatum. Sed & alii codices plerique *tabentes* legunt: & quod Ti. Donatus tertium signum tabentium genarum fuisse dicit, nullam dubitationem reliquam facit, quin lectio castior sit, *Tabentesque genas*.

229. Non pudet, o Rutuli cuncti, pro talibus unam objectare animam? Romanus codex, & Oblongus Vaticani, Mediceusque, & nonnulli alii veteres, *pro cunctis talibus* legunt. Quam lectionem Servius agnoscit, dum ait, *tales Latinos reliquos, qualis est Turnus*.

230. Numero ne an viribus aequi Non sumus. In codicibus aliquot manu scriptis *aequae* habes, quia dixerat *unam animam*, ita *aequae animae*: quod non probatur. In aliquot aliis, *viribus aequis*; sed *aequi* vulgata lectio omnino castior.

231. En omnes et Troes et Arcades hi sunt. In antiquo codice scriptum est, *En omnes hi Troes & Arcades hi sunt*: quasi dicat, inimici nostri, qui sedibus suis expulsi, terram alienam invasere, ne propter foedus initum, eos jam amicos effectos existimarent, & ideo certare nollent. Servius, *hic sunt*, cum vulgata lectione legit, ne in castris alterum exercitum esse suspicarentur: quae lectio magis placet omnino, quia propositum est, *Numerone, an viribus aequi non sumus*. Mediceus codex, & aliquot alii perveteres eadem sententia, lectione paulo sequius scripta ita legunt, *En omnes & Troës & Arcades hi sunt*, ut suspendatur, *En omnes*: inde subjiciatur, *& Troës & Arcades hi sunt*, quos scilicet ante oculos habetis, & non alii usquam. In Romano autem codice legere est, *& Troës & Arcades hinc sunt fatalisque manus*. Et in aliquot aliis codicibus *fatales*, numero multitudinis habetur. Quod ita forte quis interpretetur, *Et Troës & Arcades hinc sunt*: in Latinis quippe castris tam strenui, tamque praestantes virtute viri habentur, quales & Troës & Arcades feruntur: vel potius distinguendum, ut dicas, *En omnes & Troës & Arcades*. Mox de suis, *hinc sunt fatalisque manus infensa Etruria Turno*, hoc est, Latino quoque nomini favent fata, ne eos tantum fatis fretos huc venisse persuasum habeatis. Et quod magis excitare animos possit, Etruria, quae infensa Turno esse consuevit, nobiscum militat, propter eos, qui Mezentium secuti erant: ut ita sit responsum ad id, quod propositum erat, essentne aequi viribus. De numero vero ait, *Vix hostem alterni, si congrediamur, habemus*. Caeterum crediderim ego N literam in Romano codice superfluam esse, ut saepe alibi in eodem reperitur, eamque omnino castiorem esse lectionem, quae vel *hic* adverbium, vel *hi* pronomen demonstrativum scriptum ostendit: praesertim quom Ti. Donatus ita locum hunc interpretetur: *Considerate, qui sitis, & quale Rutulorum nomen, & facta, quanta ubique praedicatione laudantur. Nihil interea e diverso existit, quod aliquem incutiat metum: non numero praecedit hostis, aut robore: quicquid opinio formidolosum sparserat, praesto est, subjectum oculis nostris. Tum quod habet pars utraque substantiae, prodidit campus, quod contra fidem rerum oneraverat fama terroribus. Trojani adsunt, videntur Arcades, in conspectu sunt, quos fatales appellant: & hoc est totum, quod infensa Etruria Turno potuit.*

238. Talibus incensa est juvenum sententia dictis. In antiquis aliquot codicibus *accensa* legitur, quam lectionem Donatus etiam agnoscit.

245. Quo non praestantius ullum Turbavit mentes Italas. Antiqui aliquot codices *praesentius* legunt: ut illud: *Praesentemque viris intentant omnia mortem*. In Mediceo *praestantius* quidem scriptum est, in dictionum sequela; sed superne vetus haec lectio, *praesentius*, addita.

247. Rubra fulvus Jovis ales in aethra. In antiquis plerisque *fulvos*, uti etiam superius: *vivosque per ora feretur*: de quo scriptionis modo satis alibi dictum. Id praeterire non possum, quod Ti. Donatus artificiose compositum ait, primo, ut *alitem* masculinum immitteret: si enim foemina esset, non tangeret Aeneae personam.

Dein-

Deinde ait, *Ales Jovis*, ut turbandum foedus, nec perficiendum, & Jupiter videretur ostendere.

252. MIRABILE VISU. Antiqui aliquot codices una cum Mediceo *miserabile* legunt; sed vulgata lectio acceptior eruditis.

254. DONEC VI VICTUS, ET IPSO PONDERE DEFECIT. In antiquis plerisque codicibus *deficeret* habetur. Magis tamen placet *defecit*, ut vulgata habent exemplaria, non sine veterum aliquot codicum assensu.

260. ME, ME DUCE FERRUM CORRIPITE, O RUTULI, QUOS IMPROBUS ADVENA BELLO TERRITAT. In Romano codice legere est, *o miseri*, non, *o Rutuli*; subjecta vero statim ratio, cur miseri, quos scilicet *improbus advena bello territat, invalidas ut aves, & litora vestra vi populat*. In Mediceo, & aliquot aliis antiquis *o Rutuli* scriptum est. Ti. Donatus *o miseri* agnoscit: dicit enim: *Et vos manus armate, o miseri, hoc est, dolendi.*

262. ET LITORA VESTRA VI POPULAT. Sunt aliquot antiqui codices, ubi *nostra* legatur; sed omnino *vestra* melius.

264. DENSATE CATERVAS. In Romano codice *densete*; sed hic aures offendit tam exilitate vocalis tenuissimae ter continenter positae, quam etiam sono ipso elanguescentis.

266. TELUM CONTORSIT IN HOSTES. In antiquis aliquot *conjecit*; sed id ex paraphrasi.

276. FULVAQUE EXTENDIT ARENA. In Romano codice, in Oblongo Vaticanae, in Mediceo, in eo, qui apud me est, & aliquot aliis, uno exemplo legitur *effundit harena*, quod magis movere pathos videtur: quia majorem prae se fert vulneris vehementiam.

296. HAEC MELIOR MAGNIS DATA VICTIMA DIVIS. Cum joco dictum ait Donatus meliorem victimam; quia in aram cecidit, & illic occisus est.

306. ILLE SECURI ADVERSI FRONTEM MEDIAM MENTUMQUE REDUCTA DISJICIT. In Romano codice *discidit* legitur. Secare enim, securis est, & scindere. Sed in Oblongo, in Mediceo, & aliquot aliis *diffidit*, in uno simplici s, in altero ss geminato scriptum.

310. IN AETERNAM CLAUDUNTUR LUMINA MORTEM. Quamvis in codicibus aliquot antiquis *mortem* legatur, legendum tamen est *noctem*, ut in emendatioribus habetur. Quam lectionem etiam Donatus agnoscit.

313. QUAEVE ISTA REPENS DISCORDIA. In codicibus aliquot antiquis *quove* legitur; sed probatiores *quaeve* habent. Sunt etiam in quibus non *repens*, sed *recens* habeatur. *Repens* autem agnoscitur a Servio: & *repentina discordia* est in Donati paraphrasi.

316. ME SINITE, ATQUE AUFERTE METUS, EGO FOEDERA FAXO. In codicibus aliquot antiquis *atque* non habetur, sed absque synaloepha legere est, *me sinite, auferte metus*. Praeterea in Romano codice *metuus*, Attiano more scriptum est, vocali, quae longa esse debuerat, geminata. Sic in nomenclatura quadam antiquo lapide, a curru, CURRUUS, pro, CURRUS legitur.

330. PROTERIT AUT RAPTAS. In Romano *&*, in aliis *aut*: hoc vero loco Donatus ait: *An suas raptas hastas ingereret hostibus, an hostibus raptas, id est, sublatas, incertum est; melius tamen, ut suas rapuisse, & hostibus ingessisse videatur.*

332. SANGUINEUS MAVORS CLYPEO INCREPAT. In Romano codice *intonat*; sed *increpat* Servius agnoscit & Donatus, atque ita legitur in Mediceo, & pluribus aliis.

335. CIRCUMQUE ATRAE FORMIDINIS ORA. In Romano codice *atra*, quippe *ora*, legitur; sed magis placet *atrae formidinis*, ut in aliis plerisque habetur.

341. THAMYRIMQUE POLUMQUE. Et *Thamarim*, & *Thamurum*, & *Thamyrim*, in diversis codicibus legitur. Quinetiam *Taurum* in aliquot antiquis exemplaribus habetur: sed enim Θάμυρις apud Graecos nomen est proprium, adagiumque fertur, Θάμυρις μαίνεται, *furit Thamyris*, de iis, qui cum intellectu polleant, delirare tamen in operibus videantur. Eundem porro *Thamyrin*, & *Thamyran*, Graeci dicunt.

342. EMINUS AMBOS. Est & *ambo*, ut: *Si duo praeterea tal. Id. tul.* Cujus declinationis varias observationes ex antiquis Grammaticis alibi recitavimus.

343. IMBRASIDAS, GLAUCUM ATQUE LADEN. Oblongus codex *Hymbrasidas*, & *Hymbrasus*, habet per *y*: & *Hyaden*, non *Laden*: in quam lectionem multa conveniunt exemplaria: licet in Mediceo aliena manu *Laden* factum sit, prima litera contacta. In aliquot aliis *Caden* legitur. In Romano *Embrasidas*, & *Embrasus*: sed enim Ἴμβρασος Graecis ὄνομα κύριον. Ergo *Imbrasidas* melius puto.

345. VEL EQUO PRAEVERTERE VENTOS. In veteribus aliquot exemplaribus *equis*, pluralis numeri.

346. MEDIA EUMEDES IN PRAELIA FERTUR. In Mediceo quidem, & alio, qui apud me est, annquo codice, *Eumedes* legitur. In aliis plerisque veteribus *Eumenides*, una plus syllaba.

348. NOMINE AVUM REFERENS. In pervetere codice *avom* habetur, ut in veterum inscriptionibus: cujusmodi ea est, quam in hortis Colotianis inspeximus:

M. CAE-

M. CAESONIVS PRIMUS AVOS.

Et AVONCOLO superius ex aede divi Basilii protulimus. Praeterea Terentius Scaurus, qui reliquas id genus scriptiones rejicit, *avos*, & *avom* non excludit.

353. CAMPO TURNUS CONSPEXIT APERTO. In Romano codice legere est *prospexit*, ut commendatio etiam sit ab acumine visus, qui in bellicis negotiis obeundis est magno usui.

358. FULGENTEM TINXIT JUGULO. In Mediceo, & antiquis plerisque codicibus *tinguit*, praesenti tempore legitur, ut reliqua, quae praecedunt, quaeque subsequuntur verba, eadem periodo contenta.

362. HUIC COMITEM BUTEM. Quamquam Βύτης, inter nomina propria locum habeat, a quo *Butadae* propagatae familiae celebrantur: antiqua tamen exemplaria pleraque omnia *Asbutem* hic legunt. Nam *Butes* superius occisus est, ubi legitur: *Protinus Orsilochum, & Butem. Asbutem* denique hoc loco Donatus agnoscit in integris commentariis.

363. CHLOREAQUE, SIBARIMQUE, DARETAQUE. In codicibus aliquot vulgatis *Sabarim* legitur: in nonnullis antiquis *Habarim*. Est & ubi *Fabarim* legas. Sane H litera, ut alibi latius, nunc in F transit, ut *faba*, pro *haba*: nunc in S, ut *exsibeant*, pro *exhibeant*: quod Aquilae antiquo cernitur monumento pro foribus aedis S. Mariae de Rodio:

EX QVORVM VSVRIS PER SINGVLOS ANNOS CONVIVIVM DEDICATIONIS EXSIBEANT.

Quare minime mirum lectionem hanc ita variare; sed haec, ut parvi momenti, praetereamus.

365. AC VELUT EDONI BOREAE. In antiquis codicibus fere omnibus *Edonii* geminato II scribitur: ubi necesse est per synizesin ultimas illas duas in unam coire syllabam: nam DO, *ω μέγα* est.

373. ORA CITATORUM DEXTRA CONTORSIT EQUORUM. In Mediceo, & omnibus his venerandae antiquitatis codicibus *detorsit* scriptum observavi: quod magis placet, & agnoscitur a Donato, qui sic ait: *Mira hominis virtus, & singularis audacia, ut iret ad currum, nec metueret superiorem hostem: impetum quoque equorum currentium frangeret, & torqueret in aliam partem*: ea enim est paraphrasis verbi ejus, *detorquet*.

374. DUM TRAHITUR PENDETQUE JUGIS HUNC LATA RETECTUM LANCEA CONSEQUITUR. In codicibus aliquot antiquis legere est: *Pendetque jugis hic*; sed enim sententiam Donatus latius explicavit: quae quoniam superiori adnexa est adnotationi, ea quoque videtur ad verbum adscribenda: *Ex eo, quod unus currus unum haberet jugum, sic exponunt plerique, quasi pluralem numerum pro singulari Poëta posuerit. Nos contra sentimus: qui enim ora citatorum dextra detorsit equorum, dubioprocul frenos tenuerit, non jugum, & non jugo pendebat, sed jugis, hoc est, frenis equorum junctorum: ut hoc ei ad virtutem accedat, quod bijuges pleno ictu currentes nitebatur vincere. Recte etiam*, Trahitur *dixit, ut partem potiorem daret virtuti equorum citatorum, partem vero fortitudini retinentis: qui enim pendens trahebatur, evicerat aliquid; sed duorum equorum vim ad plenum superare non valuit: non minor etiam equorum laus, qui impediti frenis, & hominis pondere, durabant tamen, & trahebant perseverantem.* Sunt etiam antiqui codices, qui pro *retectum*, legant *relictum*. Quod vero nonnulli dicunt *retectum*, id est, qua parte exarmatus erat: non procedit, quia statim sequitur: *Rumpitque infixa bilicem loricam.*

378. IBAT ET AUXILIUM STRICTO MUCRONE PETEBAT. In veteribus aliquot codicibus legere est *auxilium educto mucrone*. In aliquot aliis *ducto a mucrone*. Alii malunt *ducto mucrone* legere, absque ulla praepositiva particula, ut habetur in Mediceo & aliquot aliis. Sed enim Donatus *stricto* legit, dum ait: *Fidens auxilio gladii, quem strictum tenebat, hoc est, paratum ad feriendum.*

380. IMPULIT EFFUDITQUE SOLO. In aliquot veteribus exemplaribus *effundit* est, praesenti tempore: male vero superiore versu in exemplaribus plerisque, distincta praepositiva particula & nomine, legitur *pro cursu concitus axis*: quum dubioprocul *procursu*, unica dictione, legendum sit: vel Servio submonente: id quod ita Donatus adnotaverat: PROCURSU *quod ait, una pars est orationis, quasi porro tenens cursum. Hunc procursum, ut melius exprimeret, addidit*, concitus axis, *ut apertius ostenderet quid esset, procursus.*

382. TRUNCUMQUE RELIQUIT ARENA. In aliquot antiquis codicibus *relinquit* est, praesenti tempore. Est & in plerisque *harenae*, casu acquisitivo, quod agnoscit Donatus.

385. ASCANIUSQUE COMES CASTRIS STATUERE CRUENTUM. In Romano codice *Ascaniusque puer*, non *comes*, legitur: eamque castiorem lectionem esse didicimus ex Ti. Donato ita scribente: *Mnestheus, atque Achates* (inquit) *& Ascanius, licet esset puer, sciens tamen quid patri, vel maxime vulnerato deberetur*: & quae sequuntur.

391. PHOEBO ANTE ALIOS DILECTUS IAPIS. In antiquioribus *Iapyx*, per Y & X scriptum habetur. Alii volunt medici nomen a vento distingui scriptione: hujusque nominis obliquos casus in C Donatus mittere videtur, *Iapicis*, *Iapici*, qui pro-

G pro-

o proferuntur in vento. Horatius: *Praeter Iapyga*.

400. LACHRYMISQUE IMMOBILIS. In Mediceo codice & aliquot aliis antiquis, absque copulativa particula legere est, *lacrimis immobilis*.

404. PRENSATQUE TENACI FORCIPE FERRUM. In antiquis aliquot codicibus *pressatque* legitur. In Romano *forsice*. Sunt enim qui *forsices*, & *forcipes*, ita distinguant, ut *forsices* esse sarcinatorum velint, a faciendo: quae vero ferrum calidum capiant, *forcipes*: tonsorum, quod pilum secent, *forpices*. Sed enim inepta haec esse Caisius monet ex Lucillio, qui etiam *Medicorum forcipes* dicit LXIX; *scalprorum forcipium milia xx*. Item paulo post: *Forcipibus dentes vellere*. Sed Virgilius in VIII. *Versantque tenaci forcipe ferrum*: quod in codicibus aliis *massam* scriptum est.

407. JAM PULVERE COELUM STARE VIDENT, SUBEUNT EQUITES. In antiquis plerisque codicibus *subeuntque equites*, legitur, quod numerosius est.

411. TUM VENUS INDIGNO NATI CONCUSSA DOLORE, DICTAMUM GENITRIX CRETEA CARPIT AB IDA, PUBERIBUS CAULEM FOLIIS. Ex antiquis partim exemplaribus, partim ex veterum Grammaticorum observatione hi versus ita leguntur: *Tum Venus indigno quati concussa dolore, Ipsa manu genetrix Dictaea carpsit ab Ida Puberibus caulem foliis*. *Carpsit* quidem in plerisque antiquis exemplaribus, ut eadem sit synchronia cum altero praeterito, quod sequitur, *detulit*. Sed enim Donatus *carpit*, praesenti tempore legit: & ita in veteribus codicibus nonnullis, qui apud me sunt, habetur. Idem *Dictea* agnoscit, dum ait: *Itaque a* Dictea Ida substulit suis manibus caulem. *Dictea* porro cognomen est *Idae*, ut alio loco: *Dictea negat tibi Jupiter arva*. Sed enim *Dicta*, ipse quoque mons est Cretae: cujus Callimachus mentionem facit. Quod vero *ipsa manu genetrix*, pro, *Dictamnum genitrix* legatur: lectionem hanc Ti. Donatus agnoscit, cujus haec est interpretatio: *Quod ait*, manu carpit, *& matris animum expressit, ut ipsam diceret opera sua procurasse, quod sanare filium potuisset, & non ferro propter remedium, sed manu assereret esse sublatum. Dubium enim non est certo modo, & suo modo, ac tempore esse detrahenda terris, quae aliquibus sunt procuranda remediis, ut ipse alio loco Virgilius dixit*: Falcibus & messae ad Lunam quaeruntur ahenis: *ubi & modum & tempus expressit. In praesenti vero ait*, manu. Et inferius: *Quanta signa istius data sunt speciei, cujus nomen omissum est: quippe & regio expressa est, in qua nascitur: & nomen editum montis, & ipsius nominis signum*. Deinde quum ad descriptionem praedicti graminis accederet: *Caulem*, inquit, *facit, & comantem florem colore purpureo*. Et inferius: *Gramen appellavit novo usurpationis genere, alias dicens folia*. Caeterum vero nomine *Dictamnum* in regione sua dicitur appellari. Unde nonnulli sic exponunt hunc locum, ut afferant Virgilium dixisse *Dictamnum genetrix Dictea carpit ab Ida*. Quod usque adeo admittendum non est: ne, si sequentia conjungas, fiat vitium. *Dictamni* enim *caulem* dicere debuit, non *Dictamnum caulem*. Melior est enim superior lectio: *Ipsa manu carpit caulem a Dictea Ida*: cujus herbae nomen quia non dixit, signa ejus infinita protulit, ut posset sciri, quaenam esset. Haec Donatus. Apud quem *Dictamnum* per *m* & *n* scriptum inveni, prout etiam δίκταμνον in exemplaribus Graecorum manu scriptis, Theophrasti quippe & Dioscoridis, pene omnibus observatur. Et in antiquissimae traductionis Dioscoride, quem literis Longobardicis scriptum ostendit mihi Florentiae vir clarissimus Nic. Scombergus, Campanus Archiepiscopus, *Dictamnu* passim scriptum erat. In quo illud praecipua fuit observatione dignum, quod, quum phrasis alioqui & Latina esset, & recte Graecorum vocabulorum vim & proprietatem exprimeret, formae tamen, quas nos in *um* vel in *em* terminamus, plurimum illic absque *m* notatae sunt, hoc modo: *Dictamnu multi dicunt, Pulelu agreste; sed nec florem, nec semen habet*. Ita illud: *Est autem alterum Dictamnu de Creta adlatu*: quae quamvis ita sint, plurimum tamen delectant ob sermonis puritatem, & venerandae memoriam antiquitatis. Ut vero ad Donatum revertamur: quamvis ille, uti dictum, de lectione sentiat jure suo, antiqua tamen exemplaria, quae legimus omnia, eam lectionem ostendunt, quam ipse improbat. Papiniusque his exemplis propior accedere videtur, ubi ait: *Dictamni florentis opem*: quod Virgilius *florem comantem* dixerat. Et Priscianus, ubi agit de constructione partium orationis, *Dictamnum Genetrix* videtur agnovisse, diversaque genera, & diversos numeros Virgilium hoc loco auctoritate sua κατὰ τὸ ἀλλοίωτον confudisse. Quod vero neque florem, neque semen *Dictamno* esse Dioscorides, & plerique alii tradunt, Virgilius Theophrastum sequi videtur, qui flores in *Dictamno* ponit: vel quod uni & deteriori cuidam speciei, quae vulgo nascitur, proprium est, toti dedit generi, ut descriptionem hanc lascivius exornaret. Quia vero Virgiliana sententia de *Dictamno*, ejusque vi cum Tulliana consentit, visum est ex tertio de Natura Deorum, haec subjungere: *Dictamnum herba est, quam capreae, sagittis venenatis percussae, quaerere dicuntur: quam quum gustaverunt, sagittae excidunt a corpore*. Alia Plinius libro Naturalis historiae quinto & vigesimo.

417. HOC FUSUM LABRIS SPLENDENTIBUS AMNEM

amnem Inficit, occulte medicans. In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *labris pendentibus.* Sed enim cum hic *labrum*, pro vaſe poſitum ſit, quod olim id *lavabrum*, dicebant, magis placet *ſplendentibus*, hoc eſt, nitidis, & depurgatis, ut omnia cum decoro fiant. Ait vero Ti. Donatus in hujus loci paraphraſim: *Venus aquam infecit, quam Iapis ſtudioſe ſplendentibus labris infuderat, ut foveret vulnus.*

418. Sparsitque salubris Ambrosiae succos. Antiqui aliquot codices *ſpargit* legunt, inſtanti tempore, ut cum *inficit* conveniat; ſed in pluribus *ſparſit* praeteritum.

422. Omnis stetit imo vulnere sanguis. In Romano codice & aliquot aliis antiquis codicibus *in* particula interjecta, *imo in vulnere*, habetur.

436. Nunc te mea dextera bello Defensum dabit, et magna inter praemia ducet. In codicibus pleriſque veteribus, *magna inter praelia*, legitur; ſed *praemia* videtur agnoviſſe Ti. Donatus, dum ait: *Facit eum de praeſentibus ſecurum: defenſionem pleniſſimam ſpondens, & ex victoria commodum:* nam qui poſſit praelia commodum ſignificare non video.

438. Tu facito mox cum matura adoleverit aetas. In antiquis aliquot exemplaribus legere eſt *maturo*; ſed vulgata lectio magis accepta eſt.

440. Et avunculus excitet Hector. In antiquis aliquot exemplaribus *avonculus*, prout in veterum monumentis ſcriptum eſſe ſuperius non uno oſtendimus exemplo.

441. Haec ubi dicta dedit, portis sese extulit altis, Telum immane manu quatiens. Non deſunt quidem antiquorum codicum exemplaria, in quibus *altis* ſcriptum reperiatur; ſed enim Mediceum, & plura, atque ex his probatiora ſaepius reperta, non *altis*, ſed *ingens* legunt: ut, ſi ad telum referatur, cum Homerica ſententia faciat, βριθὺ, μέγα, στιβαρόν. Sed enim Ti. Donatus, & *ingens* agnoſcit, & epitheton adcommodat Aeneae, dum ait: Ingens, *Animo ſcilicet & corpore.*

446 Vidit ab adverso venientes aggere Turnus. In Romano codice, & in iis, qui apud me ſunt, non omnino contemnendis, atque in aliquot aliis manu ſcriptis, *agmine* legitur; ſed enim Ti. Donatus dubioprocul *aggere* videtur agnoviſſe.

464. Ipse neque adversos dignatur sternere morti: Nec pede congressos, nec equo nec tela ferentes Insequitur. Sic vulgata fere omnia exemplaria legunt: neque deſunt antiqui codices, qui lectioni adſtipulentur. Romanus tamen codex, & Oblongus, Pomponianae deliciae, legunt *averſos.* Quodque ſubſequitur, *nec pede congreſſos, nec equo*, antiqua fere omnia, quae verſamus, exemplaria, legunt, *nec pede congreſſos aequo:* in quo tria pugnarum genera, tres ferientium geſtus animadvertas. Aut enim eos, qui terga dant, occidimus; & hoc exprimit *averſos:* aut aequo reſiſtentes Marte; hinc ait: *Nec pede congreſſos aequo:* aut eminus ferientes; hoc illud eſt: *Nec tela ferentes Inſequitur.* Horum ſic pugnantium nullum ille dignatur ſternere morti, ſed ſolum denſa in caligine Turnum veſtigat luſtrans. Donatus vero *adverſos* admittit, dum obvios exponit. Mecum vero ſentit in altero, dum ſubjungit: *Aut aequo pede congreſſos occidere.* Quod vero legitur *denſa in caligine*, in Romano codice *denſo* eſt, virili genere, contra Grammaticorum praeceptionem.

468. Hoc concussa metu mentem Juturna virago. In Oblongo codice, *hinc* legitur, hoc eſt, hac de cauſſa. In aliis *haec:* quod minime placet.

478. Rapidoque volans obit omnia curru. In antiquis aliquot codicibus *curſu* ſcriptum eſt: ea lectio in Mediceo ſuperne adnotata: in reliquis *curru* habetur.

479. Jamque hic germanum, jamque hic ostendit ovantem. Hoc loco, ubi vana ſunt, quae fiunt, magis placet quod in Romano codice legitur, *oſtentat.*

482. Et disjecta per agmina magna Voce vocat. In Mediceo, & aliquot aliis codicibus, non *magna*, ſed *longa* ſcriptum eſt, addita ſuperne dictione *magna*, ut fieri ſolet, pro paraphraſi.

485. Aversos toties currus Juturna retorsit. In antiquo admodum exemplari *totiens curruus* legitur, *uu* geminato, Attiano more, uti etiam ſuperius notatum dicebamus.

496. Multa Jovem et laesi testatus foederis aras. In antiquis fere omnibus *teſtatur* legere eſt. In Mediceo ultimus apex abraſus, & nota, quae *teſtatus* legat, appoſita.

503. Tanton placuit concurrere motu. In veteribus codicibus, & *tanton*, & *tanto* habetur. Sed enim *tanton* notatur a Grammaticis, neque temere agnoſcitur a Servio.

506. Haud multa moratus Excipit. In Mediceo, & aliquot aliis veteribus, *morantem:* ut uno eum vulnere confectum oſtendat.

508. Crudo Transadigit costas, et crates pectoris ense. In Mediceo, in Romano, & antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *crudum tranſadigit coſtas, & crates pectoris enſe*, ſcriptum obſervavi, quod etiam Servius agnoſcit. Ex hoc vero ſuperiorem lectionem communire poſſis, ubi de Turno legitur: *Crudum per*

coſtas

costas exigat ensem: nam *durum* in aliquot codicibus legi dicebamus.

515. NOMEN ECHIONIUM. In antiquis plerisque codicibus legas *nomine Echionium*, quam lectionem improbat Servius: neque Donato assentitur, qui *Onitem*, nomen vel patronymicum, vel gentile putat, & *Echionium*, proprium.

526. AENEAS TURNUSQUE RUUNT PER PRAELIA. In codicibus aliquot antiquis, *ruo t in praelia*, legitur, sed *per* in pluribus.

531. INGENTIS TURBINE SAXI. In Romano, *ingenti*; sed magis placet *ingentis saxi*.

535. RUENTI HILO. In antiquis codicibus *Hylo*, per Y scriptum est.

537. FIXO STETIT HASTA CEREBRO. Quidam codices antiqui *fixa stetit asta* legunt. In Mediceo *fixa* prius scriptum fuerat; inde alio atramento ducta circularis lineola in o literam.

538. GRAJUM FORTISSIME CRETEU. Vetera quaedam exemplaria *Rheteu* scribunt: plura *Creteu*.

539. NEC DII TEXERE CUPENTUM. Antiqua omnia haec exemplaria *Cupencum* legunt, per c in finali syllaba. Est & DI, unico I, de quo saepe dictum.

541. CLIPEI MORA PROFUIT AERET. Antiqua exemplaria, quae volvimus, *aeris* legunt: quanvis *aerei* cultum magis videatur.

551. EUANDRIQUE AREADIS ALAE. In antiquis omnibus exemplaribus *Arcades* scriptum observatur: quod minime displiceat, quia passim *Arcades* Virgilius nominat.

567. URBEM HODIE CAUSSAM BELLI. Tres versus in Oblongo codice hoc habentur ordine: *Urbem hodie caussam belli: regna ipsa Latini Eruam: & aequa solo fumantia culmina ponam: Ni fraenum accipere, & victi parere fatentur.* Sed enim magis placet conditionalis oratio: *Ni fraenum accipere, & victi parere fatentur:* interposita & ante verbum *eruam*. Est & illud adnotandum, quod *freni* inter ea nomina reponitur a Carisio, quae singularitate carent: quamvis fecus a Virgilio dicatur, ut hoc loco.

573. FERTE FACES PROPERE. Veteres plerique codices *properi* legunt, uti superius: *Circumstant properi aurigae*; sed magis incitare videtur adverbium.

577. PRIMOSQUE TRUCIDANT. In Oblongo codice *fatigant*: quod non ita placet: nam in praeliis mos est, ut primi semper sint caedibus & periculis magis expositi: & ad aliorum terrorem, clementissimi etiam imperatores, expugnationis initio, caede aliqua saevire soliti sunt.

591. NUNC MURMURE COECO. In antiquis *tum* legitur pro *nunc*.

595. REGINA UT TECTIS VENIENTEM PROSPICIT HOSTEM. In Oblongo codice, & in aliquot aliis *conspicit* habetur: quod magis moveret, propter periculi vicinitatem: sed enim *prospicit* Servius admittit, & vetera pleraque exemplaria consentiunt.

596. INCENDI MUROS. Codices omnino aliqui veteres *incendi* legunt. Antiquitus enim contextis arboribus, lutoque, aut calce illitis, infartisque, moenia construi solebant: quorum plurimus in Galliis usus fuit, teste Caesare. Sed enim Oblongus, Mediceus, atque alii perveteres codices, *incessi*, legendum ostendunt: quod Servius admittit, dum exponit *invadi*. Romanus ambiguus est unius mutatione literae: in eo enim *incensi* legitur; sed cum alias primam ex duabus *ss* in *n* vertere consuerit, ut multa superius declarant citata loca, *incessi* crediderim esse debuisse: quum praesertim Arusianus in elocutionum exemplis, loci hujus Virgiliani testimonio, ostendat eleganter dici, *incessitur illa res*: quare *incessi muros* longe lubentius legerim.

598. PUGNAE JUVENEM IN CERTAMINE CREDIT EXTINCTUM. Romanus codex *a certamine* legit, sed melius est *in*. Quaedam vetera alia exemplaria *juvenem certamine* legunt, absque *a*, & absque *in*.

601. MULTAQUE PER MOESTUM DEMENS EFFATA FUROREM. In Oblongo codice *dolorem* est, quod non aeque placet: neque quidem quod *efflata*, vel *afflata*, in nonnullis habetur.

605. FLAVOS LAVINIA CRINES. Miror, eum Servius afferat *floreos* antiquam esse lectionem, eam a posterioribus non admissam. Synizesis enim non est adeo poëtis insolita, ut hoc loco eam reformidare debeamus.

607. RESONANT LATE PLANGORIBUS AEDES. In Oblongo codice *clangoribus* legitur, quod non placet: id enim tubarum est. In Mediceo autem *clamoribus*; sed *plangoribus* omnino melius.

612. MULTAQUE SE INCUSAT. In Romano codice desiderantur hi duo versus: *Multaque se incusat, qui non acceperit ante Dardanium Aeneam: generumque asciverit urbi:* nempe, quia in undecimo iidem habentur; sed enim non incongruum videtur versus eosdem, eadem supervenientе rerum turbatione, hoc etiam libro repetitos esse: quum praesertim eam secum reprehensionem apportent, quae Graeci illius dicterii testimonio gravissima videri poterat: Δὶς ἐξαμαρτεῖν τ' αὐτὸν οὐκ ἀνδρὸς σοφοῦ.

624. CURRUSQUE ET EQUOS. In antiquis codd. *currum*, singulari numero.

627. QUI TECTA MANU DEFENDERE POSSUNT. In antiquis plerisque codicibus, *possint*.

658. Quae sese ad foedera flectat. In Oblongo codice *mittat* legitur, pro, demittat; verum non aeque placet.

661. Acer Atinas. In aliquot *Asilas*; sed & superius, *Acer Atinas*, habetur.

675. Pontesque extruxerat altos. In antiquis aliquot codicibus *instraverat* legitur, quod magis proprium est. Mediceus tamen *instraverat* habet.

678. Stat quicquid acerbum est, Morte pati. *Acerbum* quidem Servius agnoscere videtur; sed in his antiquis exemplaribus nunc *acerbi*, nunc *acerbi est*, legitur.

687. Magno mons improbus actu. In aliquot antiquis codicibus *actu* habetur, & agnoscitur a Servio: sed in Oblongo, in Mediceo, & in Porcio *ictu* legitur, quod non displiceat.

691. Stridentque hastilibus aurae. In antiquis aliquot codicibus *strident* legitur, ut in Georgicis: *Stridere apes utero*; utrumque enim dicimus.

701. Quantus Athos, aut quantus Eryx. In antiquis *Athon* legitur, scilicet ex Servii praecepto, quem nonnulli damnant, nescientes apud Graecos etiam Ἄθων, τὸ ὄρος σὺν τῷ ν λέγεσθαι, quamvis & Ἄθως, & Ἄθως, ἐκ τοῦ Ἄθωος dicatur.

709. Inter se coiisse viros, et decernere ferro. Servius quidem *cernere* contendit ex Ennio legendum. Et Seneca lib. VII. epistola prima, in eadem est opinione, dum dicit: *Ne se longe differam, quaedam simplicia in usu non erant, sicut* cernere ferro, *inter se dicebant.* Idem Virgilius *hoc probabit tibi:* Inter se coiisse viros & cernere ferro: *quod nunc* decernere *dicimus.* Verum contra hos stat codicum pene omnium veterum auctoritas, in quibus legitur *& decernere.* In quodam tamen perveteri deest *&*, & ita legitur: *Coiisse viros, decernere ferro.*

711. Conjectis eminus hastis. In Romano codice *coulectis* est; sed inemendate: melius enim *conjectis.*

715. Ac veluti ingenti Syla. Pervetus codex *Silo* legit. Romanus *silva*, quam lectionem Servius improbat. Reliqua exemplaria recte *Syla*, qui Brutiorum mons, hodieque nomen retinet.

719. Quis pecori imperitet. Romanus codex cum altero perveteri *nemori* legunt, ut *imperat arvis.* In aliquot aliis: *Quis nemori imperet, & quem tota armenta sequantur.* In Mediceo, *Quis pecori imperet, & quem:* quae lectio etiam est in Porcio codice. In Vitaliano quoque, & in Delphio, *&* ipsum habetur, altera tamen dictione corrupta.

722. Colla armosque lavant. In antiquis aliquot exemplaribus *lavunt*, a *lavo*, *lavis.*

723. Haud aliter Tros Aeneas. Antiqui codices, quotquot habui, *non aliter*, legunt.

724. Ingens fragor aethera complet. In Oblongo *pulsat* habetur: in aliis, *complet.*

732. In medioque ardentem deserit ictu. Romanus codex cum aliquot aliis veteribus legunt, *Ardentem deserit ictum*; sed *ictu*, ut in Mediceo & in Porcio est, magis placet.

735. Cum prima in praelia junctos Conscendebat equos. In codicibus aliquot, non tamen iis antiquioribus, *cum primum* legitur; sed magis placet *prima in praelia*, hoc est, initio belli, pugnaeve.

741. Fulva resplendent fragmina arena. In aliquot antiquis codicibus unitatis numero legitur, *fulva resplendet fragmen harena*; sed magis amplum, & majoris admirationis est, *resplendent fragmina*, quod in plures dissiluisse partis ensem ostendit. Illud vero inemendate legitur in quibusdam codicibus, *glacies cui:* quum dubio procul *ceu* legendum sit.

746. Quanquam tardante sagitta Interdum genua impediunt. Romanus codex, Mediceus, & pleraque alia exemplaria, *tardata* legunt, quippe genua.

749. Si quando in flumine nactus. Romanus codex & aliquot alii, *Siquando flumine*, legunt, absque *in*, quod tamen appositum & sententiae, & numero consulit.

750. Formidine pennae. In antiquis *pinnae*, de quo satis alibi.

754. Jam jamque tenet. In Romano codice *tenens* legere est, sed inemendate.

757. Et coelum tonat omne tumultu. In Mediceo codice & aliquot aliis antiquis legere est, *& coelum intonat omne fragore.* In Porcio *tumultu* habetur, atque *intonat*, verbum.

768. Ubi figere dona solebant Laurenti divo, et notas suspendere vestes. Oblongus codex, Mediceus, & plerique alii codices antiqui, *votas* legunt: ait enim: *Servati ex undis*, quod tempestatem praecessisse significat. Hunc vero morem tangit etiam Horatius: *Suspendisse potenti vestimenta maris Deo.*

773. Lenta in radice tenebat. Mediceus codex, & vetera quaedam exemplaria *lenta radice* legunt, absque *in*, quod alii viderint.

781. Lentoque in stirpe moratus. Qui superius *stirpem invisam*, foeminino genere, dixerat, nunc masculino dicit, ait Nonius: quo genere etiam Ennius & Pacuvius in hoc nomine usi sunt: nam Ennius *a stirpe supremo:* & *ad stirpem exquirendum* Pacuvius dixit. Donatus tamen, uti superius dictum, Virgilium ait passim in hoc nomine

mine foeminino genere usum. Agnoscit vero Sosipater *stirpem invisam*, foeminino genere, pro sobole; pro materia, *stirpem recisum*, adjecto Virgiliano carmine: *Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacrum Sustulerant.* Quamvis Pacuvius: *Qui stirpem occidit meum*, dixerit de sobole. Pomp. Festus in iis, quae ex Verrio Flacco defloravit, antiquae fuisse consuetudinis ait, *recto fronte* dicere: ut Cato in Dissertatione consulatus, ut cum ait Ennius: *a stirpe supremo*, & *Ilia dia nepos*, & *lupus foeta*. Etiam in commentariis sacrorum Pontificalium frequenter est, *hic ovis*, & *haec agnus*, ac *porcus*: quae non ut vitia, sed ut antiquam consuetudinem testantia, debemus habere.

792. PUGNAS DE NUBE TUENTEM. In Mediceo *videntem* est, in aliis *tuentem*. Puto vero alteram illam lectionem ex paraphrasi huc irrupisse.

808. QUIA NOTA MIHI TUA MAGNA VOLUNTAS, JUPITER. Quamvis *magna* in veteribus aliquot legatur, non tamen displicet, quod habetur in Oblongo codice, in Porcio, & aliquot aliis, *tua magne voluntas Jupiter*: ne quatuor dictiones eodem concurrant casu.

835. COMMISTI CORPORE TANTUM SUBSIDENT TEUCRI. Romanus codex non *corpore*, sed *sanguine* legit. Est & ubi *sanguine tanto* scriptum sit; sed omnino *tantum* legendum. In Mediceo autem & in Porcio *commixto corpore* legitur.

853. DEMITTIT AB AETHERE. In antiquis omnibus exemplaribus, praeterito tempore legitur *demisit*, in aliquot *dimisit*.

862. ALITIS IN PARVAE SUBITO COLLECTA FIGURAM. In Romano codice & plerisque aliis *subitam conlecta figuram*. In Mediceo *subito conversa* habetur; sed *collecta* magis placet eruditis.

864. SERUM CANIT IMPORTUNA PER UMBRAS. In antiquis aliquot *umbram*, singulari numero. Est ubi *saevum canit*; sed *serum* omnino melius.

865. TURNI SE PESTIS AD ORA. Vetera omnino aliquot exemplaria *ad ora* legunt; sed longe magis placet quod in Romano codice legitur, *ob ora*, quod infestiorem significat incursatione molesta.

866. CLIPEUMQUE EVERBERAT ALIS. In Mediceo codice *reverberat* habetur; sed *everberat*, ut in Porcio, & aliquot aliis, omnino melius esse videtur.

873. AUT QUID JAM MISERAE SUPERAT MIHI. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis codicibus antiquis legere est, *Aut quid jam durae superat mihi*; quod aliorum judicio relinquimus.

879. QUO VITAM DEDIT AETERNAM, CUR MORTIS ADEMPTA EST. In codicibus aliquot antiquis *cur vitam*; sed id ex paraphrasi desumptum, quum eodem significato longe elegantius sit, *quo* dicere. Est & numerus alius in Mediceo codice: *Quo vitam aeternam dedit, & cur mortis adempta est.*

881. COMES IRE PER UMBRAS. Mediceus codex *ire sub umbras* legit.

882. IMMORTALIS EGO, HAUD QUICQUAM MIHI DULCE MEORUM TE SINE FRATER ERIT. Oblongus codex, Porcius, & pervetus alter, legunt, *jam mortalis ego haud quicquam*. Romanus, & alii quidam utrumque membrum per interrogationem legunt, *immortalis ego? Aut quicquam mihi dulce meorum Te sine frater erit?* Mox, cum secum tacite destinasset nihil futurum dulce, subjungit: *O quae satis ima dehiscat Terra mihi:* nam *Fratri comes ire sub umbras*, pendet a superiore membro, *possem*.

883. O QUAE SATIS IMA DEHISCAT TERRA MIHI. In codice Mediceo, & Porcio, *satis alta* legitur.

897. CAMPO QUI FORTE JACEBAT LIMES AGRI POSITUS. In antiquis exemplaribus nonnullis *quod* legitur, & priori respondere, secundum artem esse dicit Servius. Bona tamen eruditorum pars *qui* legit, habita limitis ratione. Est & illud observandum in Porcio, quod legere est, *limes agro positus*, elocutione non ineleganti.

912. NEC VOX, NEC VERBA SEQUUNTUR. In antiquis codicibus, *nec vox aut verba*, legitur.

916. TELUMQUE INSTARE TREMISCIT. Uti superius observatum est, antiquiora omnia exemplaria verbi hujus pene ultimam per *e*, *tremescit* proferunt.

924. EXITIUM DIRUM HASTA FERENS. In Mediceo codice *exitium durum* habetur.

925. LORICAE ET CLIPEI EXTREMOS SEPTEMPLICIS ORBES PER MEDIUM. In Mediceo codice lectio ita variat, *Loricae clipeique extremos septemplicis orbes, Et medium stridens transit femur.*

930. SUPPLEXQUE OCULOS. In codicibus antiquis quibusdam, *supplex oculos*, absque particula *que*, legitur; sed longe venustius est: *Ille humilis, supplexque*, ut alterum hujusmodi sequitur, *Oculos, dextramque*.

940. CUNCTANTEM FLECTERE SERMO COEPERAT. Antiqui aliquot codices *Cunctantem flectere mentem* legunt, quod aliis examinandum linquimus.

941. INFELIX HUMERO QUUM APPARUIT ALTO BALTEUS. Apud Sosipatrem Carisium ambigua lectio est, *quod*, *ingens*, interpositum, *ingens*

gens balteus, quod ei correspondet, quod in x. dictum: *Rapiens immania pondera baltei*. Disputat vero Carisius, *balteus* masculino genere semper dici, ut *clipeus*. *Infoelix humero cum apparuit ingens Balteus*, Virgilius dicit. Plinius tamen vult masculino genere vinculum significare, neutro autem genere lora ad alligandum apta. Sed Varro *baltea* dixit, & Tuscum vocabulum ait esse: usque adeo passim variant auctorum sententiae.

951. Solvuntur frigore membra. In antiquis nonnullis codicibus *solvontur*: ita *ruont*, *acuont*, ea pronuntiatione, quam a veteribus acceptam Etrusci adhuc incolumem servavere.

PIERIUS VALERIANUS
JANO PARRHASIO
S. P. D.

CASTIGATIONES & varietates Maronianae lectionis, quas per literas toties, ut ederentur, efflagitasti, publicavi demum Jane, vir eruditissime. Sero id quidem, si desiderium tuum inspicio; sin meum hac de re consilium, longe celerius quam facere destinaram. Quo vero successu, qualiacunque sint haec, prodierint, ipse videris, qui me nunquam ad editionem impellere destiteris, donec me operi tandem accinctum intellexisti. Tuum itaque erit, cujus consilione dicam, an convicio potius haec acta sunt, ubi forte defecero, opem ferre: ubi calumniis objectatus fuero, defendere. Quamquam, si quis (de iis loquor, quos mortalia tangunt) occupationes meas intellexerit: si litium, quibus implicatus sum, molestias viderit: si Aulae incommoda & avocationes crebras, quibus tam saepe ex officio distrahor, considerarit: si, quod omnium maxime studiis meis adversatur, indignam, ac fere assiduam male affecti pectoris valetudinem inspexerit: si duras denique norit rerum omnium difficultates, quae mihi in hoc opere conficiundo superandae fuerunt: misereatur potius me non omnia videre potuisse, quam damnare quicquam adgrediatur. Neque vero dubito esse quaedam, quae vel ipsi mihi paulo post forte sint displicitura: qui, si per otium liceat, sperem in dies meliora praeteritis invenire. Quod si qua erunt, de quibus aliquis dicat, Coenam sine istis duci potuisse: id eo a me consilio factum, ut festiviores agricolas imitarer, qui fructuum munuscula foliis ambitiose vestire solent, maluique superesse quod tolli posset, quam deesse quod desiderandum videretur. Quaedam autem, quae admodum levia censeantur, ea compensari mercede poterunt, quod tam multa numero, quae corrupta, inversa, lacera, depravataque passim habebantur, hoc demum labore meo incolumitati sint pristinae restituta. Quae quidem licet multa omnino sint, tantum tamen abest, ut me omnia putem assecutum, ut non pauca curiosius indaganda, & tuae, & aliorum diligentiae reliquerim: quae tanquam spicilegia quaedam praetereunda fuere, dum te, dum amicos alios, in primisque studiosissimum ac probatissimum adolescentem Benedictum Acolthin (eo enim potissimum Auctore dederam me hujus lectionis indagini) obsequio demereri properabam. Quod si forte eveniat, quod maxime cuperem, ut his longe castigatiora quispiam nactus commentusve sit, ego id ingenue profiteor, ut melioribus adinventis sententiam ipse meam sim haud gravate commutaturus: dummodo Virgiliano carmini, atque ejus amatoribus sit bene recteque consultum. Vale, meque, ut facis, ama.

Romae. XIII. Cal. Julias. M. D. XXI.

INDEX

INDEX ERYTHRAEI
VIRGILIANO OPERI

CUJUSLIBET EDITIONIS

AB

ANTONIO MARIA BASSO

CREMONENSI

Accommodatus.

Erythraei notas, quas Bassus omiserat, suis locis iterum adjecimus. Monitum praeterea volumus aliam Orthographiae rationem in hoc indice observari, quam in ipso Virgilii contextu factum; ut inservire possit etiam aliis editionibus, & voces facilius in eo invenirentur ab illis, qui diverso Orthographiae genere utuntur. E. G. ubi in contextu legitur *adnue*, in indice, *annue*, ubi in contextu *gnatos*, in indice *natos*, &c. Mutata tantum in indice lectio est eorum locorum, qui in contextu sunt emendati.

E. *Eclogam*: G. *Georgicon*: AE. *Aeneidos librum designat.*

N. tr. I. v. *abundare* significatur *Nonius Marcellus tractatu primo, voce abundare.*

INDEX ERYTHRAEI

acervo.

ad-

INDEX ERYTHRAEI

Ae-

agnof-

ambro

INDEX ERYTHRAEI

galbus *aureis* dixit, & semper in fine carminis *aureis* posuit, duabus syllabis, per figuram synecphonesin, quae & synizesis dicitur, ubi *ei* brevis & longa pro una longa syllaba accipiuntur. Quem metaplasmum ita amavit Poëta noster, ut per hunc ipsum quoque dixerit, *Vitreis*, *Baltei*, *Oilei*, *Nerei*, *Nerei*, *Promethei*, *Protei*, *Terei*: quibus semper dictionibus carmen claudit, in quibus *ei* brevis & longa pro una longa ponuntur. Quamvis Servius in *Terei* potius synaeresim agnoscat, ut *Terei*, non *Terei* scribere videatur. Sed & Poëta, ne id licentiae ex fine carminis sibi sumpsisse videatur, *aerei* quoque dixit, duabus syllabis in medio versus, quanquam etiam hac voce per eandem figuram carmen terminavit. Quin & *Ferreique Eumenidum thalami*, in principio carminis usurpavit. Verum ne tibi id illi magis licuisse videatur in his dictionibus, quae *ei* veluti diphthongum habeant, sicut in *hei*, & *heu*, quae ratio e diphthongi pro una syllaba semper accipiuntur, in nomine quoque incipiente ab *ae*, fecit eodem hoc metaplasmo, quem Probus synaloephen appellat, duas primas vocales in *ae* diphthongum coalescere, ut, *Fixerit aeripedem cervam*: ubi longa & brevis pro una longa ponitur, quod audacius factum est propter aequivocationem verbi, quod ab aere deduci posse videretur. Idem in *eo* vocalibus, ut in *aureo*, perpetuo est observatum, & *alveo*. Praeterea in *ia* vocalibus, ut in sexto Aeneid. *Quin protinus omnia*, ubi in *omnia* duae breves pro una longa positae videntur. Idem quoque fit in *dehinc*, *deinde*, *deinceps*, *proinde*, *deest*, *deerit*, *deerunt*, *deerraverat*, & hujusmodi aliis. Sunt & aliae apud Hephaestionem species synecphoneseos: quas quia Graecae omnes sunt, nec memini legere apud Latinos, diffusius in nostro Elencho persequimur, quem pari ratione in Homerum collegimus. Illud obiter admonuerim *cui* & *huic* pro una syllaba frequenter accipi. Inveniuntur enim quoque dissyllaba. Nostrorum autem hac numerorum veluti quadam indagine in tam lata Virgiliana Sylva non modo Aeripedem cervam in sua latibula fugientem consequeris, sed etiam alias, nova forma, quasi feras, voces, quas excitavimus, in tui judicii casses facile induxeris.

Ego sane in hujus verbi origine tradenda Lactantii tum constantiam, tum memoriam desiderarim: qui in eo libello, quem & pie & eleganter de Opificio Dei scripsit. cap. 8. *Aures* ab hauriendis vocibus dictas autumat, ad quod etiam hoc loco Virgilius allusisse, *Vocemque his auribus hausi*: & paulo post eorum facile oblitus quae dixeris, *aures*, quasi *audes*, una mutata litera, nominatas asserit. Nisi corruptus sit locus, ut mihi sane videtur.

Huic voci majores adspirabant creando, originis ejus non obliti: id quod manu scripti codices plerique testantur. Nam ab *haurio* verbo venit *Hauster*.

Possem hoc loco multa referre, quae sunt a nobis super hac particula in nostro Dictionario disputata, ni propediem illud essem in lucem relaturus. Possem etiam huc transcribere, quae plurima a diligentissimo Grammatico Diomede de vario hujusce voculae usu atque significato in secundi libri calce traduntur: nisi aliena dictata, quae quo loco habeantur, indicasse satis sit, mihi sit religio recitare. Illud non praetereo, has numerarias notas non omnino ita congestas frustra tibi videri posse, si modo divinae Virgilianae phrasis assequendae gloriam non abhorrueris.

autem,

Caere-

INDEX ERYTHRAEI

cele-

cessit.

cessit. AE. 3: 333. 5: 394, 445. 6: 102. 7: 636. 8: 395. 9: 126. 10: 276
cete. AE. 5: 822. N. tr. 1. v. cetarii.
Cethegum. AE. 12: 513
cetra. AE. 7: 732. Scutum est breve N. de Genere armorum.
ceu. G. 1: 303. 3: 194, 542. 4: 96, 499. AE. 2: 355, 416, 438, 516. 5: 88, 527, 740. 6: 492. 7: 378, 674, 699. 8: 408. 9: 30, 339, 792. 10: 97, 357, 723. 11: 297. 12: 740

Haec particula similitudinis, signum quoque certissimum erit apud Poetam similitudines ipsas & comparationes quaerenti. Hujusmodi etiam sunt: *ut*, *veluti*, *sic*, *sicut*, *instar*, *haud secus*, *haud aliter*, *nec minus*: Relativa etiam, *talis*, *qualis*, & eadem substantive prolata, *tale*, *quale*, *similis*, *minor*, *major*, *ocyor*, & similia. Ut obiter ipsa rerum inquisitio quemadmodum tractanda sit, hoc exemplo Lectorem admonuerimus. Nam de Indicis usu, quantum ad verborum attinet inventionem, etiam a puero non dubitari certo scio.

Chalcidica. AE. 6: 17
Chalcidico. E. 10: 50
Chalybe. E. 7: 419
Chalybes. G. 1: 58
Chalybs. AE. 8: 446
Chalybum. AE. 8: 421. 10: 174
Chao. G. 4: 347
Chaone. AE. 3: 335
Chaoniam. G. 1: 8. AE. 3: 335
Chaonias. E. 9: 13
Chaoniique. G. 2: 67
Chaonio. AE. 3: 293

Non abs re fuerit, Probi Valerii ex Institutis artium verba, quae ad hunc locum pertinent, recitare. Ejus verba haec sunt: O litera genitivus terminatus Graecus est, eamque produci necesse est, *In foribus lethum Androgeo*, est enim proprie Graecus genitivus. Licet aliqui sic legunt, *In foribus lethum Androgei*, Graecae declinationis ignari. Et *portuque subimus Chaonio*, pro Chaonii patris portus, quamvis legatur, *portusque subimus Chaonios*. Est ergo genitivus *Chaonio*. Haec Probus. Sed enim, ut in *Androgeo* nomine substantivo, & genitivo quartae declinationis Atticae, Probi sententiae omnino subscribimus: ita in *Chaonio*, possessivo, alterius prorsus flexionis, nullo pacto cum Probo facimus, quod miror a nemine hactenus fuisse animadversum. Legimus itaque, *portuque subimus Chaonio*, ut *portu Chaonio* sit tertius casus, quem non respuit verbum *subeo*, ut *Muroque subibant*. *Portu* autem pro *portui*, ultima litera vocali detrita, tantum abest, ut nove apud Poëtam hac lectione dictum videatur, ut etiam in hujusmodi dativorum usurpatione frequentissimus sit, ut latius in *concubitu* ostendimus. Qui autem *portus Chaonios* legunt, videant praeter caetera, quam difficilem scansionem incurrant, *s* non eliso. Quantum vero ad *Androgeo* pertinet, libet & hic Sosipatri Charisii dicta subtexere. Is Instit. Gramm. libro 1. ubi de nominibus O syllaba terminatis agit, ita scribit: Quaeritur, inquit, & de Graecis, quorum genitivi diversi sunt. Itaque si erit nominativus *Androgeus*, genitivus erit, *Androgeo*, ut apud Virgilium: *In foribus lethum Androgeo*. Sed apud eundem invenimus *Androgei galeam*, sed non ex eodem nomine. Nam si fuerit *Androgeus*, *Androgei* facit genitivo, ut idem Virgil. in secundo, *Penelei dextra Divae armipotentis ad aram procumbit*. Non ignoramus, magis proprium his tractandis fuisse locum in verbo *Androgeo*, sed cum hujus syllabae initium scriptori chalcographo describendum traderemus, non erat in animo haec interserere.

Chaonios. AE. 3: 334
Chaos. AE. 4: 510. 6: 265
Charybdim. AE. 3: 684
Charybdis. AE. 3: 420, 558. 7: 302
Charon AE. 6: 299, 326. N. tr. 1. v. portitor
chelasque. G. 1: 33
Chelydris. G. 2: 214
Chelydros. G. 3: 415
Chimaera. AE. 6: 288
Chimaeram. AE. 5: 118, 223. vide in v. Pristis 7: 785
Chiron. G. 3: 550
chlamyde. AE. 8: 588
chlamydem. AE. 3: 484. 4: 137. 5: 250. 8: 167. 9: 582. 11: 775
Chlorea. AE. 12: 363
Chloreus AE. 11: 768
choreas. AE. 6: 644
choreis. AE. 9: 615. 10: 224
chori. AE. 9: 112
choris. AE. 5: 581
choro. AE. 6: 657
choros. G. 4: 533. AE. 1: 499. 4: 145. 7: 391. 11: 737
chorum. AE. 6. 517
chorus E. 6: 66. G. 1: 346. 4: 460. AE. 5: 240, 823. 8: 287, 718. 10: 219
Chromis. E. 6: 13
Chromimque. AE. 11: 675
Cybele AE. 10: 220
Cybelae. AE. 3: 111. 11: 768
cibum. G. 2: 216
cicadae E. 5: 77. G. 3: 328
cicadis. E. 2: 13
cicatrix. G. 2: 379
Cycladas. AE. 3: 127. 8: 692
Cyclopas. AE. 3: 647. 11: 263

Cyclopas in primo exemplo contra naturam syllabae posuit prima brevi, quam alioqui semper productam reperias apud Poetam. Eadem licentia *illius* & *ipsius*, *i* media vocali correpta: & *Fidenam* & *Orion* primis brevibus dixit. Sic *steterunt ste* brevi, & *tulerunt* similiter secunda, & *egerimus* tertia brevibus syllabis. Rursus per contrarium metaplasmum *Italiam fato profugus* & *Exercet Diana choros* dixit, ubi primas syllabas in *Italia* & *Diana* produxit. In *relligio* quoque & *relliquiae*, *re* positione longam de brevi perpetuo facit, *l* litera consonante contra rationem geminata. Sunt praeterea nomina, quae mutato sensu, mutant etiam syllabam. Sunt & aliae quae in eodem intellectu per casus syllabae naturam variant. In verbis quoque similiter eadem syllaba cum tempore immutatur. De quibus suis locis dicemus.

Cyclopea. AE. 1: 201
Cyclopes. G. 4: 170. AE. 3: 644. 8: 424, 440
Cyclopis AE. 3: 617
Cyclopum. G. 1: 471. AE. 3: 569, 675. 6: 630. 8: 418
cycni. E. 9: 29. AE. 7: 699. 11: 458
cycnis. E. 7: 38. 8: 55
cycnos G. 2: 199. AE. 1: 393
cycnum. AE. 9: 563. 10: 189. 12: 250
Ciconum. G. 4: 520
cicuta. E. 5: 85
cicutis. E. 2: 36
Cydippe. G. 4: 339
Cydon. AE. 10: 325. 12: 858
Cydonia. E. 10: 59
cie. G. 4: 64. AE. 12: 158
ciebat. AE. 3: 344. 5: 674. 6: 468
ciebo. AE. 4: 122
ciebunt. AE. 6: 829
ciemus. AE. 3: 68
cient. AE. 1: 541. 5: 585
cientes. AE. 9: 766
ciere. AE. 6: 165
cieret. AE. 8: 354
ciet. G. 1: 110. 3: 517. AE. 2: 419. 4: 490. 7: 325. 10: 198. 12: 104
cylindro. G. 1: 178
Cyllarus. G. 3: 90
Cyllenes. AE. 8. 139
Cyllenia. AE. 4: 258
Cyllenius. G. 1: 337. AE. 4: 252, 276
cymba. G. 4: 506. AE. 6: 303, 413
cymbae. G. 4: 195
cymbala. G. 4: 64
cymbia. AE. 3: 66: 5: 267. N libello de Genere vasorum, & poculorum.
Cymini. AE. 7: 697. Cymyni mons, nunc etiam Cyminus. Lacus vero hodie *il Laco di Vico*, prope Viterbium.
Cymodoce. G. 4: 338. AE. 5: 826
Cymodocea fando doctissima, scilicet nympharum. AE. 10: 225. *Cymodoce* dixit, & *Cymodocea*, sicut *Calliope*, & *Calliopea*. Quod si magis placet Graeca forma, scribe & *Calliopeia*, & *Cymodoceia*.
Cymothoe. AE. 1: 144
cincta AE. 12: 811
cinctam. AE. 7: 658
cincti. AE. 8: 282. 11: 188
cinctu. AE. 7: 612
cinctum. AE. 4: 248
cinerem. G. 1: 81. N. tr. 4. v. cinis. AE. 4: 34. 5: 743. 8: 410. 11: 211
cineres. E. 8: 101. AE. 2: 431, 587. 4: 427. 5: 55, 81, 787. 6: 226. 10: 59
cineri. AE. 3: 303. 4: 552, 623. 6: 213. 10: 828
cinge. E. 8: 64
cingebant AE. 5: 288
cingens. G. 1: 28

cin-

classi.

INDEX ERYTHRAEI

com-

compositis. G. 3: 192. 4: 417
composito. adverb. AE. 2: 129. participium. 7: 6
compostus AE. 1: 249
composuere. G. 4: 189
composuit. AE. 1: 698. 8: 322
comprendere. G. 2: 104. AE. 6: 626. 7: 73. comprehendere, una plus syllaba in prosa.
comprenderit. G. 1: 428
comprendit. G. 2: 305
comprensi. AE. 2: 793. 6: 701
comprensam. AE. 11: 723
compressa. G. 4: 87
compressi. AE. 5: 802
compressus. AE. 2: 73. 8: 184
comprime. AE. 6: 389
comptae. AE. 6: 48
comptos. AE. 8: 128. 10: 832
comptus. AE. 7: 751
compulerant. E. 7: 2
compulsus. AE. 1: 575
conamur. AE. 10: 89
conantem. AE. 9: 398
conata. AE. 4: 638. 11: 585, 842
conati. G. 1: 281
conatibus. AE. 12: 910
conatus. AE. 2: 792. 3: 25. 6: 32, 700. 10: 685
concava. G. 4: 49. AE. 5: 677
concedat. E. 2: 57
concede. E. 10: 1. AE. 2: 523. 10: 906
concedere. AE. 11: 111
concedit. AE. 9: 655
concedito. E. 7: 22. 10: 63
concentus. G. 1: 422
concepit. AE. 4: 474
conceptum. AE. 5: 38. 8: 139. 12: 158
concessa. AE. 3: 700. 5: 798
concessere. G. 1: 238
concesserat. AE. 10: 215
concessere. AE. 8: 41
concessit. AE. 2: 91. 7: 305. 10: 820
concha AE. 6: 171. 10: 209
conchas. G. 2: 348
concidere. G. 2: 260
concidit. G. 3: 516. AE. 2: 532. 5: 333, 448. 11: 245
concilia. G. 1: 25. AE. 5: 735
conciliat. AE. 1: 79
conciliet. AE. 10: 151
concilio. AE. 5: 75
concilium. AE. 3: 679. 6: 433. 10: 2. 11: 234, 304, 460, 469
concipe. AE. 11: 519. 12: 13
concipis. AE. 11: 369
concipit. AE. 4: 502
concipiunt. G. 1: 87, 422
concita. AE. 3: 127. 11: 889. 12: 921
concitat. AE. 7: 476. 11: 742, 784
concitus. AE. 9: 694. 11: 744. 12: 331, 379, 902
conclamant. AE. 2: 233. 5: 660. 10: 738
conclamat. AE. 3: 523. 6: 259. 7: 504. 9: 35, 375, 425. 12: 426
concludere AE. 1: 425
concolor AE. 8: 82
concordes. E. 4: 47. AE. 6: 827
concordia. AE. 3: 542
concredere. AE. 10: 286
concrescere. G. 1: 392
concrescunt. G. 3: 360
concreta. G. 2: 376. AE. 6: 738
concretae. G. 1: 235
concretam. G. 2: 318. AE. 6: 746
concretos AE. 2. 277
concretum. G. 3: 463
concreverit. E. 6: 34
concrevit. AE. 12: 905
concubitu. G. 4: 198

Abjectione novissimae literae, casu tertio dixit, quod in nominibus quartae declinatus semper facere consuevit, ut, *portusque subimus Chaonio*, quamvis Probus perperam legat *portus*, ut ibi plene docuimus. & *Teque aspectu ne subtrahe nostro*. & *Daphnis & Armenias curru subjungere Tigres instituit*. Id quod etiam in prosa oratione nobis interdum licet, hoc M. Tullii Ciceronis exemplo: *Quibus subito impetu ac latrocinio restitit*. Quin & Caesar, optimus linguae Latinae auctor, in hujusmodi omnibus finalem *i* literam censuit demendam: ut in ejusdem Commentariorum Indice probavimus.

concubitus. E. 6. 50. G. 3: 130
concurrant. AE. 11: 293
concurrere. G. 1: 318, 489. AE. 1: 493. 2: 315. 8: 692. 10: 8, 436, 715. 11: 117. 12: 149, 315, 503, 571, 771
concurrerit. AE. 7: 224
concurrit. AE. 12: 563
concurritur. G. 4: 78
concurrunt. AE. 7: 520. 10: 361, 431, 691. 11: 805. 12: 297, 724
concursu. AE. 1: 509. 12: 400
concursum. AE. 5. 611
concursus. AE. 6: 318. 9: 454
concussa. G. 1: 159. 4: 81. AE. 9: 752. 11: 451. 12: 411, 468
concussae. AE. 5: 205
concussam. AE. 4: 666
concussere. AE. 5: 147
concussi. AE. 9: 498
concussit. AE. 8: 3, 237. 12: 594
concusso. AE. 2: 629. 4: 444
concussus. G. 3: 151. AE. 5: 700, 869
concute, AE. 7: 338
concuteret. AE. 8: 354
concutit. AE. 6: 101
condant. AE. 7: 145. 11: 323
conde AE. 6: 152
condebat. AE. 1: 447. 11: 247
condemur. AE. 9: 152
condensae. AE. 2. 517. 8: 497
condens G. 4. 66
condere. E. 6: 7. 8: 97. 9: 52. AE. 1: 33, 522. 2: 696. 10: 35. 12: 893
conderet. AE. 1: 5. 7: 61
condet. G. 1: 438, 458. AE. 1: 276. 6: 792. 8. 48. 10: 558
condidimus. AE. 5: 48
condidit. E. 2: 61. AE. 2: 621. 5: 243. 6: 271. 7: 619. 8: 66, 357. 9: 32, 348, 443. 12: 886
condimus. AE. 3: 68
condit. G. 2: 507. 4: 496. AE. 4: 177. 10: 767. 12: 950
condita. E. 3: 43, 47. 10: 50. AE. 3: 388. 7: 570
conditio. AE. 12: 880
conditor. AE. 8: 313
conditur. AE. 7: 719, 802. 11: 187
conditus. G. 1: 442
conducta. AE. 12. 520
condunt. G. 2: 452. 4: 473. AE. 2: 24. 3: 237. 5: 126. 9: 39. 12: 361
conduntur. AE. 2: 401. 7: 303
confecta. AE. 3: 590
confecimus. G. 2: 541
confecti. AE. 5: 362
confectum. AE. 4: 599. 6: 520
confectus. AE. 11: 85
conferre. G. 3: 169. AE. 6: 488. 9: 44, 690. 10. 876. 12: 345, 480, 678
confertos. AE. 2: 347
confessa. AE. 2: 591
confestim. AE. 9: 231
confixit. AE. 11: 824
confidentissime. G. 4: 445
confidere. AE. 1: 452. 5: 849
confieri. AE. 4: 116

Pro *confici* castior est lectio, & a Virgilio selecta. Neque *con*, ut scribit Servius, in hoc verbo abundat: quin potius sicut pleniore intellectu *confacio*, quam *facio* dicimus, cum *confectae res* proprie dicantur non nisi magnae atque arduae, quae perfectae sunt: quale est Bellum, quod cum perfectum est, confectum magis ex linguae Latinae proprietate dicitur, quod antea effectum diceretur: ita *confieri* hoc loco positum de re magni momenti, quippe Aeneae & Didonis congressu, quem tantopere Venus cuperet, quemque curaturam omnino se Juno Veneri recepisset; cujus spem ut certi eventus fide obfirmaret, Juno id eam qua ratione confieri possit docet, id est confici. Sic & Terentianus Simo Pamphili nuptias sibi sperat confore, id est confieri. Ut interpretatur Tiberius Donatus, grammaticorum meo quidem judicio facile princeps. Cujus verba placuit referre, ut obiter exemplaribus aliquot impressis verbum illud elegans *confieri*, a quibusdam sciolis per summam imperitiam sublatum, suo loco redderemus. Is igitur super illis verbis, *Et spero confore*, inquit: Confieri, perfieri, perfici, unde confectum negotium dicitur, vel confecta res, quae ad plenum perficitur. Virgil. *Nunc qua ratione, quod instat, confieri possit, p. a. d.* Quanquam etiam quae duarum rerum, aut plurium interventu fiunt, confieri non minus eleganter loquuntur. Sicut Macrobius, *Oportet diem*, inquit, *qui ex quadrantibus confit, intercalare*. & Colum. libr. 2. *Tria stercoris genera sunt praecipua, quod ex avibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus confit.* Qui vero *quo fieri* supponunt, *quo* pro *quomodo* accipientes, gravius quidem peccant, non modo *confieri* verbum sane Latinum, & Phrasi Virgiliana dignum, non agnoscentes, quippe quod & Oratorum usu aliquando emollitum sit, prae-

con-

INDEX ERYTHRAEI

in-

D.

Non *liberabis* accipiendum est, ut Nonius & Agretius interpretantur: sed contra, *damnabis*, *obligabis*, intellige, & quasi quadam necessitatis damnatione obnoxios reddes agricolas, ad vota solvenda, dum tu illis tanquam verum & praesens numen adfueris, ut damnati proprie hi dicantur, non qui vota tantum fecerint, sed qui etiam ab ipso Deo optata impetrarint: unde tunc votorum persolutionis se reos omnino factos, quasi ex numinis parte voti concepti conditione adimpleta, maxime intelligerent. Nam ita mortalium vulgus Deo vovere solet, ut sub conditione cum ipso quasi contrahat, ut scilicet non alia ratione se voti damnatum, & reum velit, quam si votis petita obtinuerit. Id autem a Poeta ex persona Mopsi ideo dictum est, ut Daphnim numen omnino praesentissimum agricolis fore ostenderet. Quare, cum dixit, *agricolae tibi vota facient*: quia id ad probandum numen non sufficeret, quod votorum susceptio tota de ipsorum agricolarum opinione penderet, addidit, *Damnabis tu quoque votis*, id est, vota eorum implebis, unde Deus appareas agricolarum, & ita tibi votis damnati sint, id est, eorum solutioni obnoxii. Hanc autem reddendi voti necessitatem Maro rerum omnium prudentissimus verbo pontificio & votorum proprio expressit, sicut & alibi *Voti reus* dixit. Nam vota reddere, ut etiam vox illa divina Christianorum auribus inclamat, *Vovete, & reddite*, omnino necesse est: nec minus sane, quam sententia, aut judicio damnatos, poenas solvere Unde etiam in Jure Civili nostro, Titulo de legatis primo, species illas legatorum per damnationem factas legimus: ut apud Ulpianum per initia tituli: Quisquis mihi Gallicanarum rerum heres erit, damnas esto tot dare: id est, damnatus esto. Et apud Paulum, eodem titulo Testator ab heredibus ita legat: L. Titius & G. Sejus P. Maevio decem dare damnas sunto: id est, damnati. Quod quidem quartum legatorum genus per solennitatem verbi *Damnas* necessitatem quandam heredibus omnino praestandi legata imponebat, ita ut illi modis omnibus solvere legatariis tenerentur, etiamsi damnosam hereditatem adiissent, & res aliena legata esset. Quae postea verbi solennitas atque necessitas (ut interim in re perquam digna scitu, jurisperitum agam, id est, muneris mei non obliviscar) cum reliquis tribus Legatorum generibus, quae olim in usu erant, scilicet, per Vindicationem, Sinendi modo, & per Praeceptionem, (quibus etiam singulis generibus, certa quaedam verba assignata erant, per quae illa significarentur) constitutionibus Divorum Principum penitus sublata est. quippe cum per omnia aequata sunt legata fideicommissis, ut habetur Digestis, eodem titulo, Symbolo, ne lege dicam, quae non est, Ulpiani primo: & Institutionibus, eodem titulo. Sed illud quoque non dissimulandum, quod legimus antiquitatem non modo *damnatum voto*, sed etiam *voti condemnatum* dixisse, Titinnius Veliterna, ut est in exemplis Marcelli, ait: Fortasse notum fuisse, quo die liber foret, nunc ejus voti con-

de-

Recte notat Macrobius, *deductum* pro tenui eleganter positum, ad imitationem antiquorum, qui deductam vocem, tenuem, & demissam dicebant; & similiter *vocem deducere*, tenuem & tinnulam reddere: ut plenius testibus ab eo citatis probatur. Hinc *deducere* pro *imminuere & detrahere*: unde & *deductio* pro *imminutione*, Pediano Asconio auctore. Et Paulus Jurisconsultus Digestorum libro 50. Titulo illo aureo, de verborum & rerum significatione, scribit: Bona intelliguntur cujuscumque, quae deducto aere alieno supersunt. Quod autem Honoratus Grammaticus ait, *deductum tenue*, translatio a lana, quae deducitur in tenuitatem, tripliciter quidem ab eo peccatum est. Primum, quod *deductum carmen*, de similitudine lanae dici existimavit. Deinde, quia putavit lanam, quotiescumque deducitur, in fila tenuiora exire necesse esse: quasi doctae netricis manus a rudi omnino non intersit: Nisi respectu globi lanae hoc ipsum diaerit, unde fila deducta prae ipsius crassitudine tenuia esse videantur: quod omnino magis ineptum esset. Tum etiam, quia, etsi hanc Servio filorum tenuitatem condonamus, falso credidit, de similitudine illorum tenuitatis, tenuitatem quoque carminis Bucolici significari, quod sane contrarium est. Nam linguae Latinae usus & ratio ita postulat, ut *Ducere carmen*, & *Deducere*, simpliciter, etsi quidam aliter senserint, pro eo quod est *carmen scribere*, qualecumque illud sit, etiam Heroïcum, accipiamus; quod ejus scriptura per versuum quandam deductionem, tanquam linearum, certis suis cujusque quasi metis praescriptarum, ducatur & exaretur, quippe quod certis legitimisque pedibus clauduntur. Sicuti & nentes filum in solitam longitudinem intorquendo deducunt, quo postea fuso involuto, rursus ad lanae globum manum revocant, aliud identidem filum deducturae. *Vetam*, quantum unica deductione intorquent, femellae nostrates appellant, a vehendo, puto, quod a colo devehatur, vel acu ducatur, dum suitur: unde aliae *Angonara* quasi *Acunara*, de eadem re, ab acu appellatione deducta. Nisi *vetam* a vinciendo, id est, suendo, denominatam malis, ut diffusius in nostro Stoico tradimus Sed ad probanda ea, quae diximus, accedamus. Naso: *Inque tot adversis carmen mirabitur ullum Ducere me tristi sustinuisse manu*. Ubi animadvertendum, quod pro nobis, *manu ducere* apertissime dictum est. Horatius Sermonum lib. 1. satyra ultima: *Forte epos acer, Ut nemo, Varius ducit*, & idem ipse Horatius ad Augustum, *Quum lamentamur, non apparere labores Nostros, & tenui deducta poemata filo*. Ubi adjectione *tenui filo* carmen perfectum ingenio, & elaboratum industria Venusinus Poeta accipit, quia *ducere carmen*, & *deducere*, ut dicamus, facit ipsa carminis scriptio & exaratio, ut diximus, quasi lineae cujusdam brevioris terminatae. Unde forsasse *Prosa duci*, & *deduci* nullo pacto Latine diceretur, quae quod porro versum protendatur, ita est appellata. Nulla igitur in his locutionibus tenuitas intelligitur. Quin potius si his addas *tenui filo*, non etiam tenuitatem illam Servii significabis, quam intelligit, ut res ipsa est, carmen Bucolicum scriptum: sed sicut tenuitas fili netricem semper ipsam summopere commendat, ita carmen tenui filo deductum, magnopere auctoris ingenium accuratissimum laudat: ut Horatii nostri auctoritas docet. Neque idem in illo loco, *Primaque ab origine mundi Ad mea perpetuum deducite tempora carmen*, ulla tenuitas significatur; sed continuatio quaedam perpetua fere ab orbe condito ad sua usque Vatis tempora derivata. Sicut & illud, *Carmina proveniunt animo deducta sereno*, originem carminis, quod ab animo proficiscitur sereno, declarat. Caeterum si Honoratus Grammaticus diligentius animadvertisset differentiam, quae est inter *ducere carmen deductum*, & *ducere*, aut *deducere carmen*, dum in sua paraphrasi *deductum tenue* recte interpretatur, profecto non ad translationem aliquam lanae incautius recurrisset, sed ad exempla potius Macrobiana. Nam cum *ducere carmen*, & *carmen ducere*, & *deducere*, idem fere sint; nugationem incurrisset vates alioqui diligentissimus: nisi *deductum*, id est, *tenue*, ea ratione exponeretur, quam diligenter Macrobius observavit. Quem tamen etiam in sua paraphrasi lapsum obiter animadvertimus, quod ait: *Deductum pro tenui & subtili*. Nam etsi haec aliquando synonyma sunt, diverso tamen sensu carmen subtile & tenue dicimus: nam & ingenium subtile appellamus in ejus laudem; quod rursus, cum vituperamus, tenue vocamus: & tenuitas carminis nunquam commendatur, nisi eum lex ipsius exposcat: qualis est praecipua Bucolici carminis laus, ut tenue sit. Unde Poëta, *Silvestrem tenui musam meditaris avena*, & similia non pauca. Quod autem scribit Nonius, hic *deductum pro molli & suavi* accipiendum, merae nugae sunt.

deu-

INDEX ERYTHRAEI

ri

Aut Poëta ad integrum nomen respiciens, quod *Dionysia* esse videtur, ex Graeco usitatiore, sed κατὰ συναίρεσιν (ut est apud Stephanum) Διονυσία enunciato, abjectione ι ex ιι diphthongo, *Dionysam* novavit: aut, Graeca diphthongo servata, *Donusam* lege. Quod si malis *Donusam*, ut apud eundem Stephanum legimus, id tribus syllabis admitte, per figuram synizesin Poetae frequentissimam, ut in *aureis* latius ostendimus.

domo,

Jam nunc tandem *Doto* vocem genninam, hoc loco, opera nostra, candide lector, agnosce, quum hactenus *Clotho* codices vulgari omnea retinuerint. Adulterina autem vox multis ante saeculis per imperitiam (ut credibile est) librariorum ita recepta est: quod, dum ipsi in castigatis exemplaribus *Doto* legerent, verbi insolentia offensi, falso (ut est audaculum persaepe imperitum id genus hominum, haud parvo sane studiosorum incommodo) *Clotho*, non aeque insolens, Parcae nomen pro Nerina, in hunc locum invexere; eos etiam in id erroris *d* prima *Doto* litera facile impellente, quae dum minusculo (ut appellant) charactere a scriptoribus ita *cl* notabatur, ut pars ejus circumflexa non bene, ut aliquando celeriter scribendo fit, cum recta sua linea cohaereret, *cl* literas paucula illa intercapedine repraesentabat, & *cloto* pro *doto* notabat. Hujus autem mendi tam inveterati, quippe quod multis abhinc saeculis inoleverit, id nos tandem admonuit, quod dum nos more modoque nostro (absit invidia verbo) non tanquam mus super farinam, ut ita dixerim, auctores legendo percurrimus, sed eorum, praesertim optimorum, & res & verba penitus rimamur, & introspicimus, mihi parum convenire videbatur, Poetam alioqui Galateae Nymphae studiosum, qui naturam etiam ipsam, ut vere dicam, divino suo carmine exornaverit, ita fuisse suae Galateae hoc loco oblitum, ut illi sororem Parcarum principis cognomen *Clotho* tribuerit. Quare converso ad exemplar praecipuum Maronis studio, id est, Homerum, poëtarum omnium perennem fontem, invenio ipsum, ubi Nerei complures filias connumerat, Thetim ipsam comitantes cum Galatea, praeter alias, Doto & Proto recensentem, nulla *Clothus* prorsus facta mentione. Ejus carmina ex Ἰλιάδ. σ sunt:

Δωτώ τε, Πρωτώ τε, Φέρουσά τε, Δυναμένη τε,
Δεξαμένη τε καὶ Ἀμφινόμη, καὶ Καλλιάνειρα,
Δωρὶς, καὶ Πανόπη, καὶ ἀγακλειτὴ Γαλάτεια.

Quae omnia item leges apud Hesiodum Theogoniae initio, excepto medio versu, pro quo hic Νησαίη τε, καὶ Ἀκταίη, καὶ Πρωτομέδεια posuit: a quo & εἰδὴς Γαλάτεια, mutato Homeri epitheto, appellatur. Apud quem etiam quum L. Nerei filiae enumerentur, nulla tamen in his Clotho legitur. Sed apud nos quoque unius Flacci Valerii loco, integra ad hunc diem Doto plerisque in codicibus virgo servata est. Is Argonauticôn primo eam, ut Poeta noster, Galateae sororem adjicit, nullis aliis interjectis, sicut apud Homerum, & Hesiodum, ipsae, paucis ex multis interpositis nymphis, proximae sunt. Has igitur Poeta Thetim deducentes facit his verbis, *Hanc Panope, Dotoque soror, jactataque fluctu Prosequitur mediis pariter Galatea lacertis. Antra petens.* Quamquam animadverto, hic interpretem pueriliter admodum haesitantem, utrum *Doto* an *Clotho* apud utrumque Poetam Latinum magis approbet. Ut taceam cujusdam impudentiam, qui castam, eandemque pervulgatam lectionem dissimulans, primus *Doto* apud Flaccum restituisse videri voluit.

E.

effi-

eni-

erran

 Ab hac voce Poeta saepe numero & carmen, & sensum inchoat: sicut etiam non minus frequenter hoc monosyllabo claudit, ut praeteream varias descriptiones, quas hinc elegantissime vates auspicatur.

Sane per has voces *esto sunto*, ejusmodique imperativas alias, antiquitas de eo, quod fieri, quodve non veniet, publica auctoritate constituebat. Quare & testator olim, quod post mortem suam fieri cuperet, tanquam legem quandam, similiter per haec verba haeredibus praescribebat, ut ex 3. M. Tull. Cic. de legibus, & ex jure civili nostro abunde didicimus.

Quoniam quidem hujus particulae usus frequentior est, quam ut ejus loca universa longi erroris inquirentium metu, nostra hac indicatura, velut digito, demonstranda sint, paucula haec de vi, ac potestate ipsius, brevius quam fieri possit, disputasse sufficiat: ex innumeris sane Poëtae testimoniis, aliquot tantum prolatis, quae variam omnino & elegantem hujusce voculae significationem ac sensum indicabunt. Conjunctiones igitur copulativae sunt, *&*, *que*, *at*, *atque*. Quarum in oratione officium est, velut nervorum in corpore, ut res & verba ipsa connectant. Ex quibus *&* idem valet quod *que*: unde & par utriusque usus est & frequentia. Sed hoc differunt: quod *&* semper praeponitur, sicut apud Graecos καὶ, quamvis a τε Graeca particula subjunctiva per metathesin ad nos venerit: *Que* vero enclitica ubique postponitur, veluti Graeca τε. Nam, quod Diomedes (pace ejus dixerim) satis inepte tradit, *Et* non modo subjungitur, sed etiam praeponitur, modo geminatur, ut *Qui foedere certo Et premere & laxas sciret dare jussus habenas*. Et accipiendum subjungi in eo modo, quia quod ait Poeta AE. 1: 63. *Qui foedere certo & premere*, si ordo verborum, lege metri oratione soluta, ad ordinem intellectus exigatur, *Qui & foedere certo premere*, dicendum esse videtur. Nam *& foedere certo premere*, *& jussus dare habenas*, intelligendum est. Quanquam & hoc loco non omnino subjungi contra Diomedem defendi posset, quia & verbo *premere* praeponatur. Cujusmodi structurae rationem prosae etiam orationis auctores non semel secutos, observatum est. Sed aliud fortasse, quod minus in soluta oratione liceret, AE. 1: 185. *A tergo & longum per valles pascitur agmen*, magis pro Diomede esset. Nam ordo verborum est, *Et agmen longum a tergo, &c.* Unde Tib. Donatus ait, errare, qui comma statuunt, *Sequuntur a tergo*, quia uno eodemque membro legi oporteat, *A tergo & longum per valles pascitur agmen*. Cujus generis elocutionis exempla ab eodem haec adferuntur. E. 2: 10. *Thestylis & rapido fessis messoribus aestu*. Item G. 1: 304. Et AE. 4: 418. *Puppibus & laeti nautae imposuere coronas*. Et AE. 3: 137. *Subito cum tabida membris*, id est, *cum subito*. Et AE. 1: 353. *Ipsa sed in somnis*, pro *sed ipsa*, qui ordo Poëticus est, per anastrophen factus, ut Palaemon notat. Haec autem particula, ut idem Diomedes scribit, simpliciter elata, figurate accipitur, eo loco, AE. 8: 91. *Labitur uncta vadis abies, mirantur & undae, Miratur nemus.* Modo interrogativa, seu expletiva est: ut E. 1: 27. *Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi?* Modo indignativa, AE. 1: 48. *Et quisquam numen Junonis adoret?* Alias confirmativa, ut 6: 806. *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* Interdum causalis, O: 2: 125. *Et gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.* Aliquando adjunctiva & promissiva, ut E. 3: 104. *Dic quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo.* Nonnunquam adjectiva pro *etiam*, AE. 2: 435. *Quorum Iphitus aevo Jam gravior, Pelias & vulnere tardus Ulixi.* Quandoque ordinativa, ut 6: 219. *Corpusque lavant frigentis, & unguunt.* Item superlativa, ut AE. 2: 49. *Quidquid id est, timeo Danaos, & dona ferentes.* Diminutiva quoque per gradus, ut O. 2: 490. *Felix qui potuit rerum cognoscere causas, Fortunatus & ille, Deos qui novit agrestes.* Pro *etiam* sumitur saepenumero, AE. 6: 90. *Natus & ipse Dea.* Et 11: 741. *Moriturus & ipse Procumbit.* E. 9: 11. *Audieras & fama fuit.* Eleganter quoque inter duo substantiva Hendiadi figura Poetae non infrequenti, ad venustatem deservit, ut AE. 1: 61. *Molemque & montis*, id est, *Molem montis*. Et 1: 111. *In brevia, & Syrteis*: pro *In brevia Syrtium*. Et 2: 192.

ex-

expl

F.

facie-

Index Erythraei

fla-

fuso.

Genua la proceleusmaticus, constans duobus pyrrhichiis, quatuor brevium. Quem pedem, quantum colligere potuimus, locis decem & septem admittit: octies, in prima sede, in secunda semel, octies item in quinta: idque quater in duabus dictionibus, ut bis, *Genua labant*: semel, *Tenuis ubi argilla*, & *Reice capellas*. Alias semper singularibus verbis hisce, *abiete*, *abietibus*, *arietat*, *ariete*, *parietibus*, *tenuia*. Loca vero ipsa Index facile monstrabit. Quanquam si Probum audiamus, etiam dactylus esse possit. Ejus verba ex Institutis artium, ubi de decem modis positionis agit, hic juvat apponere, ut obiter etiam ea corrupta transcribendo castigemus: Decimus modus est, in-gon, si post vocalem subjecta sit consonanti *i* vocalis, vel *u*, & correptam vocalem habeat consequentem, ut *parietibus textum caecis*. In hoc versu quoniam prima pars orationis correptam habet, hoc genere positionis primam syllabam efficiemus longam. Secundam namque syllabam resecamus per medium, & praecedentem consonantem primae syllabae conglutinamus; vocalem autem ad tertiam revocamus, & loco consonantis designamus. Hic sane modus positionis apud Virgilium non in superiori exemplo tantum, sed in multis versibus invenitur: ut, *Arietat in portas*: & *Transtra per & remos*, & *pictas abiete puppes*: item, *Genua labant, vastos quatit aeger anhelitus artus*: &, *Tenuis ubi argilla & dumosis calculus arvis*.

Glandis etiam in quarto casu Nonii aliquot codices legunt lib. de Genere armorum: quod fortasse auribus gratius.

Glandis in nominativo poni apud Poetam, notat Probus duobus locis, in Catholicis: altero, ubi de tertiae declinationis genitivo singulari: altero vero, cum de recto *dis* terminatis loquitur. Cui omnino, ut video, nostro hoc Indice opus fuit, ut hujus etiam loci testimonio suo more dictata comprobaret, quod in minutioribus quoque traditionibus diligentissimus Grammaticus facere consuevit.

H.

HA particulam interjectionis, praeposita adspiratione qui scribunt, id porro ex grammaticorum regula faciunt, quae vult, adspirationem vocalibus praeponi debere, consonantibus vero

vero subjungi. Priscianus tamen, quem & usus omnium comprobat, lib. 1. & 2. tradit, hanc particulam in adspirationem desinere, sicut *Vah*, quod per abscissionem extremae vocalis illa ab *Aha*, haec a *Vaha* perfectis remanserunt. Ut *Ah* voculae omnino adspirandum sit, per quam etiam suspiramus. Neque enim illorum sententiae accedo, qui existimant, Probum sine adspiratione notari voluisse, dum, ubi de vocalibus agit, per Initia Artium sic scribit. Sunt autem hae A, E, I, O, U. His quaecumque syllaba aut singularibus constat: ut, *Ah virgo infelix*: nam cum *h* nota tantum adspirationis sit, non litera, ut inter omnes grammaticos convenit, *ah* quoque singulari vocali litera constabit: etiam si *h* adspirationis nota adscripta sit. Nec me movet censensus aliquis codicum antiquorum, *a* interjectionem sine adspiratione habentium: quod id autem rudium seculorum vitio, aut certe scriptorum imperitia facile committi potuit.

I.

INDEX ERYTHRAEI

im-

In-

in-

Infecere. G. 2: 128
infecit. G. 3: 481
infecta. non facta. AE. 4: 190
infecta, scil. *arma*. AE. 5: 413. 7: 341
infecti. AE. 10: 528
infecto. AE. 12: 286
infectos. AE. 10: 720
infectum. AE. 6: 742. 12: 243
infelicem. AE. 3: 649. 9: 430
infelicis. AE. 3: 613, 691. 5: 3. 7: 401. 9: 786
infelix. E. 3: 3. 5: 37. 6: 47, 52, 81. G. 1: 154. 2: 198, 239, 314. 3: 37, 498. AE. 1: 475, 712, 749. 2: 245, 345, 455, 772. 3: 50, 246. 4: 68, 450, 529, 596. 5: 204, 329, 465, 625. 6: 456, 521, 618, 822. 7: 309, 376. 9: 390, 477. 10. 325, 425, 596, 730, 781, 829, 850. 11: 53, 85, 175, 563. 12: 598, 608, 641, 870, 941
infensa. AE. 11: 859. 12: 232
infensam. AE. 10: 521
infensi. AE. 2: 72. 4: 321. 5: 587
infensis. AE. 9: 793
infensos. AE. 11: 899
infensum. AE. 5: 641
infensus. AE. 11: 123, 336
inferar. AE. 4: 545
inferat. AE. 9: 401. 11: 467
inferias. G. 4: 545, 553. AE. 9: 215. 10: 519. 11: 82
inferimus. AE. 3: 66
inferior. AE. 12: 630
inferiora. AE. 6: 170
infernae. AE. 6: 138
infernam. AE. 12: 199
infernas. AE. 5: 732. 8: 244
inferni. AE. 3: 386. 6: 106
infernis. AE. 7: 325, 771
inferre. G. 4: 265. AE. 3: 248. 7: 337, 604. 8: 12. 10: 66, 300, 364
inferret. G. 4: 360. AE. 1: 6. 6: 652
infert. G. 2. 145. AE. 4: 142. 5: 622. 9: 53, 522. 10: 575, 768. 11: 742
infesta. AE. 5: 582. 7: 299. 10: 206, 877
infesto. AE. 2: 529. 5: 691. 9: 512
infestos. AE. 2: 571. 11: 899
infecit. AE. 12: 418
infidos. G. 2: 496
infidum. B. 1: 254
infigitur. AE. 5: 504. 9: 746
infirmat. AE. 12: 721
infindere. E. 4: 33
infindunt. AE. 5: 142 de remigantibus.
infit. AE. 5: 708. 10: 101, 860. 11: 242, 301. 12: 10
infixa. AE. 9: 579, 699. 12: 375
infixi. AE. 4: 4
pietatis. AE. 1: 253. 6: 405. 9: 294. 10: 824

pi-

Bis

quaeque Graeciae gens sua apud illum nomina agnosceret: sed ea etiam sacrosanctae propriae deorum linguae honore consecravit, ut illo loco, cum ait ὃν Ξάνθον καλέουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Σκάμανδρον. Et in Odyss. 10. μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοί. Et item in 1. Iliad. ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίωνα. Et in 2. τὴν ἤτοι ἄνδρες Βατίειαν κικλήσκουσιν, Ἀθάνατοι δέ τε σῆμα πολυσκάρθμοιο Μυρίνης. Et rursus in 14. ubi Somnus fit ὄρνιθι λιγυρῇ ἐναλίγκιος, & mox sequitur, ἥν τ' ἐν ὄρεσσι Χαλκίδα κικλήσκουσι θεοί, ἄνδρες δὲ Κύμινδιν. Et hoc genus alia, quae Elenchus noster in ipsum poetam nullo sibi negotio suggeret. Cum igitur divino vir ingenio Maro, aemulationis studio in hujusmodi locorum splendorem intueretur, non absimili colore suam se quoque Venerem fucaturum existimavit, si & ipse circa deorum personarum dignitatem optime versans, eorum sermoni prisca verba insereret, quaeque sua aetate jam desita, quasi in deorum consuetudine permanserint. Cujus consilii (ni fallor) haec fuit ratio, quod maxime convenire videbat, sicuti aetatem, ita etiam deorum sermonem immutabilem, immortalemque fore. Et profecto qua lingua magis decuit immortales ipsos, quum illos loquentes facimus, quam prisca uti, atque ea ipsa, qua primum a majoribus solenniter conceptas preces exaudire consueverunt? Hinc itaque Virgilianus Jupiter in 10. sic inquit, *Tros, Rutulusve fuat nullo discrimine habebo.* Et Juno ad Venerem: *Nunc qua ratione, quod instat, Confieri possit, paucis (adverte) docebo.* Et hoc loco ad eandem Venerem Vulcanus: *Quod fieri ferro, liquidove potestur electro.* Quam lectionem adhuc non modo referunt antiqua aliquot bona exemplaria, sed etiam Nonii Marcelli auctoritas, cujus testimonio veluti locupletissimo stat Priscian. cum ait, *Potestur* pro *potest*. Pacuv. *Si qua potestur investigari via.* Luct. in 3. *Quod tamen expleri nulla ratione potestur.* Virg. *Quod fieri ferro liquidove potestur electro.* Sed & *Potestur*, lectio ad Politiani usque tempora integra, inviolataque, vulgaris etiam Virgil. exemplaribus perduravit: quam ecce tibi ille hujus Virgiliani consilii atque artificii nescius, dum primae *electri* syllabae metuit, *potestur* pativum antiquum, & majestatis plenum, dignumque Vulcano Deo verbum, hoc loco in *potest* usitatius contraxit, ut spondaicum ex dactylo versum faceret, quod dactyli finalem in primam *electri* cadere non posse arbitraretur, quae η apud Graecos esset, apud quos natura producitur, & ad nos in *e* longum transit. Atque ita, dum se ille duas maculas, quas multis ante seculis Virgilianis codicibus inolui sse putabat, delere existimat, Mantuani cygni candorem & hoc loco commaculavit, sicut illo, ut ostendimus, cum scribit, *Sedemque petit Evandri.* Nam, ut omittam, vocalem non modo hanc η, sed etiam ω, natura longas, tam apud Graecos quam apud nostros poëtas, eorum imitatione non semel corripi (quod in Hom. Indice adnotavimus) *potestur electro*, suo jure atque auctoritate poeticae Rom. principem hoc loco reliquisse, prima in *electro* correpta, ratione dactyli finientis, non conjecturis tantum, & argumentis te, Politiane, convincimus, sed ipsiusmet eadem in re locupletissimo testimonio, & (quod ajunt Jureconsulti) omni exceptione majore, quod etiam tuo nomine referre pudet. Is in Ciri, juvenili carmine, ad Messalam inquit: *Coralio fragili, & lacrymoso movit electro.* Et pernegabis adhuc summo Vati justo in hoc opere licuisse, quod in exiguo poematio juvenis etiam usurpare non dubitavit? Quem etiam ipsum suspicor, hoc suae voluntatis velut testimonium illic de industria collocasse, quo incautum Grammaticorum quempiam, quos molestissimos aliquando expertus est, qui praestantissimorum poetarum oracula ad suarum regularum censuram inepte & arroganter exigere solent, ex illo loco veluti ex insidiis prodiens, imperite hoc carmen attentantem, quod praeviderat, deprehenderet. Sed non modo in gregarium literatorem quendam, quod magis sperabat, verum in praestantem Grammaticum, ac centurionem fortissimum, hoc est te Politianum, hoc quasi cuneo validissimo invadit, mediamque tuam centuriam disrumpit, ac dissipat, captivumque *potestur* recipit, & in sua sceptra (hoc est Vulcani ori) reponit. Quare non dubitabitis post hac vos, qui nova hac scribendi ratione libros hodie imprimendos curatis, posthabita Politiani sententia Erythraei potius, immo vero poetae ipsius *potestur* lectionem nativam Virgilianis codicibus repraesentare. Quid vero tandem poeta Graecus illa divinorum vocabulorum usurpatione sibi voluerit, nos in ejusdem elencho (nisi conjectura fallimur) exposuimus.

Lucretius quoque in hoc sensu, ita quintum De rerum natura, a laudibus Sapientiae auspicatur, *Quis potis est dignum palanti pectore carmen Condere pro rerum majestate hisque repertis? Quisve valet verbis tantum? quis fingere laudes Pro meritis possit? &c.* Apud vetustissimos Rom. etiam neutri generis vim habuit: quorum exemplo dixit idem Lucret. *Nec potis est cerni, quod cassum lumine fertur.* Et alibi, *Conjunctum est id, quod nunquam sine perniciali Dissidio potis est sejungi, seque gregari.* Priscian. lib. 15. scribit, hic & haec *potis* dici, & hoc *pote:* unde Persius: *Qui pote? vis dicam?* id est, Quomodo possibile est? Ennius tamen *pote* etiam pro *potis* accepit, quom in 15. de pugna Caecilii tribuni ita loquitur, *Sed nec pote quisquam Undique nitendo corpus divellere ferro.* Sed & Oratoriam *Potis est* instruit verborum supellectilem, Ciceronis exemplo, qui in Tuscul. Quaest. ait, *Neque sanguis ullo potis est pacto profluens consistere.* Hinc comparativum *potior*, & superlativum *potissimus*, adverbiaque *potissimum* & *potissime*.

Require apud Festum Pomp. lib. 14. in dictione *Potitius*. Quamquam locus ille sit fragmentatus.

Sic *Avertis*, pro avertitur: *Insinuat*, pro

in

in Pristin desinit alvus. scil. Tritonis. AE. 10: 211

Sic & Scyllam in pristin desinere fecit, qui sic ait: *postrema immani corpore pristis.*

pristina. AE. 10: 143. 12: 424

pristinus. AE. 6: 473

Pristis. AE. 5: 154, 156, 187, 218

Pristis. AE. 3: 427

Pristes beluae sunt marinae, quae pilis vestiuntur: ea corporis magnitudine, ut ducenum cubitorum in mari Indico reperiantur, ut scribit Plinius: ita appellatae, quia mirum in modum corporis tenuitate fluctus secent. Graeci autem *πρίσιν* Sectionem, *πρίστην* Sectorem nominant. Dicitur & *Pistrix*, *Pistricis*, per *π*, & *ρ* post *τ*, M. Ciceronis auctoritate, qui in Aratum ait, *Andromedam tamen explorans fera quaerere pistrix*: & alibi, *Sparsam subter caudam pistricis adhaesit.* Quatuor item alia ex eodem loco recitandis testimoniis supersedimus, quia haec duo satis esse visa sunt, in re praesertim (ut mihi videtur) non dubia. Hoc igitur Signum coeleste *Cetum* Graeci & vulgus Astrologorum nominat. Hyginus item apud nos pistricem. Quam & pristicem Pontanus in Dialogo, cui Actio nomen est, memorare non dubitavit Hanc eandem esse cum pristi, ea eo etiam facile est intelligere, quod Plinius nunquam Pistricis, sed Pristarum quatuor in locis meminit, earum conjuncta mentione cum balaenis: quae quia (ut puto) inter se magnitudine fere aequantur, inde quidam quod Pompejus lib. 2. refert) Balaenam beluam marinam ipsam dicunt esse pistricem, ipsum etiam Cetum. Quanquam Plinius a *Balaenis pristas* semper diversas accipit. Quo magis miror, Nicolaum Perottum Cornucopiae auctorem, eodem in libro posteaquam eorum ineptias merito satis irriserit, qui *pistrim*, non *pristim* scribunt, (a quo errore aliquando alienus non fuit Aldus, quod ab eo editi Virgiliani codices indicant) pistricem dici posse non admittere. Ab hujus autem beluae similitudine *Pristin* quoque appellavit navim Virgilius. Quare & naturae ferae, & navi simul, unde appellata est, satisfaciens, *Pristin velocem* dixit, & *immani corpore* appellavit. Sicut etiam alludens ad etymon, ait, *Sic ipsa secat aequora pristis.* Ut minus scite distinguat Honoratus, quum scribit, Servius; *Si navem intelliges, haec Pistris, hujus Pistris facit: si de belua, haec Pistrix Pistricis.* Sed bone Servi, Grammaticorum coryphaee, Chimaera, Scylla & Tigris, cum eadem nomina navium sint apud Poëtam, nonne voluit ea cum suis monstris & beluis, a quibus sunt appellata, in omnibus convenire? An non cum belua haec ex mari (ut apud Hyginum & Aratum est) pro signo in coelum relata est, nomen quoque quod supra ex Cicerone didicimus, marinae Pistricis retinuit? Quid tot illa alia coelo collucentia signa, quibus ipsum & pingitur & illustratur, nonne ex terris in coelum, prout erant, earum rerum, quas figurant, nomina sustulerunt? Sed quid signa loquimur coelestia? Nonne vides ut perpetuo Poeta noster tot nomina virorum propria a montibus, ab oppidis, a fluminibus detorta, ea integra, prout earum rerum fuerunt, repraesentavit? *Pistricem* autem sunt qui velint eam esse beluam, quam vulgo *Capidolium*, de olei copia, quod caput ejus exprimentibus uberrime reddit, nominant: de quo Capidolio caput contexuit Paulus noster Jovius, quo libello eruditissimo de Piscibus Romanis agit; qui tamen pistricis nullam prorsus facit mentionem.

Prytanim AE. 9: 767

Homeri versus, tantum conjunctione mutata: Ἀλκανδρόν θ', Ἅλιόν τε, Νοήμονά τε, Πρύτανίν τε. Ad cujus exemplum hunc Poetae nostri corrigendus est, ut dicat, *Noemonaque Prytaninque*, cum tamen hactenus, *Nemonaque Prytaniumque.*

Priverno. AE. 11: 540

Privernum. AE. 9: 576

prius, sequente quam. G. 1: 50. 3: 468. AE. 1: 192, 472. 2. 741. 4. 24. 6: 328. 11: 809

prius. O. 1: 74, 194. 2: 274. 3: 362. 4: 229. 396, 537. AE. 2: 190, 596. 6: 136. 9: 122. 10: 223, 882. 11: 126

pro. E. 3: 77. 5: 38, 81. 7: 35. G. 1: 405. 4: 150, 456. AE. 1: 24, 74, 659. 2: 17, 183, 535. 3: 247, 435, 604. 4: 337. 5: 230, 483, 501, 815, 846. 6: 352, 821. 8: 472, 648. 9: 252, 406, 677. 10: 82, 825, 847. 11: 223, 437, 576. 12: 48, 49, 152, 229, 351, 552, 695, 814, 820

pro, id est, *ante.* AE 8: 653. N. de Doctorum indag. 9: 575. 11: 895. 12: 661

pro virginitate, id est, *in praemium virginitatis.* AE. 12: 141, 878

pro. interjectio. AE. 4: 590

Qui huic Interjectioni *pro*, quae exclamandi vox est, aspirant, id contra usum majorum faciunt. Nam a praepositione *pro* non aspiratione, sed solo accentu differt. Lucr. in 3. *Tactus enim tactus pro divum numina sancta, Corporis est sensus.*

proavi. AE. 8: 54

proavis. AE. 12: 225

proavos. AE. 3: 129

probat. AE. 5: 418

probavi. AE. 12: 814

probet. AE. 4: 112

procacibus. AE. 1: 536. N. de improp.

Procas. AE. 6: 767

procedere. E. 3: 94. 4: 12. AE. 4: 587. 5: 461

procedit. AE. 3: 592. 10: 451. 12: 125

procedo. AE. 2: 760. *protinus & proavi sedes*, antiqui codices. 3: 349

procedunt. AE. 8: 462. 12: 169

procella. AE. 1: 102. 7: 594

procellae. AE. 11: 798

procellis. O. 3: 259. AE. 1: 85. 5: 791

proceras alnos. E. 6: 63

M. Tull. in lib. de Legibus, Populus procerissima dixit, lege in Dictione *Populeas.*

proceres. AE. 1: 740. 3: 58, 103. 6: 489. 8: 587. 9: 659. 10 213. 11: 403

procerum. AE. 12. 213

processerat. AE. 10: 751. 12: 94

processit. E. 6: 86. 9: 47. AE. 3: 356. 9: 25

processu. O. 3: 504

Prochyta alta tremit sonitu. AE. 9: 715

Hanc, & Pithecusam a Miseno abruptam, Strabo in 1. auctor est: quam tamen idem in 5. a Pithecusis ipsis quondam divulsam tradit. Posteriorem sententiam Plinius sequitur, & Servius, unde & secundum hos a profusione nomen Prochyta traxit. At Dionysius lib. 1. scribit a nutrice Aeneae ejusdem nominis dictam. Pithecusam autem, & Pithecusas numero multitudinis, dicimus alteram insulam, quae Inarune primum Virgilio dicta est. Rationem in Ovidii Metamorph. dictabimus. Prochyta vero antiquum adhuc nomen servat. Vide *Inarime.*

proclamat. sc. *Diores.* AE. 5: 345

procorum. AE. 12: 27

procos. AE. 4: 534

Procrin. AE. 6: 445

procubet. O. 3: 145

procubuere. AE. 2: 505. 9: 190, 237

procubuisse. AE. 6: 604. 8: 631. 11: 395

procubuit. AE. 8: 30, 83. 9: 541. 11. 150, 418

procudit arator durum vomeris obtusi dentem. O. 1: 261. N. tr. 3

Hanc quoque dicendi formam ex Lucretii veluti seminario in suum rus cultissimum Maro transtulit, de illo praecipue carmine: *ac tenuia posse Mucronum duci fastigia procudendo.* Nam & in fine 3. legimus, *Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas.* Et per itera 4. *Nam cum mittitur, extemplo procudit, agitque Aera.* Sicut in 5. *Ut propagando possent procudere prolem.*

procul. E. 1: 83 O. 3: 83, 212. 464 4: 353, 424. AE 2: 42. 3: 13, 206, 383, 479, 522 597. 701. 4: 70. 5: 013. 642. 6: 10, 651, 808, 824. 7: 493. 8: 98, 191. 9: 372, 503. 10: 447, 455, 521, 537, 713, 777. 11: 677, 838. 12: 353, 809

procul de, &c. E 1: 77

procul, id est, *prope, juxta.* E. 6: 16. 10: 835

procul a, &c. E. 10: 46. O. 2: 459. Servius. AE. 5: 35. 10: 401, 521

procul o, &c. AE. 3: 554 8: 112, 610

procul hinc. AE. 1: 469. 6: 440. 8: 478, 603, 635. longe a templis. Servius. 666

procul inde. AE. 3: 666. 8: 642

procul in tenuem. AE. 4: 278. 9: 658

procul, id est, *haud nimis longe.* Servius. AE. 5: 124

pro-

Q.

Ppp 3

quan-

Machaon. 2: 262. *qua figura idem Maro versus septem infra scriptos fecit gratiores: ut, tum ait,*
Drimoque, Xanthoque, Ligeaque, Phyllidoceque. G. 4: 336
Fataque, fortunasque virum, moresque, manusque. AE. 6: 683
Padumque, Herbesumque subit, Rhoetumque, Abarimque. 9: 344
Alcandrumque, Haliumque, Noemonaque, Prytanimque. 767
Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamirimque Pholumque. 12: 341
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque. 363
Haec ipsa particula cum natura brevis sit, interdum pro longa ponitur, ut,
Liminaque, laurusque Dei; totusque moveri Mons circum. AE. 3: 91. Ad cujus exempli imitationem, similiter Ovidius in 5. Metamorph. ait, *Syderaque, ventique nocent, avidaeque volucres.* Et Statius in 10. Thebaidos, *Tergaque, pectoraque galeis inclusa relinqui.* Quae hac ratione (ut inquit Servius) defenditur: aut quia omnia Monosyllaba ad artem non pertinent, & his licenter uti possumus. Aut certe, quia omne μόριον, id est, particula, quae sui substantiam non habet, membrum putatur superioris orationis. Quod si est, *Liminaque*, quasi una pars orationis est; & potest *Que* finalitatis ratione vel produci, vel corripi. Haec ille. Unde non facile dici potest, in sequentibus exemplis magis hanc porrigi positione duarum consonantium, in principio dictionis sequentium, aut Z duplicis literae: ut in Bucolicis, & 4. Georgicorum, *Terrasque, tractusque, maris, coelumque profundum.* Et in primo, tertioque ejusdem operis, *Lappaeque, tribulique.* Et similiter in primo: *Tribulaque, traheaeque.* Et in 4. Aeneid. *Cretesque, Dryopesque fremunt.* Et in 2. Georgicorum, *Eurique Zephyrique tonat domus.* Quanquam invenio etiam in aliis syllabam brevem in fine dictionis interdum produci, dictione sequente incipiente a duabus consonantibus, vel a duplici litera, quod fieri omnino positione ipsarum literarum Diomedes asserit, & Priscianus: quemadmodum si una eademque dictione, ubi proprie Positio ipsa locum habet, consonantes brevem syllabam sequerentur. Id quod fit apud Graecos frequentissime. Homer. Odyss. Rhapsodia prima, vs. 178. Τὸν δ᾽ αὖτε προσέειπε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη. Idem lib. 3. vs. 418. Καρπαλίμως μοι τέκνα φίλα κρήνατ᾽ ἐέλδωρ. Apud nostros Stat. 5. Thebaidos: *Praecelerat agile studium, & tenuissima virtus.* Juven. Sat. 3. *Contemnite, miserae cognosce praemia rixae.* Idem in 3. libro, *Gibbus & acre malum saepe stillantis ocelli.* Idem in eodem, *Occulta spolia, & plures de pace triumphos.* Et in Satyra ultima, *Vindicta gravior quam injuria, dignum erit ergo.* Quod similiter apud Virgilium nostrum in 9. fieri potest, secundum hanc lectionem: *Ferte citi flammas, date tela, scandite muros.* Nam in *tela*, sunt qui *a* non positione, sed sensus perfecti ratione longam dispiciunt, alii interjecta *&* particula omnem tollunt figuram, ut legatur, *Date tela, & scandite muros.* Notat praeterea Servius in his locis, *que*, vacare, sicut *qua*, ut, *Si qua fata sinant, jam tum tenditque, fovetque.* AE. 1: 18. *foretaeque injuria formae.* 1: 27. &, *dixitque, & praelia voce diremit.* 5: 466. *ostroque, auroque rigentes.* 11: 72. ubi ait, *que* additum hiatus causa. Item poni pro, *ve*, ibi, *multosque palus Laurentia.* 10: 709. interdum pro *vel*: ut, *subjectisque urere flammis.* Vide etiam quae scribit Servius in decimo Commentario, super verbo *Tanton'*. AE. 10: 668
queamus. AE. 10: 19
quem. non referens. E. 2: 60. AE. 1: 181, 241. 2: 121, 745. 3: 88. 4: 11, 604. 5: 742. 6: 161, 466. 8: 15, 533. 9: 527. 10: 670. 11: 664. 12: 719, 727
quem. referens E. 3: 22. 10: 26. G. 1: 24. 2: 105. 3: 125, 260. 4: 323, 327. AE. 1: 64, 546, 584, 595, 617, 741. 2: 83, 472, 535, 726. 3: 187, 304, 340, 474. 4: 355, 598, 599, 653. 5. 39, 49, 152, 226, 254, 274, 287, 493, 536, 565, 571, 705, 814. 6: 764, 778, 791, 815. 7: 56, 189, 379, 484, 601, 659, 680, 692, 731, 762. 8: 62, 138, 342, 512, 533, 552, 590. 9: 5, 49, 177, 266, 275, 280, 304, 396, 440, 527, 546, 559, 583. 10: 117, 143, 242, 384, 420, 490, 540, 551, 591, 703, 708, 742, 752, 848. 11: 27, 336, 364, 770, 786. 12: 44, 90, 222, 379, 544, 775, 943
quem. i. e. *aliquem.* AE. 1: 151
quemvis. AE. 8: 577
quemquam. E. 3: 51, 53. 8: 35. 9: 17. AE. 2: 127, 402. 11: 312
quemque. E. 2: 65. G. 4: 224. AE. 3: 459. 5: 561. 6: 892. 7: 642. 9: 162. 11: 731. 12: 759
querar. AE. 4: 677
Quercens. AE. 9: 684
quercu. E. 7: 13. G. 1: 159, 349. AE. 6: 772. 8: 616
quercum. AE. 4: 441, 7: 509. 11: 5
quercus. E. 1: 17. 4: 30. 6: 28. 8: 53. G. 2: 16. 3: 332. 4: 510. AE. 3: 680. 9: 681. 10: 423
querelam. G. 1: 378
querelis. AE. 4: 360. 8: 215. 10: 94
querens. G. 4: 320, 520
querentem. AE. 1: 385
queri. AE. 4: 463
queritur. G. 1: 504. 4: 512
quernas. G. 1: 305
querno. AE. 11: 65
queror. E. 8: 19
querulae. G. 3: 328
questibus. G. 4: 515. AE. 9: 480
questu. AE. 7: 501
questus. AE. 4: 553. N. tr. 4. v. querela. 5: 780
qui. E. 1: 19, 24. 3: 8, 41, 50, 87, 88. 8: 24. G. 1: 3, 94, 97, 104, 111, 201, 435. 2: 105, 171, 304, 490, 493. 3: 428, 521. 4: 89, 388, 537, 565, 567. AE. 1: 1, 62, 287, 378, 388, 419, 665. 2: 59, 230, 275, 342, 345, 379, 427, 538, 663. 3: 35, 327, 334, 359, 360, 608, 695. 4: 26, 224, 229, 247, 269, 294, 329, 607, 626. 5. 67, 258, 346, 355, 370, 372, 439. 478, 496, 520, 543, 544, 648, 649, 726. 6: 57, 234, 338, 345, 388, 406, 453, 590, 705, 760, 768, 793, 804, 810, 813, 834, 846, 863. 7: 532, 537, 653, 754. 8: 10, 37, 137, 141. 9. 51, 93, 140, 206, 213, 238, 325, 335, 427, 629, 723, 728. 10: 89, 200, 312, 440, 564, 632, 779. 11: 23, 31, 219, 375, 393, 417, 471, 687. 12: 134, 180, 200, 349, 461, 612, 697
qui. cum *e*. G. 2: 488. AE. 1: 229
Quis cum *i* litera dici volunt Grammatici, cum quaerimus, & est propositivum: ut, *Quis te nate Dea per tanta pericula casus insequitur?* &, *Quis procul ille autem ramis insignis olivae?* In referendo autem, *Qui* sine *e*, & postponitur: ut, *Arma, virumque cano, Trojae qui primus ab oris.* Et *Ille (vides) pura juvenis qui nititur hasta.* Quanquam in vulgatis Charisii Sosipatri codicibus, *juvenem*, non *juvenis*, legas. Quod tamen Poeta noster non observavit, cum ait, *Qui casus agat res:* & similiter ante eum Accius dicens, *Quinam Tantalidarum internecioni modus sit.* Vide *Quis*.
qui, in casu nominandi plurali. E. 6: 6. 10: 9. G. 1: 434. 2: 351. 4: 539. AE. 1: 236, 308, 369, 606, 706. 3: 98, 337. 5: 291, 486, 594, 713. 6: 434, 531, 583, 610, 663, 712, 757, 771, 865. 7: 37, 98, 131, 182. *quae legunt aliqui.* 271, 430, 642, 712, 713, 715, 726, 797. 8: 52, 287, 385, 547, 602. 9: 161, 193, 376, 387, 600. 10: 167, 183, 327, 597, 672, 840. 11: 61, 109, 250, 330, 879. 12: 32, 84, 237, 241, 360, 627
Qui non risere parentes. E. 4: 62
Exploditur ab eruditis Servii in hunc locum fabulosa expositio. Nam Quintiliano omnes subscribunt, qui lib. 9. cap. 3. ita scriptum reliquit. Est figura (inquit) & in numero, vel cum singulari pluralis subjungitur: *Gladio pugnacissima gens Romani.* Gens enim ex multis. Vel e diverso: *Qui non risere parentes, Nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.* Ex illis enim qui non risere, non dignatus deus, nec dea dignata. Hactenus ille. Quintiliano adstipulantur Politianus, & alii plerique omnes non inerudit, Politiani auctoritatem secuti. Verum Petrus Bembus ingeniorum hujus seculi flos, & nostrae decus Venetiae, in hac parte Veneto Poetae opem tulit, eo libro quem de ipsius Culice (ut omnia) elegantissime scripsit. Quippe qui a Quintiliani sententia jure optimo dissidens, *Quoi* legit, casu dandi, scriptura sane antiqua, & ab ipso etiam Quintiliano lib..

lib. 1. agnita, eademque Terentiana, cujus Poetae imitandi studiosus noster ex eo videri potest, quod in Aeneide quoque *Fuat* antiquum verbum, ut Terentianum, non respuit, ut, *Tros, Rutulusve fuat*. Nam apud eum legerat in Hecyra, *Fors fuat pol*. Quod si tibi in Idyllio hoc, carminis tenuioris, idem non licuisse poetae videbitur: aut dativi hujus *Qui* antiquitatem, hoc loco ea venia tueatur, quam pro rerum quoque & sententiarum magnitudine ipse a Musis huic Eclogae impetravit, dum eas ita animat, *Sicelides Musae paulo majora canamus*, & quae sequuntur. Aut scribe *Cui*, & erit sensus: Nam cui parentes non riserint (pergam autem in Bembiana sententia referenda, Bembi etiam verbis uti elegantissimis) quoniam id accidere, nisi propter eximiam aliquam deformitatem non potest, hic jam ex iis esse, qui diis chari sunt, non videtur, neque dignus, qui vitae cum muneribus maximis, tum hilaritatibus egregie perfruatur. Nam & Poeta superiori versu, *Incipe parve puer risu cognoscere matrem*, non id vult, quod vulgus existimavit, ut puer arrideat matri, sed ut cognoscat matrem ab ejus risu. *Risu* enim ad matrem refertur, non ad puerum. Magis enim (ut pergit ipse Bembus interpretari) mulieres omnes suis arrident filiis, quam aliarum: quippe quae magis etiam illis tuendis gaudeant, necesse est, vel quoniam extra laborem ferendi ventrem, patiendique dolores, & pericula jam sunt: vel quod pueros ex sese natos videant, quod est omnium rerum jucundissimum. Eritque sensus hic ut concinnior, ita a loquendi simplicitate Virgiliana non alienus. Nam & locutio, *risu cognoscere*, ex puritate Latinae linguae hunc habere intellectum videtur, ut sit risus ipsius cognitionis & causa, & ratio, non autem ipse nostrae cognitionis, quam de aliqua re jam habeamus, significatio & argumentum. Quid autem significet, *Deum dignari mensa; & Deam cubili aliquem*, pete ex Politiani Miscellaneis, c. 89.

an Qui amant, ipsi sibi somnia fingunt. E. 8: 108

Proverbium est. *an qui a* dactylus Neque enim fit Synaloephe. Quin *qui* syllaba natura longa corripitur, exemplo T. Lucretii, qui ait in 5. *Pectora terrarum qui in orbi sancta tuetur*. Sed & Poeta vocales alias naturaliter longas simili modo breves fecit, sequente dictione in alia vocali: nec vocales modo, sed etiam diphthongos. Quod exemplo Graecorum fit, ut in elenchis ipsorum Poëtarum docuimus. Exempla nostri sunt: ut in 6. Aeneidos,

Nomen, & arma locum servant; te amice nequivi conspicere. Et in 5.

Victor apud rapidum Simoënta sub Ilio alto. Item 1. Georg.

Conati ter sunt imponere Pelio Ossam. Et in eodem, quantum ad diphthongos pertinet breves, legimus:

Implerunt montes, flerunt Rhodopeiae arces. Et similiter in 3. Aen.

Insulae Ionio in magno. Sed contra apud eundem nostrum frequentius vocales in sua naturali longitudine perseverant: ut in Alexi,

Amphion Dircaeus in Actaeo Aracyntho. Item lib. 3. Georg.

Arcebis gravido pecori, armentaque pasces. Et in initio Aen.

Posthabita coluisse Samo, hic illius arma. Item in 1. calce,

Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae. Et eodem exemplo in 9.

Antiquum in Buten: hic Dardanio Anchisae Armiger ante fuit. Et in eodem,

Hanc sine me spem ferre tui: audentior ibo. Item in 10.

Maeonia generose domo, ubi pinguia culta. Et paulo post,

Externo commissa duci Aeneia puppis. Quod & de diphthongis fit, ut in 7.

Ardea, Crustumerique, & turrigerae Antemnae. Et in Ecloga Meliboeo,

Stant & juniperi, & castaneae hirsutae. Quod item secundum aliquos, observatum est hac ejus carminis lectione,

Ulla moram fecere, neque Aoniae Aganippes.

Nam Servius scribit, in hoc versu *Aonie Aganippe* nominativos esse singulares, qui tamen ad imitationem Graecorum & produci, & corripi solent: quod apud Theocritum pluribus in locis observatur, de quibus apud eum Poëtam dicturi sumus.

quique. G. 1: 22, 23, 313. 2: 185, 188. AE. 5: 67. 6: 612, 661, 662, 664. 7: 682, 728, 739. 10: 168. 12: 705, 706

quive. AE. 7: 131. *qui genus? unde domo?* 8: 114. id est, *quo genere, qua domo*, Servius.

Qui cum. AE. 11: 822

Id est, cum qua. Venit autem a nominativo *quis*, non *qui*, quod antiqui communi genere dixerunt, hic & haec *quis*, ab hoc & ab hac *qui*, auctor est Rhemnius Palaemon, ubi de Pronomine agit.

Qui te cumque. AE. 12: 61

Per tmesim. Sic, *Quae me cumque, quo te cumque, qua se cumque*, semel dixit, & bis. *Quo res cumque*, monosyllabo tantum verbo ubique interjecto. Caeterum T. Lucretius Carus in hac figura usurpanda & crebrior, & audacior fuit: quippe qui, ut vocem hanc compositam *quicumque* per casus numquam monosyllabo diffiderit, ut observavimus: ita eam aut monosyllabis duabus aut una disyllaba dictione, aut trisyllaba, aut plurium etiam vocum interjectione diducit, atque dispalat. Cujus rei exempla sunt haec.

Ex 1. lib.

Corpus ea non est, qua porro cumque tenet se:

& in eodem,

Praeterea tellus, quae corpora cumque alit, auget.

Ex 2,

At contra quae & amara, atque aspera cumque videntur

& in eod.

Omnis enim sensus, qui mulcet cumque, juvatque

Ex 3. sunt,

Atque alii sensus, qui vitam cumque gubernant.

& infra,

Sin ea quae functus cumque es, periere profusa.

& item,

Aetas post mortem quae restat cumque manendo.

Ex 4. haec,

Aëra, qui inter se cumque est, occlusque locatus.

& eodem,

Partim quae variis ab rebus cumque recedunt.

& inferius,

Humor item descendit in omnia, quae loca cumque.

In 5.

Terraque inumbratur, qua nimbi cumque feruntur.

& eodem,

Plerumque & quae sunt altis magis edita cumque.

In 6.

Quae collata foris & commoda cumque venirent. &,

Nam fuit, ut quae sint illius semina cumque. &,

Nunc age Averna tibi, quae sunt loca cumque, lacusque. &,

Aëra, qui inter aveis cumque est, terramque locatus. &,

Exprimat in fontem, quae semina cumque habet ignis. &,

Inter qui lapidem, ferrumque est cumque locatus Sed & duobus versibus *quaecumque* divaricavit, cum eodem 6. sic ait,

Huic accedit, uti non omnia, quae jaciuntur, Corpora cumque ab rebus eodem praedita sensu. Quod & in *undecumque* servavit, ut in eodem:

Hoc fit item cunctas in parteis unde vacefit Cumque locus. Illud etiam adnotandum, quod ait in tertio.

Nec repentis item cujus vis cumque animantis. Haec autem exempla ideo a nobis sunt diligentius conquisita, quo iis facile intelligamus, P. Virgilium, hujusmodi Tmesim quae per interpositionem plurium syllabarum a Lucretio identidem inculcatur, duriorem quidem judicasse, quam quae suo molliori carmini conveniret. Quod idcirco in hac dictione *quicumque* ab eo observatum fuisse existimamus, quia animadvertebat Poëtarum prudentissimus, *qui* per se positum quippiam aliud

aliud significare, quam si *cumque* assumpserit. Quare ipsius significationis dubium lectorem non diutius tenendum putavit, quam morula interjectae unius tantum syllabae. Quam rationem in *Inque ligatus*, & *Inque salutata* servavit. Nam mirus carminis artifex Maro in his, quae omnino sensum eundem, quamvis separata, retinent, etiamsi aptius per compositionem cohaererent, interjectione quoque plurium syllabarum poeticam non vitavit figuram, *ut*,

Septem subjecta Trioni. &c,
Circum Dea fudit amictu. &c,
Sedet circum castella. &c,
Hac celebrata tenus. &c,
Hac Trojana tenus. &c,
Sub aequore mersit. &c,
Praeter vada fervida vexit. &c,
Sed circum late volitans. &c,
Per uvilia turbans.

Quibus in locis Servius quoque hanc figuram adnotavit, Vide *inque salutatam*.

quia. O. 1: 415. 2: 286. 3: 272. AE. 2: 84. 4: 696. 5: 231. 8: 650. 12: 808

quianam. AE. 5: 13. 10: 6

Cur: & est interrogantis adverbium. Quod noster de Ennio traxit, eoque tantum duobus his locis utitur, id etiam Servio adnotante. Quamquam apud Actium divinum illum Pontani de numeris poëticis Dialogum, disputator ipse quidem Actius, tum acutus, tum diligens, super hoc loco ita differit: Inest & suum quoque numeris decorum, ut cum vel aspera, vel suavis, vel miserabilis, vel jucunda res, vel gravis, vel contra levis versatur in manibus: vel suis aliis affectibus mista est, & temperata. Vide igitur quibus Virgilius usus est numeris in prognosticatione illa futurae tempestatis: *Heu quinam tanti cinxerunt aethera nimbi!* Ad metum, ad dolorem, ad ducis curam exprimendam coegit tres simul monosyllabas dictiones, summisit deinde disyllabam, post alteram atque alteram trisyllabam, junxitque quatuor simul spondeos. Quid hac autem verborum conquisitione diligentius, aut animi conquestione gravius? Nec me quorundam auctoritas moverit, asseverantium a Virgilio scriptum *heu quia*, non *qui*, cum nos judicemus, neque *quia*, neque *quid*, sed *qui* fuisse a Virgilio scriptum. Nam & litera *d* pleniusculum nescio quid sonat, quod hic ipse numerus nunc renuit: & *quia*, brevitate plusculum festinat sua, cum vox ipsa videatur in dolore sistenda. Sed de hoc sit suum cujusque judicium, nostra quidem haec est opinio. Haec ille. Pontani sententiae repugnant veteres Grammatici, Probus, Priscianus, Charisius, & reliqui, *quianam* agnoscentes, ubi hunc locum in testimonium adducunt. Imprimis autem Quintilianus, cujus fidei de incolumitate Virgilianae lectionis quis standum non putet? praesertim quum ipse etiam Virgilii manum erret. Is igitur in 8. ait: propriis dignitatem dat antiquitas: eoque ornamento acerrimi judicii P. Virgilius unice est usus, *Olli*, *quianam*, *Mi*, & *Pone*, ad aspergendam auctoritatem. Quod si Pontani quispiam studiosior responderit, Quintilianum de hoc exemplo tantum intelligere, *Coelicolae magni, quianam sententia vobis Versa retro?* ille sane sciat, hoc etiam loco, *Quianam*, majore sensus congruitate defendi. Palinurus enim optimus gubernator, cum intelligeret tempestatem imminere, quam tam maximam & periculosissimam nunquam antea expertus fuerat, quasi peritiae gubernandi diffidens, hoc adverbio pie, ut addecet Aeneae comitem, quaerit secum de causa, deque eventu tam ingentis tempestatis, quasi diceret, Quid miseri Troes commeruimus? Quid peccavimus! quove tandem laeso numine tanta nimborum procella immissa est; quam nunquam spero me evasurum, nisi Deus ipse placatus vindex adfuerit? Ergo *Tanti cinxerunt aethera nimbi*, ad magnitudinem exprimendam tempestatis pertinet: *heu quianam*, ad ejus periculum demonstrandum. Quare etiam subdit *quidve pater Neptune paras?* Quod si *quinam* legeris, minus significatur, & bona pars hujus intellectus Virgiliani deperit. Quid! quod, ut credamus *quianam* Virgilium reliquisse, facit *quiane*, ab eodem alibi usurpatum. Quid praeterea illa codicum fides vetustorum, qui, ut plurimum, in hanc lectionem consentiunt? Qui cum a vera scriptura discedunt, id sane *σωφρονως* faciunt. Nam cum aut *quo*, aut *quid* legunt, *quia* interpretari videntur. Quin & numerus ita auribus gratiòr adsonat, quam si *qui* legeris. Ad haec si celeritatem duarum pronunciandarum vocalium animadvertimus, nulla intercedente consonante, *quia* vice quoque monosyllabicae dictionis, quae Pontano hic nostro adprobatur, accipi potest, sicut alibi Poeta *omnia*, *aurea*, *aureis*, & similia, ut supra ostendimus, pro duabus syllabis posuit. Rursus, si ejusdem Pontani moram in pronunciando requiras, quis neget in pronunciandis duabus consonantibus brevibus tantum temporis insumi oportere, quantum in una longa vocali? Unde illa frequens spondei in dactylum resolutio.

quiane. AE. 4: 538. *revera: & est una pars orationis.*

quibus. in dativo. E. 3: 38. 5: 36. G. 1: 21. 2: 459. 4: 165. AE. 1: 232, 250, 361, 703. 2: 248, 638. 3: 493, 503. 4: 371. 5: 195, 235, 402, 767. 6: 9, 64, 264, 608, 713. 9: 142. 10: 286, 714

quibus. in ablativo. E. 3: 104, 106. 6: 70, 80. G. 1: 206. 2: 98. 4: 533. AE. 1: 160, 331, 369, 578, 751. 2: 282, 352. 4: 13. 5: 192, 303. 6: 560. 7: 223, 643, 644. 8: 434. 9: 269, 339. 10: 827. 11: 80, 125

quicquam. E. 3: 32. 5: 53. AE. 4: 317. 8: 140. 11: 415, 437. 12: 45, 882

quicquid. G. 1: 36. AE. 5: 710, 716. 8: 401. 10: 493. 11: 288. 12: 678, 891

quicumque. E. 10: 38. AE. 5: 83. 8: 122. 9: 209, 299. 10: 739. 11: 255, 591, 848

quid, id est, *cur*. E. 1: 37. 9: 46. 10: 22. G. 2: 481. 4: 322, 325. AE. 1: 407, 745. 2: 101, 595. 3: 41, 480. 4: 325, 368. 8: 395. 9. 12, 191. 10: 63, 77, 79, 87, 611, 878. 900. 11: 360, 389, 735. 12: 425, 620, 889

quid, i. e. *quam rem*. E. 2: 2, 58. 3: 16, 28. 8: 26. 9: 32. G. 1: 353, 461, 462. 2: 454. 3: 258, 264. AE. 1: 76. 2: 746. 3: 339, 368. 4: 534, 595, 677. 5: 6. 6: 318. 7: 197, 365. 9: 94, 228. 10: 150, 672, 825. 11: 345, 385. 12: 637, 796

quid facerem. E. 1: 41. 7: 14. *faciebat*. E. 2: 35. *faciet*. 3: 16. *faceret*. G. 4: 504. *faciat*. G. 1: 1. 9: 379

quid prodest. E. 3: 74. *juvant*. G. 3: 525. AE. 4: 65, 66. *juvat*. 2: 776. *profuit*. 7: 302. *juvit*. 10: 55. *potest juvare*. 12: 872. id est, Nihil prodest, &c.

quid? si. E. 5: 9. AE. 4: 311. 5: 410. 10: 628

quid loquar? E. 6: 74. *dicam*. G. 1: 104, 311. AE. 4: 43. *referam*. G. 2: 118, 120. *prosequar versu*. 3: 339. *memorem*. AE. 6: 122, 123, 601. 8: 483. *repetam*. 10: 36. *sequar*. G. 2: 434

quid? quae. E. 9: 44. G. 1: 53. Lucr. in 5. *Quid quaeque queat res*. 3: 265

quid? qui. G. 1: 111

quid tum? E. 10: 38. AE. 4: 543

quid tantum. G. 2: 481. AE. 1: 231, 745. 2: 776

quid, id est, *ad quid*. AE. 1: 518. 3: 56. 4: 412. 6: 389. Serv.

quid moror. AE. 2: 102. 4: 325. 6: 528. *demoror*. 11: 175

quid agat. AE. 4: 283. 12: 486. *agam*. 10: 675

quid enim. AE. 5: 850. 12: 798. *quid ni? cur non?* Servius.

quid, id est, *quas res*. E. 8: 43. 8: 107. G. 1: 1. AE. 5: 631. 10: 19. 11: 705

quid restat. AE. 2: 70. 12: 793. *superat*. 873

quid struit. AE. 4: 235. *struis*. 271. 12: 796. *struat*. 8: 15

quidve. G. 4: 446. AE. 1: 9. 2: 75, 108, 151. 3: 368. 5: 14. 6: 319. 10: 150. 11: 735

quidam. G. 1: 291. 4: 219

quidem. E. 9: 37. G. 1: 126, 390. 2: 48, 125, 212. 3: 217, 501, 561. 4: 457, 489, 506. AE. 3: 628. 9: 796. 10: 385. 11: 49, 378. 12: 234, 808

quidquid. AE. 1: 601. 2: 49

quierant. AE. 4: 523

quierunt. AE. 6: 102, 328. 7: 6. 11: 300

quies. G. 2: 344, 467. 4: 184. AE. 1: 723. 3: 495. 7: 598

quies, id est, *somnus*. AE. 2: 268. 5: 857. 6: 522. 8: 407. 10: 745. 12: 309, 909

quo-

Qqq 2

rau-

re-

Et

Et versu 28. *Καὶ ἡ ὑπ' ἀμφιχανὴς σχομένη φαῖνε ὀνίτηα Ῥεῖα.* Nam eodem in Hymno semel dixit, *Αὖτις ἐπεὶ τέμενος Ῥεῖα.* Ut imperite tradant nonnulli, frequentius corripi, etiamsi Naso Fastorum 4. dixerit, *Saepe Rhea questa est.* Nam Prudentius maluit imitari Virgilium: *Etsi Rhea sacram lascivi Martis amore.*

Rhemi. AE. 9: 330
Rheni. E. 10: 47
Rhenus. AE. 8: 727
Rhesi. G. 4: 462. AE. 1: 469
Rhipaeas. G. 1: 240
Rhipaeis. G. 4: 518
Rhipaeo. G. 3: 382
Rhipaeus. AE. 2: 339, 394, 426
Rhodia. sc. *uva.* G. 2: 102
Rhodope. E. 6: 30. 8: 44. G. 3: 351
Rhodopeiae arces. G. 4: 461. vide *Insulae Ionii.* Et *Qui amant.*
Rhodopen. G. 1: 332. 3: 462
Rhoebe. G. 10: 861

Rhoebus παρὰ τὸ ῥοιβεῖν, quod est emico. Equi Mezentii nomen est, ut apud Homer. Iliados 16. & 19. Xanthus & Balius Achillis: & in 8. Xanthus, Podargus, Aethon, Lampus Hectoris. Imitatur autem in hoc quoque eundem Poetam, qui libro 19. supra citato, Achillem verbis suos equos animantem inducit: apud quem Xanthus vocalis a Junone redditus, etiam domino respondet, ut illic cum voluptate legimus. Quin & in 17. ipsi immortales a Jove facti, etiam lachrymas emittunt. Celebratur & Cyllarus, Castoris equus, a velocitate dictus: de quo 3. Georgic. *Talis Amyclaei domitus Pollucis habenis Cyllarus.* Nam hic Pollucem ipsum omnino pugilem pro fratre Castore, quem ex 3. Iliados equorum domitorem fuisse constat, poetice accipimus; & venuste, quando & illos alterna se morte redimere fabulantur. Et quoniam Martis equi quoque celebres memorantur, Δεῖμος καὶ Φόβος, quorum meminit & Homerus tum alibi saepe, tum Iliados ε, subjunxit Maro, *& quorum Graji memorant Poetae, Martis equi bijuges & magni currus Achillis.* Ubi obiter adnotandum, Servium *Currus* accipere in recto. Ait enim, *Pro equis, Balius, & Xanthus.* Licet apud eum in inemendatis codicibus *Baliarchus* legatur. Potest tamen & genitivus esse *Currus*, quem *Bijuges* regat. Nam & Achilles biga ut plurimum utebatur, junctis sc. Balio, & Xantho equis, quos ante diximus, immortalibus. Hos Podarge mater equarum rapidissima, dum per flores prata pasceretur, ad Oceanum ex Zephyro genuit, ut idem canit Homerus: quamquam in 16. Iliados Automedon Achillis auriga iis quoque tertium, Pegasum nomine, loro tamen extremo jungat, & mortalem quidem equum immortalium equorum comitem, quem Achilles egregium eversa Eetionis urbe abduxerat, ut apud eundem Homerum discimus; qui item Eumeli equas suo praeconio nobilitavit: nec minus divitis Dardani Jovis filii trium millium equarum armentum, atque praecipue ex his duodecim pullos patre Borea genitos. Quin de Rhesi equis praestantissimis in 10. dixit, λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. Quem versum integrum ad Turni equos Maro transtulit: *Qui candore nives anteirent, cursibus auras.* Nobilium equorum exempla quaedam indicat Plinius lib. 8. cap. 42. & nos plura in libello, quem Equum inscripsimus. Sane commentum hoc vocalium equorum, ac immortalium, vernacula poëtarum Musa audacius aemulata est: quippe quae Heroum suorum generosissimos equos propriis nominibus fabulosius etiam decantavit, ut Rholandi Brigliadorum, & Veggiantinum, Bajardum Rainaldi, Rubricanum Argalifae, Hippogryphum Rugerii, Frontinum & Fiatalatum Sacripantis, Rondelium Oliverii, & aliorum aliis nominibus alios.

Rhoetea. AE. 10: 399
Rhoeteas. AE. 3: 108
Rhoeteia. AE. 5: 646
Rhoeteius. AE. 12: 456
Rhoeteo. AE. 6: 505
Rhoeteus. AE. 10: 402
Rhoeti. AE. 10: 388
Rhoetica. G. 2: 96
Rhoetum. G. 2: 456. AE. 9: 344, 345
ridens. E. 6: 23
rident omnia nunc. E. 7: 55

Lucr. 5. *Praesertim cum tempestas ridebat, & anni Tempora pingebant viridantes floribus herbas.* AE. 5: 182
ridenti acantho. E. 3: 20. lege Macr. Sat. 6. cap. item 6.
rigabat. AE. 6: 699. 9: 251
rigat. AE. 7: 738. 11: 698. 12: 308. dixit & *irrigat*, tribus locis.
rigebant. AE. 5: 405
rigentem. AE. 1: 648. 8: 621
rigentes. AE. 11: 72
rigescunt, sc. *frigore.* G. 3: 363. N. tr. 5
riget. AE. 4: 251
rigida. AE. 10: 346
rigidam. G. 2: 316. N. tr. 5
rigidas. E. 6: 28, 71
rigido. AE. 12: 304
rigidum. G. 1: 508
rigor. G. 1: 143
rigui. G. 2: 485. ut, *irriguum fontem.*
rima. AE. 8: 392
rimanti. AE. 7. 508. N. tr. 5
rimantur. G. 1: 384. *inhabitant* interpretatus N. tr. 5. 3: 534
rimatur. AE. 6: 599. N. tr. 5. 11: 748. N. eodem.
rimisque fatiscunt. AE. 1: 123

Hinc *grimam*, addita *g*, quod plerumque fit, vetulam per epitheton Veneti appellant, cui frons rugis arata sit. *Rimas* autem, quas vulgo dicunt, hoc est versus Homoeoteleutos, quasi rhythmos appellamus.

rimosa. G. 4: 45. AE. 6: 414

ripa. G. 3: 144, 151. 4: 23. AE. 7: 495. 8: 28. 12: 752
ripae. E. 3: 94. G. 3: 555. 4: 121, 527. AE. 6: 314, 386, 410. 7: 106. 8: 240. 11: 299. 12: 756
ripam. AE. 6: 375, 425
riparum. AE. 6: 674
ripas. E. 7: 12, 52. G. 3: 15. 4: 459. 6: 305, 319, 327, 712. 7: 201. 8: 63. 9: 105. 10: 114
Riphaeo. AE. 3: 382. vide *Rhipaeo.*
ripis. G. 2: 414. 3: 430. AE. 1: 498. 7: 33. 8: 57. 9: 118. 680. 10: 363, 806. 11: 548
ripis abrumpunt vincula, id est, *littora.* AE. 9: 118

Hinc popularis sermo *arrivar* pro eo, quod Latini dicunt *appellere*: & *rivar* pro finire, quia cursus navigationis sit confectus, *cum reducis stant littore puppes.* Quod autem dicimus *rivar* pro pertingere, a rivis fortasse deductum est, qui, quo perveniant, deducuntur.

risere. E. 3: 9. 4: 62. AE. 5: 181
risit. AE. 4: 128. 5: 358
risu. E. 4: 66. G. 2: 386
rite. G. 2: 393. AE. 3: 36, 107, 546. 4: 555, 638. 5: 25, 77. 6: 145. 7: 5, 93. 8: 60, 69. 9: 352. 10: 254. 12: 213
ritu. AE. 7: 741. 11: 611. sic *more ferae.* & similia.
ritus. AE. 12: 836
rivis. E. 10: 29. G. 1: 132. 4: 120. AE. 6: 674. 7: 683. 8: 445. *sudor fluit undique rivis.* AE. 5: 200

Sic in 9. *Spumantis sanguinis rivos*: & in 11. *sanguinis ille vomens rivos.* Similiter, *Flumen*, & *undam* de copioso sanguine dixit, ut in 9. *Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen.* Et in fine ejusdem libri, *Tum toto corpore sudor Liquitur: & piceum* (*nec respirare potestas*) *Flumen agit.* Et in eodem alibi, *reddit specus atri vulneris undam spumantem.* Item de ingenti multitudine, in 2. Georg. *Mane salutantum totis vomit aedibus undam.*

rivo. E. 5: 47. AE. 8: 101
rivos. E. 3: 111. G. 1: 106, 269. 9: 456. 11: 668
rivos argenti, aerisque metalla. G. 2: 165

Vulgo *Minere*, & fere pro eodem *Filoni.* Utitur autem hic ejusdem rei omnibus vocabulis, ut conquisitius dici non possit. Nam *rivos* metaphorice dixit, *Metalla* Graece, Latine & proprie *venis.*

rivum. E. 8: 87. AE. 3: 350
rivus. G. 4: 19
robora. G. 1: 175. 2: 177, 305. 3: 377. 420. AE. 2: 482. 4: 399. 5: 698, 753. 7: 610. 8: 518. 11: 137
robore. G. 2: 25, 64. 3: 332. AE. 2: 260, 639. 4: 441. 5: 681. 6: 214. 8: 315. 11: 326, 553, 893
roboribus. AE. 2: 186
roboris. AE. 12: 783
robur. G. 1: 162. 3: 235. AE. 2: 230. 6: 181. 8: 221. 10: 479. 11: 174, 368
robusta. G. 1: 219

ro-

INDEX ERYTHRAEI

ru-

rudentem. AE. 3: 561. 8: 248

Naso in Fastis, *Intempestivo cum rudit ille sono.* Persius, *Ru protenta, Findor, ut Arcadiae pecuaria rudere credas.*

rudentes. O. 3: 374. AE. 3: 267. N. tr. 4: 682. 5: 753. 10: 229

rudentum. AE. 1: 87. 7: 16

rudimenta. AE. 11: 157

rudis. O. 2: 211

ruebant, id est, *dividebant.* AE. 1: 35. N. tr. 5. 8: 648. 9: 182. 10: 756. 11: 211

ruebat. AE. 6: 305. 7: 782. 10: 256

ruens. O. 4: 292

ruentem. AE. 10: 338, 385. 11: 805. 12: 305

ruentes. AE. 2: 440. 4: 401. 9: 727. 10: 573. 12: 505

ruenti. AE. 12: 535

ruentum. AE. 11: 886

ruere. O. 1: 200. AE. 8: 525, 689. 11: 142

ruet. AE. 12: 454

Rufras. AE. 7: 739. Oppidum fuisse creditur in Campania, nunc sine vestigiis.

rugis. AE. 7: 417

ruina. AE. 1: 129. 3: 414. 11: 310, 888, 12: 610

ruinam. AE. 2: 310, 465, 631. 8: 192. 9: 712. 11: 613

ruinas. O. 4: 249. AE. 1: 238. 12: 453

ruinis. AE. 1: 647. 3: 476, 571

ruis. AE. 2: 520. 5: 741. 10: 811. N. tr. 5

ruit. O. 1: 105. N. tr. 3: & 5. 2: 308. O. 1: 313, 324. N. tr. 5. Lucr. in 5. *Ex infinito quae possint forte coorta Corruere hanc rerum violento turbine summam,* 3: 255, 470. 4: 439. AE. 2: 64, 290, 363. 3: 508, 676. 4: 429, 674. 5: 695. 6: 539. 7: 573. 9: 438, 474, 695. 10: 729. 11: 448, 625. 12: 123, 291. 621, 652, 682, 685, 690. nox. AE. 2: 250. N. tr. 8. 6: 539. *& fusis tellurem amplectitur alis.* 8: 369. Homerus, ὀρώρει δ' οὐρανόθεν νὺξ, id est, Ruit coelo nox: non de nocte naturali, sed cum lux diei oculis mortalium nubibus subtrahitur.

ruitis. AE. 12: 313

ruminat pallentis herbas. s. bos. E. 6: 54

Invenitur etiam in voce passiva activae significationis. Varro Bimargo, *Ebrius es Marce. Ὀδύσσειαν enim Homeri ruminari incipis, cum Περὶ τρόπων scriptorum te scio receperis.*

rumor. AE. 7: 144

Discrimen inter rumorem, & famam, poeta ingeniosus his versibus pulcherrime expressit: *Quisquis is est, memori rumorem voce referre, Et fieri famae parsque gradusque potest.*

rumore. AE. 4: 203. 8: 90. N. tr. 5. Ubi notandum est in pervulgatis Nonii codicibus *Peragunt* legi, quod tria Virgiliana exemplaria habent *accelerant.*

rumores. AE. 12: 228

rumoribus. AE. 7: 549. 9: 464

rumpant. AE. 8: 540

rumpantur. E. 7: 26

rumpas. AE. 6: 882

rumpe. O. 3: 43. AE. 4: 569. 9: 13

rumpebat. AE. 4: 553

rumpenda. AE. 10: 372

rumpent. G. 3: 328

rumpere. AE. 8: 110. 9: 758. *silentium.* 10: 64. N. tr. 5

Nox & Silentium, quamvis contraria sunt, rumpere tamen vocem, & silentium idem diversa ratione significant. Nam *rumpere vocem* loqui dicimus, sicut *rumpere questus*, queri, quia Vox & Questus pectore rumpuntur, id est, effunduntur. Alibi ipse, *rumpuntur fontibus amnes*, id est, funduntur: *rumpere* autem *silentium* ex eo loqui dicimus, quia cum id facimus, veluti vocem rumpimus. Sic *rumpere moras*, est, non morari amplius; & fere eadem ratione *rumpere somnum* dicimus. Hoc est, quod voluit indicare Servius commentario secundo in versu, *Composito rumpit vocem.* Sed ille meo judicio id tantum annixus est.

rumperet. O. 4: 136

rumpet. AE. 6: 813. 12: 202

rumpi. AE. 4: 292. 12: 582

rumpit. AE. 2: 129. 3: 246. 7 458. 9: 432, 580, 671. 10: 337, 659. 11: 377. legitur & *rupit.* 12: 375, 683, 699

rumpite. AE. 3: 640. id est, *abrumpite a ripis.*

rumpitur. E. 8: 71. N. tr. 5

rumpunt. G. 2: 75. AE. 2: 494. 11: 613

rumpuntur fontibus amnes. G. 3: 428. id est, *rumpunt.* Pomponius De aqua pluvia arcenda, *Si in meo fundo aqua rumpat, quae ex tuo fundo venas habeat.* AE. 12: 527

rupe. E. 1: 57, 77. 10: 14. O. 4: 508. AE. 1: 310 3: 229, 245, 443, 647. 5: 180. 6: 548. 8: 295, 343

rupem. AE. 8: 190

ruperat. AE. 11: 549

rupere. O. 4: 213

ruperunt. O. 1: 49

rupes. pl. E. 5: 63. 10: 58. O. 3: 253. AE. 1. 162. 7: 713. 10: 677

rupes. sing. E. 6: 29. AE. 7: 586, 587. 10: 693

rupi. AE. 2: 134. 12: 30

rupibus. G. 2: 187. 3: 273. AE. 1: 429

rupimus. AE. 10: 233. N. tr. 5

rupis. AE. 6: 42

rupit. AE. 5: 510, 543. 7: 622. 9: 432. 10: 659

rupta. G. 4: 492. AE. 8: 391

ruptis. O. 1: 472, 510. 2: 480. 4: 556. AE. 2: 496. 3: 27, 580. 8: 225, 651

rupto. AE. 2: 416. 7: 569

rura. E. 1: 47. 2: 28 5: 58. O. 1: 372. 2: 317. 412, 485, 500. 3: 324. 4: 289. AE. 1: 430. 4: 527. 7: 712

ruris. O. 1. 156, 168. 2: 212. 4: 128

rursum. E. 10: 62, 63. O. 2: 78. AE. 3: 229, 232

rursus. O. 1: 98. 2: 232, 480. id est, *retro.* 3: 138. N. tr. 5. 335, 484. 4: 185. AE. 2: 401. id est, *iterum.* 655, 671. N. ibidem. 751. 3: 31, 143, 422. 4: 531, 534. 546. 557. 688. 5: 92, 581, 764. 6: 449, 751, 793. 7: 491, 767. 9: 391, 662. 11: 427, 621. 12: 280, 571, 784

rusci. O. 2: 413

rusco horridior. E 7: 42

Ruscus quae μυρσίνη ἀγρία, id est, Myrtus sylvestris & Oxymyrsine, Acaeros Dioscoridi, Plinio Acoros: frutex est foemellis etiam notissimus, quod ex eo Veneti, & plerique Italiae locis scopis utuntur. Dicitur & *Ruscum* genere neutro. Nam Ruscum est, inquit Festus, ut ait Verrius, amplius paulo herba, exilius virgulto, fruticibusque, non dissimile junco; cujus coloris rebus uti mulieres solitas commemorat Cato Originum libro septimo: Mulieres opertae auro, purpuraque, ars inhaeret diadema, coronas aureas russea facie, galbeas lineas, pelles, redimiculis. Haec apud Festum verbis tamen corruptis, ac emendatorem implorantibus. Hodie quoque aliqui *Rusco*: vulgus nostrate *Rusto*, alii *Brusco*: quo nomine non modo officinae medicinae, verum ipsi etiam Medici barbari utuntur: qui ob id quoque magis ridendi sunt, quod & *Berberim* Ruscum esse arbitrantur, & ejus fructum *Cubebas*, quas Mauricce appellamus, & Galenus *Carpesium* vocavit. De hoc fortassis frutice, quod frondibus horreat, vel ejus acris saporis fructu, *Bruscum* vulgo pustulae genus. & Bruscum vinum, saporem, hominem, lingua vernacula appellavit: ut in Stoico perquirimus. Dicimus & hinc *Ruscio* trito & Veneto vocabulo, quidquid est tactu asperum.

rustica. sc. *Musa.* E. 3: 84

rusticus. E. 2: 56. O. 2: 406

rutilare. AE. 8: 529

rutili. AE. 8: 430

rutilis. O. 4: 93

rutilo. O. 1: 454

Rutulae. AE. 10: 245

Rutulas. AE. 12: 597

Rutuli. genitivus. AE. 7: 409. 9: 442

Rutuli. plural. AE. 7: 472, 795. 9: 123, 161, 236, 363. 428, 450, 494, 519 683. 10: 20, 118, 679. 11: 162, 318, 869 12: 40, 117, 229. 257, 463, 693, 704, 928

Rutulis. AE. 1: 266. 9: 635. 10: 390. 12: 216, 321

Rutulo. AE. 7: 318. 9: 65. 10: 267. 11: 88

Rutulorum. AE. 8: 381, 492. 9: 113. 10: 404. 473, 509

Rutulos. AE 7: 475, 798. 9: 130, 188, 517. 10: 84: 111, 334. 11: 464, 629. 12: 78, 758, 915

Rutulum. AE. 9: 728. 10: 445. 11: 487. 12: 79, 505

Rutulus. AE. 8: 474. 10: 108, 232

ruunt. O. 2: 503. 3: 104, 244. 4: 185. AE. 1: 83. N. tr. 5. 85. 4: 132, 164, 581. 5: 145. 6: 44. 9: 516, 708. 11: 461, 673. 12: 279, 369, 443, 526

S.

Sabaei, scil. *mittunt.* G. 1: 57. AE. 8: 706

Sabatis. O. 2: 117

